
CONCIO GRANATENSIS



TOMVS IIII

[illegible] 129 [illegible] 140 ... ad 1 ... 132 ... 127 f.
Differentia gaudii terreni et celestis. 129. p. Concionatoris [illegible] 130. m. [illegible] cele-
stium cum terrenis collatio. 131. m. [illegible] amara et soluta 134. m. cur mali solo-
ras de virtutibus mala sequatur. 138. p. veri paupertas [illegible] [illegible] 244. p. vita
divitis et Lazari comparatio vitae bonorum et malorum per totum [illegible] fol. 145 ad finem [illegible]
[illegible] et [illegible] sepultura. Iacob quod Deo gratias [illegible] 10. m. Mane Deus [illegible]
[illegible] 11. m. lapis [illegible] designat. 13. p. In duros homines exclamatio ibidem [illegible] Deus [illegible]
[illegible] removet 14. 3a [illegible] [illegible] 16. p. differentia inter mala corporis et animae 19. p.
beneficiorum memoriam Deus a nobis requirit. 25. m. cur S. [illegible] [illegible] Deo commemorat. 27. p.
cur [illegible] alios increpat. 28. m. fortitudo et patientia nata 29. f. ad faciendum quod Deus
[illegible] et [illegible] [illegible]. 32. m. [illegible] 34. m. Dominica infra 8. Ascensionis
[illegible] laudantur et adiget. 382. m. Quare spiritus S. consolator appellatur. 396. p.
oratio commendatur. 398. m. remedium contra iram 399. p. Quieta Dei. 401.
Dominica 5. post Pentecost. quare [illegible] a Philippo [illegible] panes. 151. Gratiarum actio ad
mensam [illegible] et [illegible]. 155. [illegible] mala [illegible] ex oblivione [illegible]
[illegible] 157. [illegible] 3. et [illegible] 3plex [illegible] 161. [illegible] 3plex. 160
[illegible]
Hypocrisis [illegible] et superbia dux. 189. f. Delinquunt duo [illegible]. 197.
[illegible] [illegible] 202. Trium patriarcharum [illegible] 204.
Ignis infernalis qualis. et de poenis. 208. Bellua mores [illegible] 197.
Dominica 11. de surdo et muto [illegible] 298. f. gravitas [illegible] 2
[illegible] 299. p. [illegible] qualis [illegible] in 3o [illegible] remedia contra pec-
cata. 305. et sequentia. fides [illegible] qualis. 314. Dominica 16. post pen-
Amor [illegible] noxius. 445. m. [illegible] [illegible] 444. p.

TERTIVS TOMVS
CONCIONVM
DE TEMPORE,

quæ à Pascha Dominicę RESVRRECTIONIS ad festum vsque sacratissimi CORPORIS CHRISTI habentur:

AVCTORE

R. P. F. LVDOVICO GRANATENSI,

S. Theologiæ Professore, Monacho Dominicano.

Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Danielis* 12.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XII.

Approbatio examinatorum.

Nos frater Antonius de S. Dominico, sacræ Theologiæ in Academia Conimbricensi primarius lector, & frater Bartholomæus Ferreira, in Theologia Præsentatus, & examini librorum, qui aliunde importantur, præfectus, ex speciali commissione & mandato manu propria subscripto Serenissimi Cardinalis Infantis Henrici, generalis Inquisitoris in regno Portugalliæ, perlegimus has Conciones R. P. F. Ludouici Granatensis, sacræ Theologiæ Professoris, quæ à Paschate Dominicæ Resurrectionis vsque ad festum sacratissimi corporis Christi habentur, nihilq; in eis offendimus, quod vel orthodoxæ fidei aut bonis moribus aduersaretur: ideoque dignas duximus quæ prælo mandarentur: quòd eas omnibus diuini verbi Concionatoribus, cæterisque pietatis cultoribus maximè vtiles & salutares speramus. In cuius rei fidem nomina nostra subscripsimus. Olysippone, 1573.

F. Antonius de sancto Dominico.

F. Bartholomæus Ferreira, Præsentatus.

Accessit præterea iuxta sacri Concilij Tridentini decreta facultas Reuerendissimi admodumque Illustris Ordinarij Olysipponensis.

CAROLO AMPLISS. CARDINALI BORROMÆO ARCHIEPISC. MEDIOLANENSI

F. LVDOVICVS GRANATENSIS *perpetuam in* CHRISTO *felicitatem.*



A EST, Reuerendiſſime atque Illuſtriſſime Cardinalis, virtutis dignitas & elegantia, vt poſt Deum Opt. Max. nihil dignius, pulchrius, atque diuinius ea mente ſit, quæ, terrenis rebus abiectis & proculcatis, ſe totam in illius optimi parentis obſequium & amorem ſic addixit, vt mundo mortua, illi ſolùm viuat, illi militet, illi pareat, illum ſemper intueatur, in illius ſe dilectionem totam effundat, in illius contemplatione dies noctéſque ſuſpenſa ſit, ex illius præſcriptione actiones omnes & vitam moderetur; nihilque aliud aut cogitet aut moliatur, quàm vt illi omnibus in rebus placeat, illíque gratiſſima fiat. Huius autem animæ pulchritudo ſi corporeis oculis cerneretur, quos ſui amores excitaret! Quis enim virtutis decus & elegantiam vel in hoſte etiam non ſuſpiciat, non diligat, non miretur? Eſt ne quidquam in tota hac mundi fabrica, quam intuemur oculis, Chriſtiana virtute & pietate ſpecioſius atque ſublimius? Profectò nihil. Ea igitur res in cauſa extitit, Cardinalis Ampliſſime, vt ego te longè poſitum atque ignotũ (à

quo neque litteras aut mandata accepi, neque à te quicquam in extrema hac ætate constitutus sperare possum) solo virtutum tuarum odore mirificè delectatus, & absentem absens diligere atque obseruare, & assiduas etiam pro te preces (qualescunq. illę sint) ad Dominum fundere iam pridem solitus sim. Nec hoc quotidiano officio contentus, has etiam litteras ad te mittere, & hunc tertium Concionum nostrarum Tomum, quæ à Dominica Resurrectionis ad festum vsque sacratissimi Corporis Christi decurrunt, in huius erga te pietatis & obseruantiæ meæ testimonium dicare volui. Quod eo libentiùs feci, quoniam in his Concionibus plura, quàm in alijs, de mysterio Christi, deque summo redēptionis nostrę beneficio, de quo multa in Euangelicis lectionibus quæ hoc tempore recitantur, scripta sunt, tractare necesse fuit. Quod argumenti genus iis qui Redemptoris sui amore flagrant (in quorum te is numerum singulari benignitate sua adsciuit) constat esse gratissimum. Quo etiam argumento hereticorum calumniam depellere possumus, qui nos furenter accusare solent quòd parum Christi gratiæ & redemptionis eius beneficio tribuamus. Imò verò illi totum Christi mysterium & beneficium sceleratè peruertunt, dum ex eo opere quo Dei Filius nos puros & immaculatos, suæq; patientię & obedientię sectatores efficere voluit, ipsi otiandi, lasciuiendi, atque stertendi ansam arripiunt, solaque eius gratia, inani tantùm fiducia concepta, sine vllo pœnitentię labore, aut bonorum operum studio, salutem sibi amentissimi homines pollicentur: nec eos illud Domini fulmen perterre facit, quo in extremo iudicio à se improbos in tartarum præcipitabit, quòd benignitatis & misericordiæ

ſericordiæ opera neglexerint : nec mouet vox illa Pauli, qua docet, non auditores legis, ſed factores apud Deum eſſe iuſtificandos : nec fatuarum virginum exemplum, quæ cùm puram & incorruptam fidei lampadem haberent, quia tamen charitatis & miſericordię oleum non habuerunt, ab ipſis cæli foribus repulſæ ſunt. Nos igitur ſeriò Chriſti capitis noſtri gratiam magnificamus : quam & infinitam eſſe, & infinitis ſeculis (ſi eſſent) profuturã confitemur; qua & flagrãtiſſimo eius amore inardeſcimus, & in ſolidam ac firmã ſpem, meritis atq. doloribus eius innixi, erigimur, & ad humilitatis, lenitatis, patientiæ, obedientiæ, cæterarumq́. virtutum eius imitationẽ, quæ ſingulari quadã ratione in ipſius paſſione potiſſimùm elucent, accendimur & inflammamur. Ad has igitur virtutes, non ad inanem hæreticorum fiduciam, bonorum operum ſtudio vacuam, paſſionis Dominicæ contemplatione & exemplo excitamur. Ad hoc enim nos Petrus Apoſtolus hortatur cùm ait: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius : qui peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius : qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non cõminabatur. Verùm de his hactenus. Accipe igitur, Cardinalis Ampliſſime, ea voluntatis propenſione munuſculum hoc noſtrum, qua tibi dicatur: & ſtudiũ ſtudio, atque beneuolentiam tua erga me beneuolentia (ſi ita mihi loqui fas eſt) penſare curato. Recolo autem Hieronymum Spatianum, & Ioannem Andream Caligarium, tui ſtudioſiſſimos, virtutumq́. tuarum pręcones, me ad hoc officium præſtandum fuiſſe adhortatos. Sed ego tamen ſine vllius hortatu hoc pietatis & obſeruantiæ erga te meæ æternum pignus iam dudum

 offerre

offerre decreueram. Christus autem Dominus, qui te ista religione, ista tam præclara virtutis indole donauit, amplitudinem tuam nobis & Ecclesiæ suæ quàm diutissimè seruet incolumem. Vale.

AD LECTOREM.

PRIVSQVAM Dominicæ resurrectionis mysterium tractare incipiam, candide lector, libet hanc sacratissimam diem, alacritatis & gaudij plenissimam, pulcherrimis his Lactantij Firmiani carminibus salutare: quæ non parum spiritualem animi tui lætitiam excitare poterunt.

SALVE festa dies, toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.
Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et maiore poli lumine porta patet.
Altiùs igniuomum solem cæli orbita ducit,
Qui vagus Oceanas exit & intrat aquas.
Armatus radijs, elementa liquentia lustrans,
Hac in nocte breui tendit in orbe diem.
Splendida sincero producunt æthera vultu,
Lætitiamq; suam sidera clara probant.
Terra ferax vario fundit munuscula cultu,
Cùm bene vernarit, reddit & annus opes.
Mollia purpureum pingunt violaria campum;
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim subeunt stellantia lumina florum,
Floribus arrident gramina cuncta suis.
Semine deposito latè seges exilit aruis,
Spondens agricolæ vincere posse famem.
Caudice deserto lacrymat sua gaudia palmes:
Vnde merum tribuat, dat modò vitis aquam.
Cortice de matris tenera lanugine surgens,
Præparat ad partum turgida gemma sinum.
Subque hiemis tempus foliorum crine refuso,
Iam reparat viridans frondea tecta nemus.

Constru-

Constructura fauos apis hinc aluearia linquens,
Floribus instrepitans poplite mella rapit.
Ad cantus reuocatur auis, quæ carmine clauso,
Pigrior, hiberno frigore muta fuit.
Hinc philomela suis attemperat organa cannis,
Fitque repercusso dulcior aura melo.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Namque triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem,
Laudent ritè Deum lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
Dantque creatori cuncta creata precem.
Mobilitas anni, mensum, lux alma dierum,
Horarum splendor stridula cuncta fauent.
Hinc tibi silua comis, plaudit quoque campus aristis:
Hinc grates tacito palmite vitis agit.
Hinc tibi nunc auium resonant virgulta susurro,
Has inter nimio passer amore canit.
Christe salus rerum, bone conditor, atque redemptor,
Vnica progenies ex Deitate Patris:
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum subsistens, & Patris ore potens:
Æqualis concors, socius, cum Patre coæuus,
Quo sumpsit mundus principe principium.
Æthera suspendis, sola congeris, æquora fundis,
Quæque locis habitant, quæ moderata vigent.
Qui genus humanum cernens mersum esse profundo,
Vtque hominem eriperes, es quoque factus homo.
Nec nostro tantùm voluisti è corpore nasci,
Sed caro quæ nasci pertulit atque mori.
Funeris exequias patris nouus auctor & orbis,
Intra mortis iter dando salutis opem.
Tristia cesserunt infernæ vincula legis,
Expauitque chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ:
Æternæ noctis pallia crassa cadunt.
Sollicitam sed redde fidem, precor, alma potestas:
Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Non decet vt vili tumulo tua membra tegantur:
Non pretium mundi vilia saxa premant.
Indignum est cuius clauduntur cuncta pugillo,
Vt tegat inclusum rupe vetante lapis.

 Lintea

Lintea tolle, precor; sudaria linque sepulchro:
Tu satis es nobis, & sine te nihil est.
Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca sursum quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, videant vt secula lumen:
Redde diem, qui nos te moriente fugit.
Sed planè implesti remeans pie victor Olympum:
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens,
Qui raperet semper, fit tua præda, Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber, quò suus auctor abis.
Euomit absorptam pauidè fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulum repetens post tartara carne resumpta,
Belliger ad cælos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit iste:
Et quos mors peteret, hos noua vita tenet.
Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cùm puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo:
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.
Additur hac felix concors mercede sacerdos,
Qui dare vult Domino dupla talenta suo:
Ad meliora trahens gentili errore vagantes,
Bestia ne raperet, munit ouile Dei.
Quos priùs Eua nocens infecerat, hos modò reddit,
Ecclesiæ pastor vbere, lacte, sinu.

Alludit ad baptismum, & candidam vestẽ quæ dabatur baptizatis in die Paschæ.

I N



IN DIE SANCTO PASCHÆ, CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hîc: sed ite, & dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Marci vltimo.



SACRATISSIMIS his diebus, fratres dilectissimi, quibus Dominicæ resurrectionis gaudium festis laudibus lætabunda celebrat Ecclesia, nulla vox frequentiùs auditur, quàm quæ nos ad eiusdem gaudij communionem inuitat. Hinc toties versiculus ille repetitur: Hęc dies quam fecit Dñs; exultemus & lętemur in ea. Erunt autem fortasse multi qui hodie lætentur, sed non eo modo quo nos Apostolus lætari præcipit, cùm ait: Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. Philip. 4. Non gaudent autem hoc modo, qui ob id solum gaudent quòd ieiuniorum & pœnitentiæ laboribus finem hodiernus dies attulerit; quòd iam carnibus ingurgitari; quòd, cùm libuerit, edere, ludere, & liberiùs viuere liceat; quodque iam à confessionis pudore & molestia liberi sint. Qui enim hoc modo gaudent, neque in Domino gaudent, neque de Christi resurrectione gaudent. Nihil enim habet sancta hæc lætitia commune cum ea quæ ex his rebus nascitur, quas vt Christus Dominus ex hominũ pectoribus extraheret, tot iniurias & ludibria pertulit, & tam multos labores molestiasque tolerauit. Vbi enim terrena gaudia penitus dominantur & vigent, hæc sancta lætitia locum non habet, quæ carnis voluptatibus infensa & inimica est. Quinam ergo tantæ huius lætitiæ participes erunt? Primùm quidem illi quorum spes & gloria simul cum Christo resurrexit. Hoc enim modo sanctus Propheta gaudebat cùm Psal. 83. diceret: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Cur ita gaudes in Deo viuo? Nimirum quia illo resurgente, & in æternum viuente, resurrexit cum illo salus mea, felicitas mea, & spes mea, quę concidere nunquam poterit: vtpote quæ illo, hoc est, solidissimo nitatur fundamento. Habent igitur iusti hodie, cur meritò gaudere debeant. Habent quoque eandem

lętitię causam & peccatores, si tamē ipsi Quadragesimali pœnitentia veteres peccatorum sordes diluerunt, pristinique hominis vetustate deposita, in nouam vitam animati, cum Christo Domino surrexerunt. Tales igitur huius tanti muneris gratia meritò exhilarantur, quando de vnoquoque ipsorum dici potest quod de luxurioso filio dictum est: Mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. An non igitur lætari meritò debet qui se inuenit, quem perdiderat? quique fugata morte ad cælestem vitam ineffabili redemptionis Dominicæ sacramento excitatus est? Tales igitur, quibus salus animæ suæ chara est, qui nihil ea pretiosius ducunt, qui nihil eius saluti anteferunt, qui à peccati morte per Christi gratiam excitati, & in nouam vitam animati, & spirituali sensu præditi sunt, dignam de hoc mysterio concipiunt lætitiam. Vt autem in horum felicissima sorte nos quoque hodie computari mereamur, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

In lectione sancti Euangelij, fratres charissimi, magnum veræ charitatis exemplum tres istæ sanctæ feminę, quæ cum aromatibus ad vngendum sacrum Domini corpus venerunt, nobis exhibent. Cùm enim illum paulo antè efflantem in cruce animam vidissent, & tumulo clausum reliquissent, deque eius resurrectione desperassent, tumulumque ipsum armatis militibus, qui aditum prohiberent, septum esse scirent, nec alium tunc temporis ex officio illo fructum, quàm doloris augmētum, defuncti corporis conspectu se reportaturas crederent; nihilominus tamen, vt sacro illi corpori aliqua saltem ratione inseruirent, extremum hoc amoris officium impendere decreuerunt: tantum apud eas concepta semel in Christum charitas valuit. Vt enim Diuus Chrysologus ait, verus amor non quid fieri possit, aut quid tandem fiet, attendit; sed quo sibi ipsi satisfaciat, nihil asperum aut difficile aut impossibile putat, neque alium laboris sibi fructum spectat, quàm vt sibi ipsi, suoque desiderio morem gerat, illique cum iactura etiam vitæ placeat quem ardenter amat. Cuius rei locupletissimum nobis exemplum tres illi pueri exhibent, quos Nabuchodonosor propter contemptam auream eius statuam in fornacem conijci præcepit. Cùm enim Rex impius ad illos dixisset, Veréne Sidrach, Misach, & Abdenago deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis? Si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? illi ad hæc: Non oportet, inquiunt, nos hac de re tibi respondere: ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de ma-

[Margin: Petrus Rauen.]
[Margin: Dan. 3.]

nibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi, Rex quòd deos tuos non colimus, & statuam tuam, quam erexisti, non adoramus. Hæc est igitur perfectæ charitatis natura, quæ non vtilitatis fructum, sed officij debitum; non commoditatem, sed honestatem; non quo sibi consulat, sed quo dilecto placeat, solerter attendit. A quo studio longissimè absunt qui hæc verba dictitare solent: Ne Deo quidem obsequerer, nisi obsequij mei fructum aliquem percepturum sperarem. Vera enim charitas (vt Bernardus ait) mercenaria non est, quamuis sine mercede Bernard. non sit. Sequitur deinde:

Et valde manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum. Nihil in hoc officio sanctæ istæ feminæ prætermisisse videntur. Quo enim die Dominus crucifixus est, vespere eius diei aromata emerunt & parauerunt. Sabbato verò siluerunt secũdùm mandatum: sequenti verò Dominico die non solis ortum expectauerunt, sed valdè manè iter arripuerunt: quamuis orto iam sole ad tumulum venerint; quas quidem ea nocte somnum oculis captasse credibile non est, quando & recentis doloris acerbitas, & diluculo surgendi cura ab oculis somnum excuteret. Ideoque non mirum, si & Angelos, & ipsum Angelorum Dominum à mortuis resurgentem viderunt, quæ tanto illum studio summo diluculo quæsierunt. O felices qui sic auroram ad quærendum Dominum præueniunt, quique simili ardore & pietate illum desiderant! Bene ait Salomon: Consurgit di- Prou. 11. luculo, qui quærit bona. Hinc Guerricus Abbas, Tu, inquit, Guerric. si vigiles quotidie ad fores sapientiæ, & obserues ad postes eius, peruigilque excubes cum Magdalena ad ostium monumenti eius, probabis (ni fallor) & ipse cum eadem Maria, quàm verum sit quod Sapientia ipsa (qui Christus est) ait: Ego diligentes me diligo; & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me. Inuenit quidem Maria corporaliter Iesum, ad quem vigilabat; ad cuius monumentum, cùm adhuc essent tenebræ, excubatura venerat. Tu verò qui iam nõ debes nosse Iesum secundùm carnem, sed secundùm spiritum, spiritaliter eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter in oratione peruigilem aduerterit. Dic ergo Domino Iesu desiderio & affectu Mariæ: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & Esaiæ 24. spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te. Dic voce & mente cum Psalmista: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Psal. 62. Et vide si non cum eis tibi cantare contingat: Repleti sumus Psal. 92. manè misericordia tua; exultauimus & delectati sumus. Hactenus Guerricus.

Quo minùs mirandum est, si tanta cura sancti omnes matutinum tempus ad diuinas laudes captarent, in quo totius diei primitias

primitias Domino consecrantes, summum hoc pietatis negotium primo quoque tempore adorirentur: vt esset primum ordine temporis, quod erat primum ordine dignitatis. Hinc sanctus Dauid seipsum hoc tempore ad diuinas laudes prædicandas incitabat his verbis: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo: siue, vt alius vertit, Excitabo auroram: hoc est, non illam vt me à somno excitet prestolabor, sed illam ego morantem excitabo. Hinc quidam ex amicis Iob, Si diluculo, ait, consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. Vnde quidam ex antiquis eremi Patribus (vt Ioannes Climacus memorat) dicere solitus erat, se in matutinæ orationis officio totius diei cursum præuidere. Si enim studiosè ac diligenter se in eo gessisset, rectè deinde omnia eiusdem diei opera illi cedere; si verò secùs, hanc quoque negligentiam cætera eius diei opera comitari. Vnde facilè colligimus, quàm cito diuinæ virtutis gratia ad eam vigilantibus adsit; quamque verè de ęterna sapientia scriptum sit: Qui de luce vigilauerint ad illam, non laborabunt: assidentem enim illam foribus suis inuenient. O si hæc mea admonitio, fratres, tantum apud vos valeret, vt ea inducti, matutini temporis partem aliquam quotidie deligeretis; qua sapientiæ studio, hoc est, mysteriorum ac beneficiorum diuinorum, his saltem quinquaginta diebus qui inter vtrumque Pascha decurrunt, considerationi vacaretis! Non dubito quin Spiritu sancto in Apostolos descendente, super vos quoque aliquam donorum suorum partem effunderet, vosque in benedictionibus dulcedinis præueniret: qua percepta, nulla mora esset, quin spirituali dulcedine prægustata, quæcumque in mundo grata sunt, pro nihilo duceretis. Quidam ex antiquis illis Patribus aiebat, Laborem omnem qui in virtutis studio suscipitur, eò vsque durare, quousque mens nostra Deum possideret: qua possessione percepta, omnia deinde facilia & suauia fieri. Ego verò addo, omnem hunc laborem tam diu permanere, quàm diu nondum homo diuinam dulcedinem prægustauit: vbi verò ea percepta est, facilè quisque præ eius amore, quæcumque in mundo siue dulcia siue magnifica putantur, velut stercora reputat, libenterque (sicut ille mercator Euangelicus) omnia vendit, vt pretiosam hanc margaritam sibi comparare valeat. Nec hoc mirum videri debet, quandoquidem hæc spiritualis dulcedo non de creatura, sed de creatore concipitur, quæ omnem aliam dulcedinem multis partibus superat. Inde adeò fit quod D. Gregor. ait: Animæ videnti Deum angusta est omnis creatura. Videnti, ait: hoc est, cognoscenti, amanti, atque fruenti, omnis creatura huius tantæ

Psal. 56.
Iob. 8.
Io. Clim.
Sap. 6.
Matth. 13
Gregor. in Dialog.

tantæ suauitatis comparatione vilescit. Hinc Diuus Bernardus, Feruore, inquit, spiritus, feruor extinguitur aliorum desiderio- rum; & pestiferam dulcedinem vitiorum iucunditas spiritualis vnctionis excludit. Sed iam ad sanctarum feminarum historiam redeamus. Bernard.

Dum igitur adhuc in itinere essent, amouendi lapidis ab ostio monumenti cura distinebantur: *Quis*, inquiunt, *reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde.* Quàm aptè verba hæc nobis hoc tempore occurrunt! Quàm multi enim erunt qui hoc sacro tempore, dum de pœnitentiæ ratione & vitæ mutatione (quæ veræ pœnitentiæ comes est) cogitare incipiunt, hæc eadem verba in animo suo repetunt! *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Lapis enim qui accessum prohibet ad Christum, peccatum est, & causa peccati. Peccata enim, ait ille, diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Hæc enim velut murus quidam adamantinus sunt, qui nos à Christo separat. Peccatorum verò omnium causa immodicus amor sui & propria voluntas est: qua cessante, ignem quoque gehennæ cessaturum Diuus Bernardus ait. In quem enim sempiternus ille ignis nisi in propriam voluntatem deſæuiet? Amorem verò sui peccatorum omnium seminarium esse, vel ex eo patet, quòd nemo peccat qui non alicuius vtilitatis aut voluptatis amore inductus peccet. Quis ergo hoc tam graue saxum à cordis sui penetralibus amouere possit, quo malorum omnium incentorem à se depellat? Quis potentissimum hunc affectum, à quo ceteri oriuntur, consilio regere valeat? Qui quidem vsque adeò rebus omnibus à natura insitus est, vt nõ modò animantia cuncta se & sua omnia summo amore prosequantur, sed ipsa etiam elementa hac ipsa propensione non careant. Cur enim gutta aquæ in puluerem delapsa se in orbem cogit, nisi quòd ita melius se ipsam vnita quàm sparsa tuetur, & á corruptionis iniuria seruat? Quomodo ergo hunc affectum visceribus imis infixum vincere potero? Quod quidem ita ad salutem necessarium est, vt Dominus in Euangelio dicat: Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Quis igitur hunc grauissimum lapidem, qui nos à Christo separat, ab ostio cordis amouere possit? Huius enim operis difficultatem illa Ioannis in Apocalypsi verba significare videntur, quæ formidabilis illius bestiæ, hoc est, Diaboli satellites & ministri magna voce intonãt: Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea? Quod perinde est ac si dicerent: Quis potentissimum sui amorem, vniuersæ terræ malleum, vincere, quis honoris, pecuniarum, & voluptatum cupiditates, quæ ab hoc amore proficiscuntur, superare; quis

Esai. 59.
Ioan. 12.
Apoc. 13.

quis mundi legibus, hominumque vocibus & iudicijs obsistere; quis postremò propriæ voluntatis impetum poterit expugnare? Verùm quid huic quæstioni respondeatur, sequentia protinus verba declarant. Sequitur enim:

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. His verbis satis apertè propositæ quæstioni respondetur. Quod enim sanctis feminis penè impossibile, femineisque viribus impar videbatur, sine suo labore factum cælesti potestate viderunt. Idem autem quotidie in Ecclesia multi verè pœnitentibus contingit, vt quos animi sui motus & impetus insuperabiles iudicabant, vbi ad Dominum tota mente conuersi, illi adhærere, & eius opem ardentibus votis implorare cœperunt, animaduerterunt sæpe sine suo labore factum quod illi vix fieri posse credebát: adeò vt interdum seipsos, hoc est, pristinos suos mores quærant, & non inueniant; & veteres animi motus, variasque cupiditates (à quibus molestissimè antea vexabantur) euanuisse & quodammodo aufugisse cernentes, non sine magna admiratione illa

Psal. 113. Prophetæ verba vsurpare soleant: Quid est tibi mare, quòd fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Certè à facie Domini turbulenti animi me fluctus & vndæ fugerunt: à facie Domini cor meum immutatum est. Quemadmodum

Simile. ergo cum paruulo filio iter faciens pater, vbi fortè vel ad flumen aliquod, vel difficilem ad transeundum locum ventum est, humeris aut gremio impositum filium secum transfert (quo fit, vt minori negotio per asperam quàm per planam viam paruulus gradiatur; illam enim alienis humeris, hanc autem pedibus suis conficit) ita planè quæ in virtutis via magis ardua sunt, Deus ipse tamquam pius pater in nobis (non tamen sine nobis) speciali quodam auxilio operatur (vt pote qui quasi nutritius Ephraim nos in humeris suis portet) faciliora verò nobis, nec tamen sine ope sua, peragenda committit. Quo fit interdum, vt qui maiora impedimenta facilè superant, minora difficiliùs

Gregor. possint. Quod pia Dei dispensatione fieri D. Gregorius ait: vt apertè pij homines hoc indicio videant, se maiora illa Dei auxilio vicisse, cùm difficulter ipsi minora quædam superare valeant.

Quid, quòd pericula nostra, & impedimenta virtutis idem ipse præuenit, vt sine vlla offensione per viam iustitiæ gradiamur? Sic enim apud Isaiam præcipit: Transite, transite per por-

Esai. 62. tas, præparate viam populo; planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate signum in populos: nempe vt per expeditam & facilem iustitiæ viam omnes incedant. Hoc enim diuinæ gratiæ munus est, & vires atque robur inuictum piorum mentibus tribuere, & offendicula de via tollere, in quæ pius homo posset impingere.

impingere. Quam rem apertè Dominus in itinere, per quod filios Israel in terram promissam duxit, adumbrauit: sic enim legimus: Igitur cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam Philisthijm, quæ vicina est; reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere; sed circumduxit per viam deserti, quę est iuxta mare rubrum. Simili ergo prouidentia Dominus erga eos vtitur, quos ex spirituali Aegypto, hoc est, ex huius mundi tenebris liberat, vt ad promissam cælestis patriæ terram perducat. Qua ex re liquet, quantum salutis nostræ auctori debeamus, qui non modò præmium iustis laboribus tribuit, sed robur etiam ad ferendos labores addit, & omnia iustitiæ impedimenta misericorditer tollit. Sic olim Ioseph fratribus in Aegyptum ad emẽdum triticum profectis non modò frumentum in cibum dedit, sed etiam pecuniam, qua frumentum emebatur, in ore saccorum includi iussit: vt hoc symbolo admoneremur, Ioseph nostrum, mundi Saluatorem, & panem Angelorum, hoc est, cælestem gloriam, & pecuniam, qua hic panis emitur, hoc est, diuinæ gratiæ opem, nobis donare. Qui enim gratiam & gloriam donat, an non & frumentum, & pecuniam, qua frumentum emitur, donat? Hoc est igitur quod cælesti virtute reuolutus ab ostio monumenti superna virtute lapis insinuat. Sequitur deinde: Exod. 13.

II.

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida: & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc. Sed ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Cur hoc in loco singularis Petri sit mentio, cùm cęteri eius socij communi discipulorum nomine designentur; præsertim cùm Petrus cæteris fœdiùs in passione corruerit? Alij enim fugerunt, Petrus etiam negauit. Certè ob hoc ipsum quòd grauiùs deliquit, oportebat illi animum addere, & in spem erigere, diffidentiamque omnem adimere. Peccatum enim robur animi frangit, & ad imum vsque mentem deijcit. Vnde est illud: Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens stabit. Petrus ergo infidelitatis & præsumptionis suæ conscius (qui cùm se cæteris constantiorem prædicaret, cæteris fœdiùs deliquit) qua fronte ante Domini conspectum apparere poterat, qui illum paulo antè negauerat? Si enim Publicanus ille ex Euangelio nec oculos ad cælum attollere audebat; quomodo Petrus, qui grauiùs deliquerat, oculos suos ad Dominum sustulisset, nisi singulari hoc fauore animatus fuisset? Hoc igitur Dominus non solùm lachrymis eius, sed etiam infirmitati tribuit, quæ hoc erat honore confirmanda. Hoc enim modo Prou. 18.

infir-

infirmiora Ecclesiæ suæ membra tractare frequenter Dominus solet: vt sæpe tribuat infirmitati quod meritis non debetur. Ideoque præuenire in benedictionibus dulcedinis incipientes solet, ne, si spiritualibus delicijs destituantur, deficiant in via, & ad solitas carnis voluptates reuertantur. Quæ quidem gratia pusillanimes vehemẽter excitare deberet, vt, omni laboris atq. difficultatis metu posito, ad illum currerent, quem ad se benignè excipiendos, & dulcedinis suæ calice potandos paratum inuenient. Huc accedit quòd Petrus non ex malitia, vt Iudas, sed ex infirmitate deliquit. Tria enim peccatorum genera esse Theologi statuunt, quæ contra tres beatissimæ Trinitatis personas militant. Primum ex infirmitate contra Patrem, cui tribuitur potentia: secundum ex ignorantia contra Filium, cui assignatur sapientia: tertium ex malitia contra Spiritum sanctum, cui adscribitur bonitas. Et priora quidem duo peccatorum genera faciliùs condonantur, tertium verò difficiliùs. Ideo non mirum si Iudas, qui deliquit ex malitia, damnatur, Petrus verò, qui infirmitati succubuit, misericorditer ad pœnitentiam vocatur. Præterea Petrus celerrimè à peccato surrexit: vix dum enim negationis verba ab ore exciderant, cùm amaræ pœnitentiæ lachrymæ ab oculis eius exciderunt: gallo enim concinente, & Domino in illum misericordiæ suæ oculos conijciente, egressus foras, fleuit amarè. Huiusmodi autem scelera, quibus statim pœnitentiæ medicamento succurritur, faciliùs sanantur: cùm interim inueterata & putrida (quæ Propheta lamentatur cùm ait, Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ) difficillimè curentur. Scriptum est enim: Languor prolixus grauat medicum: breuem languorem præscindit medicus.

Psal. 37. Eccli. 10.

Simile. Atramenti guttæ supra candidam vestem decidentes, si statim abluantur, protinus delentur: quod diu hærentibus & vetustis minimè contingit. Quamobrem quidam ex sanctis Patribus monet, vt, si millies in die lapsi fuerimus, millies itidem resurgamus: illi videlicet misericordiæ fidentes, quæ Petro septuagies septies peccanti ignoscere præcepit. Si hoc enim ab humana bonitate exigitur, quanto maius erit quod à diuina bonitate sperandum sit.

Adde etiam quòd hac ratione Dominus singularem veræ pœnitentiæ virtutem declarare voluit, quæ interdum maxima doloris vi ad altiorem dignitatis gradum verè pœnitentes attulit. Quod Petro contigisse credendum est: qui amarissimis illis lacrymis maiorem fortasse gratiam quàm antè habuerat, consecutus est. Si enim (vt Saluator ait) ex duobus debitoribus, quibus æs alienum à creditore dimittitur, plus diligit cui plus dimissum est; quid mirum, si plusquam cæteri Petrus

Simile.

Dominum

Dominum dilexerit, cui plus ab ipso donatum est? Plus autem illi donauit, quem peccantem protinus misericordiæ oculis aspexit, eiusq; singularem modò mentionem fieri voluit (quodque mirabilius est) illi etiam ante alios resurgens apparuit. Duo enim discipuli ab Emmaus regressi, inuenerũt cõgregatos vndecim dicentes: Quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Hunc autem dilectionis ardorem Petrus ostendit, quando in mari cum cæteris discipulis retia laxans, Dominum in littore stantem vidit. Adeò enim eius videndi desiderio incensus fuit, vt se in mare proijceret, cùm cæteri discipuli nauigio venerint. Tantus enim in eius pectore charitatis ardor æstuabat, vt longam moram putaret, remorum impulsu ad Dominum venire? cùm paulo celeriùs ad illum enatando posset accedere. Longè enim aliter Deus atque homines errata condonare solet. Vir si adulteram vxorem post admissum scelus in gratiam receperit, vix vnquam pristini erroris memoriam deponit, neque satis eius virtuti & integritati fidit: at misericors Dominus verè pœnitentium peccata post tergum suum (vt sanctus ille Rex aiebat) proiicit. Hæc igitur omnia nobis Angelus Domini insinuauit, cùm sanctis feminis ait; *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, &c.* Simile.

Sed quid est quod statim subdit, *Quia præcedet vos in Galilæam?* Quid enim sibi vult, quòd tanto consensu Euangelistæ, atque adeo ipse Dominus resurrectionis suæ sacramentum in Iudæa celebratum, in Galilæa videndum prædicet, præsertim cùm is eo ipso die quo excitatus est, & sanctis mulieribus, & Apostolis in vnũ congregatis, & duobus discipulis in Emmaus pergentibus, & sæpè aliàs in variis Iudææ locis visus sit? Hoc certè mysterio vacare non potest: cùm & anteà toties prædictum, & posteà fuerit impletum. Quod quoniam in littera minùs inuenimus, necesse est vt in spiritu requiramus. Quod ergo Dominus alibi quidem crucifixus, alibi excitatus agnoscitur, fortassis hoc significat, quòd alibi passionis ignominia, alibi resurrectionis gloria prædicanda erat: quoniam is in Iudæa erat crucifigendus, sed in Gentibus adorandus. Quod Paulus ad Iudæos quosdam prędicationi eius obsistentes apertè significauit his verbis: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Iudæi igitur Domini crucem cogn ituri erant, in qua scandalum paterentur: Gentes verò resurrectionis eius gloriam, per quam ad salutem vocarentur. Hoc igitur Galilææ nomen, quòd transmigrationem sonat, innuere videtur: qua designatur resurrectionis Dominicæ fidem aliò ex Iudæa trans- Actor. 13.

transmigrare debere: quemadmodum ipse Dominus testatur,
Matth. 13 cùm ait: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ad hæc, non dubito illud etiam huius nominis interpretatione significari, nempe eos qui spiritualiter in Galilæam profecti fuerint, hoc est, qui ab improbitate ad pietatem, & ab iniquitate ad iustitiã transmigrauerint, ad percipiendam Dominicæ resurrectionis fidem maximè idoneos esse. Nulli enim magis mysteriorum Christi veritatem & virtutem agnoscunt, quàm qui illorum in se vim & efficaciã experti sunt. Exemplo nobis erunt mirabiles quorundam Sanctorum conuersiones (quales D. Cypriani, & Augustini, & multorum aliorum exstitere) in quibus homines miro quodam modo sic in alium mentis habitum transformati sunt, vt omni penè vetustate deposita, & in nouam transeuntes creaturam, illud
2. Cor. 5. Apostoli dicere potuerint: Vetera transierunt, facta sunt omnia noua: noua lux, nouus amor, nouus timor, noua fiducia, noua vita, noua desideria, noua opera, noui affectus, noui sensus, noua gaudia, omnia denique noua. Amant quæ anteà oderant, oderunt quæ priùs perditè amabant: cupiunt quæ anteà fugiebant; fugiunt, quæ anteà sitienter appetebant: voluptati illis sunt spiritualia atque diuina, quæ anteà fastidio erant: imperant affectibus, quibus anteà seruiebant: & carnem cum vitiis & concupiscentiis suis crucifigunt, quam deliciis priùs ac omni cura & studio fouebant. Qui ergo se ita immutatũ videt, qui veterem hominem suum requirit & non inuenit, sed alium quodammodò pro eo resurrexisse miratur; an non hic facilè credet potuisse à mortuis excitare corpus suum, qui sic potuerit excitare hominis spiritum?

Neque enim minorem ad animarum, quàm ad corporũ resurrectionem potentiam requiri Paulus ad Ephesios testatur,
Ephes. 2. cùm Deum orat, vt mentes eorum illuminet, quò intelligant, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nobis, qui credidimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis. Ea igitur virtus, quæ potest mortua corpora ad vitam reuocare, potest etiam mortuas in peccatis animas in nouam vitam animare. Quicumque igitur sic in Galilæam perrexerunt, hoc est, qui sic in personam aliam migrauerunt, & in nouam creaturam ex veteri trãslati sunt, facilè resurrectionis suæ argumento Dominicæ resurrectionis mysterium amplectuntur. Qui verò nondum in Galilæam profecti sunt, hoc est, qui nondum à vetustate sua ad cælestis huius vitæ nouitatem transmigrarunt, sed in veteribus peccatis mortui semper iacuerunt, vt resurrectionem suam non agnoscunt, ita difficiliùs Dominicam credunt.
Hoc

Hoc enim vel præcipuum maximeque notandum inter corporis & animæ mala discrimen est: quòd mala corporis tūc præcipuè sentimus, cùm patimur, non cùm euasimus. Mulier enim cùm parit, tristitiā habet, quia venit hora eius: sed cùm peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium. Cæterùm animæ mala, hoc est, peccata, ferè non agnoscimus, cùm admittimus, imò verò nonnunquam in illis etiam gloriamur: tunc verò illorum vim & damna sentimus, cùm ea beneficio Domini euasimus, eorumque deformitatem Spiritu docente videmus. Quemadmodum enim qui intempesta & caliginosa nocte iuxta præcipitium aliquod, vel hiatum terræ altissimum iter facit, imminens eius loci periculum tunc temporis non aduertit, quia non videt; aduertit autem, cùm iterum per eandem viam interdiu regreditur (tunc enim periculi magnitudinem, quod euasit, miratur & obstupescit) ita planè cùm homo diu in peccatis agens in tenebris obscurissimis versetur, miseriam quidem & periculum suum eo tempore non agnoscit; agnoscit autem, cùm peccati tenebris discedentibus diuinæ gratiæ lumen recipit; tunc enim præteritorum malorum miseriam apertè videt. Quisquis enim in peccatis obstinatus est, vt cæcus nihil videt, vt mortuus nihil sentit: imò verò malis suis oblectatur, quibus vt gratissimis contubernalibus diu noctuque familiariter vtitur. Quòd si illum vrgeas, si instes, si clames, & peccati deformitatem ante oculos ponas, frustrà penè lucernam cæco adhibes vt videat, frustrà mortuū vellicas vt resurgat, nisi omnipotenti virtute sua Deus illi adsit, qui cæco lumen præferat, mortuoque vitam restituat. Cùm verò ita excitatus & illuminatus est, tunc demum & peccati mortem ac fœditatem, tunc pristini status infelicitatem, & tenebrarum suarum horrorem intelligit, atque diuinæ pietatis (quæ tanto illum munere donauit) beneficium sentiens, lætatur simul & contremiscit: illud propter salutem quam recepit, hoc propter periculum quod euasit. Hoc enim affectu D. Augustinus, à morte ad vitam Domini opere reuocatus, aiebat: Serò te cognoui lumen verū, serò te cognoui. Erat enim nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ, quæ faciebat vt veritatis lumen videre nō possem. Serò cognoui te veritas antiqua, quia cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. At tu illuminator meus non te quærentem quæsisti, non vocantem vocasti: tu intonasti voce grandi, dicens; Fiat lux in interioribus cordis huius, & facta est lux, & discessit nubes magna & tenebrosa, quæ operuerat oculos meos: & vidi lucē tuā, & cognoui tenebras in quibus fuerā, & expaui, & dixi: Vę vę tenebris meis in quibus iacui: væ cæcitati, qua videre non poteram lumen cæli;

Dissimil.

Ioan. 16.

Simile notādum.

August. in Medit.

cæli; væ ignorantiæ præteritæ, qua non cognoſcebam te Domine illuminator meus.

Hactenus Euangelicam lectionem expoſuimus, fratres. Reliquum eſt vt concionis huius finem principio coniungamus. Diximus enim in exordio (ſi meminiſtis) reſurgente Chriſto, ſpem, ſalutem, & felicitatem noſtrã cum illo ad vitam redeunte ſimul reſurrexiſſe. Pater enim cæleſtis (vt Apoſtolus ait) cum illo conuiuificauit nos, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus. Vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: vbi caput noſtrum fuerit, ibi & membra collocabuntur. Quantum verò huius tantæ felicitatis ſpes viua pios omnes ad omnem virtutis laborem exſuſcitet, quantumque illis in omni calamitate conſolationis & patientiæ tribuat, nulla oratio explicare ſatis poterit. Cuius rei cùm multa afferre exempla poſſem, vnum tantùm Iob in medium proferam. Quid enim ſanctiſſimum hunc virum in ſterquilinio ſedentem, niſi hęc eadem fides & ſpes inter acerbiſſimos corporis dolores conſolata eſt? Quod quidem reſurrectionis myſterium vir ſanctus ſic amplificat & prędicat, vix vt vllis verbis potuerit magis prędicari. Sic enim ait: Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei: quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Iam videtis exordij maieſtatem. Quis enim vnquam talem animo ſententiam concepit, quam tam ardenti deſiderio voluerit ad poſteritatis memoriam litteris indelebilibus conſignari? Hoc enim deſiderium illa eiuſdem verbi repetitio innuit: Quis mihi tribuat? quis mihi det? Verùm nec hoc communi ſcribendi more cõtentus, alium ſtylum, aliam chartam expoſcit, nempe ſtylum ferreum, & plumbi laminam, vel ſilicem: vt videlicet in omni æternitate ea ſententia mentibus hominum infixa permaneret. Quod igitur, vir ſancte, arcanum? quod myſterium hoc eſt, quod ſic poſteritati commendatum eſſe cupis? Eſt ne ingens alicuius theſauri in abdito terræ loco conditi oſtenſio? aut ſimile aliquid, quod humana mens ardentiſſimè concupiſcat? Eſt planè ſummi & incomparabilis theſauri exhibitio. Quale hoc? ſubdit protinus rem non minùs ad credendum difficilem, quàm hominibus beneficam & ſalutarem. Scio, inquit, quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius: & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. O aurea verba! ô admirandam ante Legem & Euangelium fidem! ô ſalutarem ſpem! ô nouum & hactenus nunquam ita explicatum mundo myſterium! Et ne quis nouitate rei ductus,

Ephes. 2.

Iob 19.

de sententiæ sensu dubitaret, videte quoties eãdem sententiam aliis atque aliis verbis idem pollentibus efferat: In nouissimo, inquit, die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea. additque, Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Neque his contentus, adiungit: Quem visurus sum ego ipse, & non alius; & oculi mei conspecturi sunt. Quid apertius, quid significantius dici potuit? Quis te, ô vir sancte, hanc philosophiam ante legem docuit, quam sub lege Sadducæi etiam non agnouerunt? Quas Athenas, quam, quæso, Academiam petisti, vt hanc philosophiam disceres? Nam Athenis sententia hæc, Paulo prædicante, explosa fuit & irrisa. Tota enim philosophia aduersus hoc fidei dogma reclamat: quæ impossibile esse ait, idem numero, vbi fuerit corruptum, redire. Non me, inquiet, academia vlla, non sensus, non ratio, non vlla humana facultas atque doctrina, sed fides sola docuit, quam Deus optimus menti meæ instillauit. Hac igitur fide, hac spe se vir sanctus inter tot calamitatum fluctus ita cõsolabatur, vt tot malis penè obrutus, nullum aduersus Dei prouidentiam indignum verbum protulerit. Itaque vir ille magnus inter omnes Orientales, diues pecoris & argenti, amissis opibus, abactis gregibus, excisa domo, famulis in captiuitatem abductis (quodque luctuosius est) filiis omnibus ad vnum extinctis, totoque corpore saucio, & à vermibus exeso, sedebat in sterquilinio, vbi testa saniem radebat. Quæro igitur abs te, vir sancte, quibus te rationibus inter tot calamitates quæ te vndique circumuallant, inter tot vermes qui carnem tuam exedunt, inter tot cogitationes quæ mentem tuam discerpunt, quæque noctem tibi in diem vertunt; quæro, inquam, quibus te rationibus consolaris? quonam modo pristinam adhuc fidẽ & amorem in Deum retines, cùm is innocentiam tuam tot modis vexari permiserit? Nihil aliud, fratres, quàm quod audistis, respondebit: Credo quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c. Hac spe labantem animum fulcio; hac spe dolorum meorum acerbitatem lenio: futurorum quippe bonorum expectatione, præsentium malorum molem sustineo. Hæc igitur spes me inter tot mala consolatur: quam ego (quò magis illa animum meum foueam atque reficiam) non inter schedulas meas, non in arca, sed in corde meo conditam seruo. Reposita est enim hæc spes mea in sinu meo. Vbi enim vulnus hæret, ibi antidotum colloco. Videtis ergo, fratres, vel hoc vno exemplo, quantum resurrectionis fides ad malorum omnium leuamentum conferat? Quocirca meritò Plutarchus Plutarch. Epicurum obiurgat, quòd cùm is vna voluptate summum hominis bonum definierit, immortalitatis tamen spem sustulerit,

quæ ſummum in hac vita piorum ſolatium, tutiſſimumque laborum omnium perfugium eſt. Hac enim ſpe ſublata, omnem veræ ac ſolidæ voluptatis materiã è vita veſanus homo ſuſtulit.

Nec minùs etiam fides hæc ad omne virtutis ſtudium, quàm ad malorum ſolatium adiuuat. Hinc vbi Apoſtolus multis ac maximis rationibus reſurrectionis myſterium comprobaſſet, fideles omnes protinus ad omnem pietatis & iuſtitiæ laborem exſtimulat his verbis: Itaque, fratres, ſtabiles eſtote, abundãtes in omni opere Domini, ſcientes quòd labor veſter nõ eſt inanis in Domino. Contrà verò, ſi hæc ſpes hominibus adimeretur, quid inde conſequi neceſſe erat, niſi quod idem Apoſtolus continuò ſubdit, Si ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi (hoc eſt, quantum homini poſſibile fuit) ad beſtias (hoc eſt, ad feros & immanes homines) pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. Denique ait: Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Hinc D. Chryſoſtomus: In omni re aut actu virtus agendi ſpes eſt futuri. Qui enim arat, arat vt metat: qui pugnat, pugnat vt vincat. Et poſt pauca: Tolle ergo ſpem reſurrectionis, & reſoluta eſt obſeruantia omnis pietatis. Huius ergo tantæ ſpei ſtimulis agitati, fratres, ad propoſitum nobis æternæ felicitatis brauium alacriter curramus: neque hanc temporis oportunitatem, numquam iterùm poſt hanc vitam redituram, abire vacuam ſinamus. Non nos exigui temporis labor terreat, quod ęterna mercede penſandum eſt: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quam nobis concedere dignetur Chriſtus Ieſus, qui cum Patrę & Spiritu ſancto regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

1. Cor. 15.

Super Matth. c. 21.

Ad Lectorem.

In tribus his concionibus, quæ proximè ſequuntur, amice Lector, eam ſentẽtiam ſuo loco tractamus, quę lectionis Euangelicæ caput eſſe videtur, videlicet: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Sed ne cùm eadem de re dicimus, idem minùs oculato lectori dicere videamur, animaduertendum eſt, nos vbique arduam eſſe virtutis viam oſtendere; quocircà ducem ac Regem noſtrũ per eam ingredi oportuiſſe, quo nobis exemplo ſuo & iter in cęlum oſtenderet, & ad itineris laborem animum adderet. Et in prima quidem concione, arduam eſſe virtutis viam, ex eiuſdem virtutis natura probamus: quam circa difficilia verſari, Philoſophi docent. In ſecũda verò idem colligimus ex aſſiduis dæmonis, mundi, ac præcipuè car-



carnis nostræ tentationibus, variisque huius vitæ calamitatibus. In tertia autem concione Christum Dominum in perfectissimæ sanctitatis exemplar nobis propositum esse declaramus; perfectam verò sanctitatem in eo positam esse, vt altera nostri parte, nempe carne, proculcata ac penè mortua, solo spiritu viuamus, & cælestem in terris positi vitam meditemur. Cùm verò genus hoc vitæ instar spiritualis cuiusdam martyrij sit, cõuenientissimum fuisse ostendimus, vt dux noster seipsum nobis in absolutissimum fortitudinis & patientiæ exemplum proponeret, nosque ad omnem laborum tolerantiam exemplo suo animaret. Quæ res paulo fusiùs à nobis in eadem tertia concione explicatur.

FERIA SECVNDA PASCHÆ CONCIO PRIMA: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur.

THEM. *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* Lucæ 24.



MNIA huius sacratissimi temporis festa, fratres charissimi, in hoc potissimùm ab Ecclesia instituta sunt, vt hisce diebus fideles tantorum mysteriorum contemplationi vacantes, & pro tantis diuinæ bonitatis beneficiis vniuerso generi humano impensis gratias agentes, se totos eius obsequio tradant, cuius benignitate seruati atque redempti sunt. Constat enim, moriente Christo, peccata nostra, veteremque hominem cum illo mortuum fuisse; ac eo resurgente, iustitiam, vitam, & salutem nostram simul resurrexisse: vt non nobis, sed illi soli viuamus, cuius beneficio & peccata nostra expiata, & mors mortua, & vita reparata est. Cùm Dauid de manu Regis Achis singulari Dei beneficio & prouidentia seruatus esset, illum Psalmum edidisse dicitur, cuius initium est, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quia enim (vt D. Basilius ait) vir sanctus intelligebat se Dei dono vitam recepisse, eiusdẽ se vitæ, quam receperat, debitorem agnoscens, ipsam prædicandis eius laudibus consecrabat. Si ergo per Christi mortem & resurrectionem à tyrannide principis mundi, & æterna morte liberati sumus; cur non vitam ipsam eius obsequio mancipemus, qui nobis eam reddidit morte sua? Cur non simili studio & affectu cum eodem Propheta

Psal. 33.
Basilius.

dicamus, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo: vt illum semper laudem, cuius munere semper viuo? Constat etiam, Christum Dominum morte ac resurrectione sua Ecclesiam æterno sibi amoris vinculo copulasse, & in sponsam delegisse. Cuius ergo obsequio se fidelis
Rom. 7. anima, nisi sponsi sui, mancipare debet? Id autem Apostolus hoc argumento ita colligit: Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui à mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo. Huius autem argumenti summa est: Vetus olim lex nobis ante mortem Christi velut quidam vir erat, cuius præceptis & imperio parebamus, cuius promissis venturum Saluatorem sperabamus, cuiusque amori & studio addicti eramus: vbi verò Christus Dominus mortuus est, lex, quæ venturum illum ac moriturum figurabat, iure cum eo pariter mortua est: ne, si posteà seruaretur, venturum significaret qui iam venisset. Mortuo ergo veteri viro, nouo nupsimus, Christo, qui Ecclesiæ sponsus est. Quid ergo ex his cōficitur, nisi vt huic soli dilectissimo sponso viuamus, illi in bonis operibus fructificemus, eius præceptis pareamus, illum super omnia diligamus, ab illo omnia expectemus, propter illum, patrem & matrem, cæteraque omnia relinquentes, illi adhæreamus, & vnum cum illo per fidem & charitatem efficiamur? Quod planè Apostolus ita
Rom. 4. esse faciendum admonet, cùm ait: In hoc Christus mortuus est, vt viuorum & mortuorum dominetur; vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Quia enim ipse morte sua (cuius debitor non erat, qui non peccauerat) debitam omnium mortem sustulit: iustum est, vt, qui beneficio & morte illius viuunt, non iam sibi, sed illi viuant. Cuius rei gratia omnia pecudum sacrificia in morte sua cessare voluit, vt hoc symbolo innueret, se iam non pecorum sacrificia velle, sed hominum. Cùm autem is per Prophetam dixerit se hominum morte non delectari, relinquitur (quemadmodum
Bernard. Diuus Bernardus ait) vt vitam velit, hoc est, vt corpus & animam & omnes animæ vires in illius obsequium expendamus, illum semper oculis, illum mente atque animo circumferentes, cæteris omnibus, quæ nos ab eius dilectione auocant, valere iussis.

I.

Hoc ipsum autem in hodierna sancti Euangelij lectione duo

duo discipuli in Emmaus pergētes nobis repræsentant: qui tanto præceptoris sui amore flagrabant, tantoque passionis eius dolore perculsi erant, vt in itinere gradientes, hoc solum loquerentur, hoc cogitarent, hoc inter se cum magno animi mœrore tractarent. Vehemens enim erga magistrū charitas, quæ æstuabat in corde, abundabat in ore. Quanto aliter nos facimus, qui vix dum finita Domini passione, protinus & dolorum eius & propositi nostri obliuiscimur, totósque nos intemperantiæ & seculari lætitię tradimus, immemores planè, quantis cruciatibus, quantísque doloribus voluptates nostras Saluator ipse diluerit. At hi, mortuo iam atque sepulto Domino, eundem dilectionis atque mœroris affectum retinebant, atque ita in itinere suo pergentes, loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ in eius passione acciderant.

Factum est autem dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Delectatus quippe piis eorum affectibus Dominus, & ignorantiam miseratus, voluit eos benignè comitari, blandè cōsolari, prudēter instruere, & in fidē resurrectionis suæ confirmare. Et quemadmodum Magdalenæ in specie olitoris, ita his apparuit in habitu peregrini: vt videas quot subinde facies cælestis hic magister commutet, vt variis nos modis erudiat, & salutem nostram commodiùs operetur. Omnia enim hæc, charissimi, propter nos. Ait igitur ad illos:

Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Quid igitur? An non tu Domine Hierosolymis aderas, cùm hæc, quæ discipuli memorant, gererētur? An oblitus forsitan es alaparum, vinculorum, verberum, sputorum, clauorum, vulnerum, fellis & aceti quod hausisti, & crucis quam pertulisti? Minimè sanè; sed tamen hæc à discipulis meis commemorari volo, quia beneficia mea in ore eorum versari gaudeo. Itaque tota illa discipulorum narratio *de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, & quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes & Principes in damnationem mortis*, suauissima illi fuit. Amator quippe salutis nostræ tantis suis beneficiis gratos nos esse magnopere cupit, non vtique beneficia sua grati animi pretio vendens, sed gratitudinis nostræ merito augere desiderans. Hunc autem gratū animum, & beneficiorum memorem, olim Dominus à filiis Israël propter longè minora beneficia expetebat, cùm in Lege præciperet, vt ex cunctis frugibus terræ quotannis primitiæ ei offerrentur, & in earum oblatione vetera beneficia illi populo exhibita commemorarentur. Sic enim ait: Cùm intraueris terram quam Dominus Deus tibi daturus est, tolles de cūctis fru- Deut. 26.

gibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, accedesque ad Sacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum; Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis. Suscipiensque Sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui; & loquêris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Aegyptum, & ibi peregrinatus est in paruo numero, creuitque in gentem magnam ac robustam. Afflixeruntque nos Aegyptij, & persecuti sunt, imponentes onera grauissima: & clamauimus ad Dominum Patrum nostrorum, qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem nostram, & eduxit nos de Aegypto in manu forti & brachio extento, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus Deus dedit mihi. Videtis, fratres, quāta cura Dominus voluerit beneficiorum suorum etiam minimorum memoriam perpetuò retineri? Qua in re illud diligentissimè adnotandum est, quòd quemadmodum omnia nouæ legis beneficia priùs in lege veteri figuris adumbrari voluit, ita nouorum beneficiorum gratitudinem veterum gratitudine voluit figurari.
Exod. 11. Cùm enim Dominus propter primogenitorum Aegypti mortem, omnia filiorum Israël primogenita lege perpetua requirebat: quid aliud volebat, quàm vt intelligeremus quid à nobis pro Vnici sui morte exigeret, qui pro inimicorum suorū morte omnia primogenita postulabat? Cùm verò quotannis propter liberationem ab Aegyptiaca seruitute septem diebus azymum panem manducari, & Pascha celebrari præcepit; quid aliud volebat, quàm vt huius tanti festi solemnitate admoneremur, quas ei gratias pro liberatione ab æterna morte, & à diaboli tyrannide agere deberemus, qui tantum pro liberatione à temporaria captiuitate debebamus? Cū verò hoc in loco propter fructus terræ, quos brutis animantibus, quos vermiculis ac formicis, quos denique idololatris & infidelibus abundè suppeditat, tantam grati animi significationem requirit; quid aliud quàm docere nos voluit, quo studio, quo affectu illum propter sacram Eucharistiæ mensam, cæteraque nouæ legis sacramenta (quibus animæ nostræ aluntur & conseruantur) laudare & colere debeamus? Ad hunc ergo modum diuina sapientia (quæ suauiter disponit omnia) paulatim homines à minoribus ad maiora assuefacere & promouere solet. Quod verò Dominus tantopere gratū animū à nobis exigit; nōn auaritiæ, sed summæ potiùs largitatis & charitatis est. Hoc enim facit,
Dissimil. vt ob grati animi officiū vetera beneficia nouis cumulet. Reges enim

enim terræ collata beneficia subditis commemorant, vt noua ab illis obsequia exigant, seruitium pro beneficio postulantes. Rex verò cælestis qui dando non amittit, & spargendo nõ perdit, ea liberalitate est, vt dandi causam computet, quòd antè dederit; & gratiam pro gratia rependens, propter vetera beneficia noua largiatur. Quod sancti intelligentes, cùm noua ab eo dona petunt, vetera commemorant. Sic Esaias, Domine, inquit, dabis pacem nobis. Quamobrem? Quia, inquit, omnia opera nostra operatus es in nobis. Quapropter ad te in præsenti tempore cõfugimus, quem tam liberalem & magnificum olim experti sumus: vtpote qui ita nobis affuisti, vt omnia opera nostra operareris in nobis. Sic sanctus Ezechias, dum vitam à Domino peteret, præterita bona opera sua enumerat, dicens; Obsecro Domine, vide quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod rectum est in oculis tuis fecerim. Cur, ô sancte Rex, merita tua ante Dominum allegas, cùm satius esset inopiam & miseriam tuam amplificare: quemadmodũ sancti in precibus suis facere solent, qui mendicorum more inopiam & egestatem suam exaggerant, vt misericordiã Domini magis prouocent? Ad hoc autẽ D. Gregorius respõdet, sanctum Regẽ hoc in loco non tam merita sua, quàm Dei munera allegasse: quòd probè nosset, merita sua diuinæ misericordiæ fuisse dona. Quidquid enim honestè cogitamus, quidquid piè gerimus aut molimur, eius donum & beneficium est. Quod D. Augustinus explanans verbum illud; Qui coronat te in misericordia & miserationibus; testatur his verbis: Nũquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur de quo dictũ est, Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate; ideò dixit Psalmista, Qui coronat te in misericordia & miseratione: quia eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Rursumque idem prudentissimè & breuissimè ait: Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ nõ debetur, præcedit vt fiant. Cùm igitur hoc sanctus ille Rex intelligeret, qui tot anteà beneficiis à Domino auctus & ornatus fuerat, hoc etiam nouo beneficio cumularĩ petit, vt, vita lõgiori concessa, prædicandæ eius misericordiæ spatia haberet longiora. Vnde ait: Domine saluum me fac (id est, vitam longiorem cõcede) & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. Ad hoc enim vitam cupio, ad hoc postulo, quia toties numen tuum salutare & proprium expertus insatiabili quodam prędicandi laudes tuas desiderio teneor. Scio quippe nihil esse iustius, nihil pulchrius, nihil suauius, quàm te benignissimum hominum amatorem, & largissimum

Esaiæ 26.
4. Reg. 20.
Psal. 104.
August.
Idem.

mum benefactorem ardentissimo amore laudare, & cum Pro-
Psal.70. pheta dicere: Repleatur os meũ laude, vt cantem gloriã tuam,
tota die magnitudinem tuam. Sed iam ad sequentia veniamus.

Cùm ergo Dominicæ passionis historiam discipuli ita commemorassent, vt tamen de Resurrectione Domini & Redemptione mundi dubitarent: piè Dominus aduersus illos sæuiens, *O stulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Meritò tarditatis & stultitiæ arguuntur, qui indignum Redemptorẽ mundi esse credebant, quòd esset passus & mortuus, quòd supplicio crucis affectus: cùm eo magis ab hominibus coli & amari debuerit, quo eis & maiora præstiterit, & Gregor. indigniora pertulerit. Rectè enim D. Gregorius, Tanto, inquit, Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quanto pro hominibus indigniora suscepit. Alioqui (vt eleganter Euseb. Emiss. Euseb. Emiss. ait) ferina immanitas est, Deum æstimare minorem, quia maiora contulit; & ideò à te minùs accipiat honoris, quia plus contulit dignitatis.

Hæc autem pia Domini aduersus discipulos indignatio inæstimabilem eius erga genus hominum charitatẽ declarat. Bis enim legimus eum in Euangelio aduersus discipulos grauiter Matth. 16 commotum: semel quidẽ aduersus Petrum, cùm is eum à supplicio crucis (in quo salutis nostræ mysteriũ agebatur) reuocare niteretur: tunc enim Satanam illum appellauit, quòd tamen hominis bonum nesciẽs impedire vellet: & iterùm hoc in loco, cùm hos discipulos stultos, tardos, & incredulos vocauit, quòd hoc redemptionis & salutis humanæ opus ab eo peractum non crederẽt, cùm nihil immensæ eius charitati asperũ aut ignominiosum esset, quod modò ad salutem nostram expediret. Vtraque verò indignatio, præterquam quòd iustissima erat, amoris etiam & pietatis (vt diximus) clarissimum argumẽtum exstitit. Adeò enim salutem nostram sitiebat, vt nihil ei esset acerbius, quàm illum ab hoc opere reuocare, nihil contumeliosius, quàm opus hoc ab eo peractũ esse nõ credere. Hæc enim summa eius gloria, summus honor, summa dignitas fuit: à qua Iesu, hoc est, Saluatoris clarissimum sibi nomen assumpsit, & in quo potissimùm gloriatur. Hinc apud Isaiam hãc præcipuam sibi gloriam Isaiæ 45. tribuit, cùm ait: Deus iustus & saluans non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis, omnes fines terræ.

Increpata igitur discipulorum tarditate, subdit deinde: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Cur quæso, Domine hoc oportuit? Hoc enim est de quo potissimùm discipuli dubitant. An non multæ aliæ rationes generis humani seruandi, absque dirissimo crucis supplicio, tibi suppetebant? Quid enim impossibile omnipotenti? quid non facilè rerum
omnium

omnium Domino? Nihil planè. Verùm numquam is quid possit, sed quid maximè deceat & expediat, in operibus suis attendit. Vt autem, quantum hoc ad salutem nostram fuerit expediens, intelligi possit, proponamus nobis ante oculos ad quid potissimùm in hunc mundum venerit Christus. Hoc autem luculenta sanè oratione exponit Apostolus his verbis: Apparuit Tit. 2.
gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiēs nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo, expectātes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. His verbis Apostolus totum penè Dominicæ passionis Sacramentum exposuit. Hinc enim colligimus, in hoc venisse Dominum Iesum, non solùm vt morte sua peccatum & mortem aboleret, sed etiam vt ductu & exemplo suo nos per pietatis & iustitiæ semitas ad felicitatis æternæ gloriam perduceret. Virtutem verò esse certissimam & vnicam ad felicitatem viam, Philosophi etiam ipsi testantur: quam tamen variis difficultatibus ac laboribus implicitam esse confitentur. Vbi enim nulla difficultatis ratio est, virtus locum habere non potest. Ad ea enim ad quæ naturæ ipsius impulsu quodam incitamur (vt ad nostri ipsorum ac filiorum amorem, eorumque educationem & curam) cùm natura sufficiat, quæ nos ad hæc ipsa prestanda impellit, virtutis habitum non requirimus. Ad ea verò ad quæ natura lapsa non modò nihil adiuuat, sed etiam certa quadam ratione repugnat, virtutis patrocinium atque suffragium exigimus, quæ rebellantes corruptæ naturæ affectus vi sua elidat & spiritui seruire faciat. Quod si ita est, qua alia ratione cōmodiùs dux noster ad asperam virtutis viam erudire & incitare nos, quàm per crucē & passionem, debuit? Quæ enim virtutis actio labore ac sudore vacat? Siue enim orationis studio incumbere velis, siue carnem inedia macerare, si iniurias æquo animo ferre, si maiorum imperio reluctante propria voluntate parere, si aliorum inopiam ope tua leuare, si linguam cohibere, cæterosque sensus & affectus rationis lege frenare, si mundi gloriam contemnere, si carnis delicias respuere, si crucem amplecti, si teipsum denique, vt Christum sequaris, abnegare studeas, quàm multis laboribus opus est! Quid enim in his cæterisque virtutum officiis non asperum ac difficile? vt meritò discipulis suis Dominus in Euangelio dixerit: In patientia vestra possidebitis animas vestras: ac de Lucæ 21.
fidelibus operariis agens, Fructum, inquit, afferunt in patientia. Quidquid enim studiosè ac sanctè moliri velis, durum aliquid & asperum perferre ac vincere necesse est. Quamobrem Lucæ 8.
diligenter mihi fortitudinis ac patientiæ naturam consideranti apparet id esse patientiam ad virtutem, quod panis ad vitam,

qui ad cibos omnes, quibus vita ipsa alitur & sustentatur, neces-
Simile. sarius est. Si enim pomis vescaris, panis adhibendus est; si carnibus, si piscibus, si oleribus, si denique quouis alio cibo, panis necessarius est, sine quo omnis cibus non modò insuauis ad gustandum, sed ad vitam etiã parum sanus ac sufficiens est. Talis ergo est fortitudinis & patientiæ natura, sine qua actiones suas
Lactant. virtus explicare nequit. Est enim virtus (vt Lactantius ait) perferendorum malorum fortis & inuicta patientia. Ob hoc igitur vix vlla re magis pij omnes, quàm laboris amore ac patientia, ad virtutis iter ingrediendum egent. Virtus enim ipsa per se (si laborem ademeris) vt maximè, rationali naturę cõsentanea, ita maximè suauis & iucunda est. Ideoque si laboris patiens sis, in assequenda virtute nihil habes quo torquearis. Contrà verò si laborem detrectes, omnis tibi virtus inaccessa est: quoniam ea re cares, sine qua virtus exerceri non potest. Cuius rei gratia meritò à Philosophis dictũ est, In regno voluptatis virtuti non esse locum. Atque illud etiam: Molles animos virtus odit. Porrò si laborem diligas, virtutum penè omnium compos factus es: atque ita felicitatem ipsam te habere iam cogita,
Lactant. cùm præcipuam eius in te partẽ habeas. Hinc Lactantius, Hoc vno, inquit, beati esse in hac vita possumus, si minimè beati esse videamur: si fugientes illecebras voluptatum, soliq; virtuti seruientes, in omnibus laboribus miseriisque viuamus, quæ sunt exercitia & corroboramenta virtutis: si denique asperam illam difficilemque teneamus viam, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Hæc ille. Si ergo fundamentum felicitatis humanæ labor est, si hæc vna ad beatitudinem via est, si denique nemo neque sine certamine vincit, neq; sine victoria coronatur; qua, quæso, alia via Dux & Legifer noster in gloriam suam, nisi per crucem & labores, perque varia certamina ingredi debuit?

Sed quoniam hæc in commune de virtutum labore ac difficultate dicta sunt; in vna tamen ex illis, nempe charitate (quæ virtutũ omnium parens, & regina est) difficultatis huius exemplum ponere libet. Ad hanc autem virtutem pertinet non modò Deum diligere, sed supra omnia etiam quæ in vita charissima sunt (nempe supra filios, parentes, vxores, viros, ac ipsam quoque vitam nostrã, & quidquid aliud in hoc seculo amplius charum & pretiosum est) diligere. Hoc enim conditori nostro immẽsæ bonitatis & maiestatis suæ meritissimo & summo iure debetur. Ad hanc autem diligendi rationem pertinet, vt, si casus aliquando ferat, vt vel hæc omnia amittenda, vel Dei lex violanda sit, priùs omnia perire, quàm fidem & obedientiam ei debitam interire patiamur. Hoc autem cuius difficultatis sit, & res ipsa per se satis indicat, & sanctorum Martyrum
exempla

exempla testantur, qui corpora sua torreri, discerpi, laniari, & mille modis cruciari passi sunt, priusquam fidem Deo debitã vel ad momentum violarent. Quo autẽ affectu, qua cõstantia atq; deuotione hæc fides & obedientia præstanda sit, nulla melius ratione quàm mortis & crucis Christi exemplo potuit indicari. pendens enim in cruce Dominus, maximis tacẽdo clamoribus testatur eam esse mentis diuinę bonitatẽ, maiestatem & dignitatem, eã in homines beneficentiã & charitatem, vt, si propter illius obedientiã & gloriã necesse sit per tela, per ignes ingredi, flagellis conscindi, spinis coronari, patibulo affigi, & omnibus tormentorum generibus affici, atq. omnes etiam damnatorum pœnas (si opus ita fuerit) sustinere, ea omnia libẽtissimo animo subeunda esse: & ea quidẽ infinitis adhuc partibus esse minora, quàm quòd hæc tanta eius dignitas & maiestas promeretur. Ad hoc ipsum igitur nullum opus, nullum exẽplum conuenientius esse poterat. Quod si ita est, nónne ergo hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suã? Si enim (vt Apostolus ait) debuit per omnia fratribus assimilari, atq; vt caput mẽbris cohærere; cõsequens erat, vt crucis ac laboris mẽbrorũ suorũ particeps fieret. Et queẽadmodũ is qui Deus erat, homo factus est, vt hominũ salutẽ cõstitueret: ita qui felix & beatus erat, laborũ nostrorũ particeps fieri debuit, vt nos ad laborũ patientiã animaret, atq; ita per omnia fratribus similis fieret. Sed ne quis hac mea confessione à virtutis proposito deterreatur, dum eã asperam & insuauem credit; occurram statim, & offendiculum hoc infirmis mẽtibus adimam. Non enim virtutis via ita laboribus septa est, vt omni sit solatio destituta; nec rursum improborum via ita facilis & plana est, vt nõ multis offendiculis & laboribus sit implicata. Sunt enim, fateor, in via Dei labores: sunt tamen miranda quoq; gratiæ subsidia, & Spiritus paracleti solatia & diuinæ dilectionis gaudia: quibus labores isti & leuiores fiũt & iucundiores. Itaq; vtrobiq; deliciæ, vtrobiq; labores: sed deliciæ bonorũ incomparabiliter delicias superant malorum. Labores verò longè minores sunt, quàm malorum: nisi fortè Propheta falsus est cùm de via malorũ ait: Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis nõ cognouerũt. Et Ecclesiasticus itẽ: Via, inquit malorũ cõplanata est lapidibus, & post hęc inferi, & tenebræ, & pœnę. Adde his etiã virtutis vsum & cõsuetudinem, quæ, quidquid in ea arduũ & difficile est, lenit & mollit. Vnde cõmunis illa Sapientum sententia manauit: Optima vitę ratio est eligenda: eam iucundã consuetudo reddit. Hinc illa diuinæ Sapientiæ vox: Ducam te per semitas æquitatis: quas cùm ingressus fueris, nõ arctabũtur gressus tui, & currens nõ habebis offendiculũ. Hoc ipsum autẽ Plutarchus eleganti similitudine indicat:

Lucæ 24. Hebr. 2. Psal. 13. Eccli. 21. Prou. 4. Plutarch.

Simile. indicat: Sicut enim, ait, qui à meridiana luce in obſcuriorem locum ingreſſi, nihil vident, paullulùm autem morati (dum fulgor ille oculis hærens euaneſcit) omnia quæ in eo loco ſunt, clarè & diſtinctè cernunt: ita qui à praua ad honeſtam vitam tranſeunt, in ipſis ſtatim initiis noua illa viuendi ratione offenduntur: per quam tamen paulo diutiùs incedentes, ſeque illi aſſuefacientes, facile & iucundum experiuntur, quod eis anteà moleſtum videbatur. Idipſum quotidie in calceis & manicis hominibus contingit: quæ quamuis initiò quidem adſtricta ſint, vſu tamen ipſo laxantur, & ſine labore partibus corporis, quibus deſtinata ſunt, aptantur & accommodantur. Sed iam ad ſequentia veniamus.

II.

Cùm ergo Dominus paſſionis & mortis ſuæ cauſam, incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, latiſſimè confirmaſſet, ventum eſt ad caſtellum quò ibant, & ipſe finxit ſe longiùs ire. Quid ſibi vult hæc Domini fictio? Aliud quidem eſſe conſtat facere, aliud fingere. Facimus quidem cùm in veritate aliquid operamur; fingimus autem cùm ſimulamus, vt videlicet aliud appareat, aliud ſit. Hoc autem non rarò cùm piis hominibus Dominus agit, à quibus interim abſcedere, & lōgè abeſſe videtur, cùm tamen præſentiſſimus ſit. Huius enim rei gratia Propheta clamat: Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus & in tribulatione? Et, Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem? vſquequò auertis faciē tuam à me? Quid igitur hoc tempore faciendum eſt? Nimirum ſuppliciter & inſtanter cum diſcipulis clamandum: *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Hæc eſt breuiſſima ſimul & vtiliſſima oratio, qua in omni calamitate ac tentatione vti poſſumus. Sed videamus, qualis ſit veſper in quo huius orationis vſus ſit: & quia veſpera extrema diei pars eſt, diē ipſum, cuius hæc portio eſt, inſpiciamus. Dies autem hic totum huius ſeculi tempus eſt. Huius diei aurora initium mundi fuit: meridies verò aduentus Chriſti: veſper autem finis ſeculi. Nos enim ſumus, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Sicut ergo veſpere diei lumen minuitur, vmbræ creſcunt, & calor attenuatur: ita planè in hoc mundi veſpere (in quo nunc degimus) lux veritatis atque diuinæ cognitionis ingruentibus errorum atque hæreſum tenebris minuitur, vmbræ verò deficiente luce creſcunt. Quod quidem Hieremias lamentabatur cùm diceret: Væ nobis, quia declinauit iam dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi. Hoc eſt, væ nobis, quia lux diuinæ cognitionis ac fauoris deficere iam cœpit: quo fit vt terrenorum bonorum vmbræ maiores nobis appareant. Fulgente enim in cordibus

Pſal. 9. Pſal. 12. Hierem. 7.

dibus

dibus nostris diuina luce, terrena omnia exigua videntur, quales in meridiana luce vmbræ sunt: ea tamen decedente apparẽt longiores: quia sicut Deo præsente omnia hæc parua sunt; ita eo absente magna iudicãtur. Quo fit, vt, quæ magna & præclara videntur, magno etiam studio & amore quęrantur; ita vt cælestia bona prę illis vilescant: quod quidem totius humanę prauitatis origo & seminarium est. Ideoque meritò Propheta queritur: Væ nobis, quia declinauit iam dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Nec lux tantùm animæ sole declinante deficit, sed calor etiam, qui lucis indiuiduus comes est. Quod planè Saluator testatur, cùm ait: Quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Charitate enim refrigescente, & abundante iniquitate, quid superest, nisi vt cum Propheta clamemus: Saluum me fac Deus, quoniã defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominũ? Quod perinde est ac si diceret: Domine, si inter homines impuros & nocentes ætatem agamus, vix fieri poterit quin ad eorum consuetudinem moresque traducamur. Propterea, Domine, nõ impensiùs oro vt vitã meam ab insidiis inimicorum, quàm vt animum à vitiis & corruptela seculi huius integrum saluumque conserues: ne me reliquorum perditi mores & exẽpla corrumpãt: néve illorũ imitatione in aliquam turpitudinem dilabar. Maximam enim vim habet ad pietatem & virtutem probitas eorum quibus cum viuimus. Pauci enim sunt, quorũ sit illa virtus quæ fuit in sanctissimo Iob: qui simplex erat & rectus, cùm frater esset draconum & socius struthionum: inter quos tamen columbinam simplicitatem & candorem innocentiæ retinebat. Quamobrem in hoc tãto virtutis & sanctitatis periculo maximum planè remedium est, cum discipulis ad Dominũ clamare: *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.* Te enim præsente lux est: te absente imminent tenebræ. Hunc autem comitem idem sanctus Iob ad tutelam suam petebat, dicens: Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Nec enim præsente virtute aduersariorum potentiam, neque præsente luce aduesperascentis diei tenebras metuo.

Matth. 24. | Psal. 11. | Iob 13. | Iob 17.

Hac eadem oratione in omni calamitate vti possumus: *Mane nobiscum Domine, quoniã aduesperascit, &c.* Hinc D. Bernardus; Cùm prosperamur, ait, in virtutum successibus, in die sumus: cùm nos obnubilant tribulationum angustiæ, incipit nobis aduesperascere. Et quia ad te confugimus, qui solus laborem & dolorẽ consideras; mane nobiscum, quoniã aduesperascit. Iam veniunt aquæ vsque ad animã, iam deuotionis deliciæ vertũtur in miseriã. Omnes angulos mẽtis nostrę ventus tentationis cõcutit: mane ergo nobiscum, quoniã aduesperascit. Tu tribulatis

Bern. in Homil. | Psal. 9.

cordibus es refrigerium: tu refugiũ, tu solatium: tua est potentia, tuum est imperium. Intenti sunt ad te oculi omnium, te solum sitiens anima concupiscit: mane ergo nobiscum, quoniam aduesperascit. Sine te nihil possumus facere. Tu solus carmina das in nocte. Tu turris es fortitudinis à facie tribulantis. Tuæ pietatis oculus circa ea quę sub cælo sunt, respicit: mane nobiscum, quoniam aduesperascit. Per te consurget nobis ad vesperum fulgor meridianus, & oriemur vt lucifer, cùm nos cõsumptos putauerimus. Hactenus Bernardus.

Eadem quoque oratione, cùm spirituali gaudio destituimur, vti debemus. Dies enim spiritualis est, cùm lux nobis diuinæ consolationis & charitatis feruor affulget: tũc enim omnia nobis apparent læta, placida, atq; iucunda, quę aliàs acerba, tristia, & obscura erant. Illa enim cælestis dulcedo, amara omnia vertit in dulcia. Nox verò est, cùm Deo ita disponẽte lux illa abscedit. Ipse enim est, qui in manibus suis abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus oriatur. In qua nocte dilectũ suum Sponsa in Canticis quærit, & non inuenit. Quia videlicet in hac nocte, qua Sponsus abest, omnia obscura & tristia sunt. Idcircò magna vi precum reuocandus est, ne nos in tantis tenebris derelinquat, sed nobiscum maneat: vt eius virtute roborati, in officio & recta viuendi ratione persistamus, nec vllæ nos desolationum tenebræ à contento pietatis cursu reuocent. Quocirca hoc etiam tempore cum discipulis obnixè clamandum est: *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.*

Job 36.

Denique non contenti orasse, coëgerunt eum. Quid ni cogerent Patrem misericordiarũ & Deũ totius consolationis? Quid ni cogerent longiùs se ire fingentẽ, & tamen apud eos manere volentẽ? Quid ni cogerent eum, cuius deliciæ sunt, esse cũ filiis hominum? Quid ni cogerent in diuersorio manere, qui ad hoc corporis sui Sacramentum instituit, vt inter homines perpetuò maneret? Hinc discimus (vt D. Bernardus ait) magna vi & cõtentione opus esse, vt in via Dei proficiamus. Non enim leuiter (ait ille) ad perfectionis culmen attingitur, sed paulatim virtutum gradibus ad apicem charitatis per violentiam peruenitur. Coëgerunt eum. Ne ergo mireris si vim patitur regnũ cælorũ, quando vim etiam patitur Dñs eorum. Si igitur quadã naturali duritia cor tuum senseris indeuotum, insta orationibus, intende meditationibus, curre vbi est impetus spiritus, nec assensum carni dederis. Ingere te vigiliis, & per lacrymarum violentiam vince Dñm maiestatis, & dic ei: Mane nobiscum Dñe, quoniã aduesperascit, & inclinata est iam dies. Hactenus Bernardus.

Bernard.

Dominus ergo qui se lõgiùs ire simulauerat, vt exoratus apud discipulos maneret, intrauit hospitium, mansitque cum illis.

Et

Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerant eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Vbi enim, quod volebat, assecutus est, vt eos videlicet in fide resurrectionis confirmaret: non fuit necesse vt diutiùs cum illis maneret, præsertim cùm superessent alij simili ratione confirmandi.

Cùm ergo duo isti discipuli admiratione simul & gaudio ex insperata magistri resurrectione complerentur, dicere inter se cœperunt: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dũ loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Ardorem mirabilem, quem ex vi verborũ Domini cõceperant, in resurrectionis eius argumentũ afferebant. Neq; enim tantus ille ardor in eorũ cordibus ęstuaret, nisi orationi narrantis plenissimã fidem adhiberẽt. Quãtus autẽ ille ardor, quanta suauitas fuerit, cùm ex argumẽti genere quod tractabatur, tum ex mirabili differentis facundia colligi potest. Nam hoc argumento (quo de Dominicæ Passionis ac Resurrectionis Sacramento agitur) nihil esse aut sublimius, aut suauius, aut mirabilius potest: quippe quòd non homines modò, sed ipsos etiã Angelos in admirationẽ rapiat. Facũdia verò dicentis, qui Verbũ est & Sapientia Patris, quid maius excogitari potest? Si verò tanta est humanæ eloquentiæ vis, vt sapiẽtes viri finxerint, & pecora pastus, & flumina cursus sui oblita fuisse, vt facundos homines inter se loquentes audirent: qualis, quæso, facundia illius erat de quo Propheta cecinit; Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis? Quo ergo affectu discipulos fuisse credendũ est, cùm ipsam Dei Sapientiã humano ore loquentẽ audirent, prę̨sertim cũ Dei verba ignis sint, sicut in Hieremia legimus? Quare nihil mirum si ita Hiere. 23.
ardebãt, qui ad hũc ignẽ propiùs admoti erãt. Et quidẽ non dubito, fratres, quin hoc modo corda nostra flagrarent, si ad hunc cęlestẽ ignem accederemus. Quod planè facimus, cũ verba Dei pio studio ac deuotione audimus aut legimus. Vtroque enim modo verba Dei cor nostrũ ingrediũtur, aut per aures, cùm audimus; aut per oculos, cùm legimus. Ea enim mysteriorum nostræ fidei vis atq; maiestas est, vt, si in eis tractãdis penetrãdisq; versaremur, miris vtique modis ad virtutẽ ac pietatẽ accenderemur. Sed quid tamẽ apud me ineffabile Incarnationis atque Passionis Dominicæ Sacramentũ, quid æternũ gehennæ suppliciũ, æternumq; cælestis regni pręmiũ, quæ à me nũquam cogitantur, efficere poterunt? Ipsa quidẽ mors aut dilectissimi filij, aut dulcissimæ coniugis dum nescitur aut nõ cogitatur, nihil nos afficit. Omnem enim affectum cogitatio aliqua præcedere solet. Ideoque inter laudes viri iusti hæc pręcipuè numerãtur, quòd in lege Domini meditabitur die ac nocte. O si vos Psal. 1.
huius

huius studij cupiditas caperet! ô si in lectione ac meditatione diuinæ legis ex multis horis frustrà in rebus nihili impẽsis vnã saltem ad hoc studium quotidie destinaretis! Nõ dubium, quin ille deinde fructus consequeretur, quem idem Propheta continuò expressit cùm subdit: Et erit tanquã lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. Hoc igitur agamus fratres: hoc cælesti cibo nutriamur: hoc dies noctesque meditemur: sit laus Domini semper in ore nostro, & lex eius in corde nostro. Hæc nobis prima curarũ, hoc maximũ & continuum opus: vt per studium diuinæ legis ad brauium perueniamus supernæ vocationis.

IN EADEM FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PASCHAE, CONCIO secunda: in qua Euangelica lectio explanatur.

THEMA. *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Lucæ 24.


A EST, fratres charissimi, huius diei sollemnitas atque lætitia, vt ad eam dignè celebrandam omnia quæ siue in cælo, siue in terra sunt, faustis Ecclesia vocibus hodierna die inuitet, dicens: In resurrectione tua Christe, Alleluia; cæli & terra lætentur, Alleluia. Inter quæ tamen communia creaturarum omnium gaudia, singulari quadam ratione hominũ supereminet gaudiũ. Si enim hæc dies Christi gloriæ potissimùm dicata est, Christus verò & Rex, & Pater, & Caput, & Ecclesiæ Sponsus existit: quis iam dubitare audeat, hanc eius gloriam ad homines quoq; pertinere? Cõstat enim, Regis gloriam ad subditos, capitis ad membra, patris ad filios, sponsi verò ad sponsam naturali quodam iure permanare: cùm inter hæc omnia ea sit necessitudo, vt alterius partis gloria in alterã redundet. Quamobrem si Christus caput nostrũ resurrexit, & ascendit in cælũ, seditq; ad dexterã Patris; nos quoq. in illo, tanquã membra in capite, hac eadẽ gloria potiti sumus. Quamobrẽ fidenter quisque nostrûm hodie cum D. Max. dicere poterit: Vbi caro mea regnat, ibi me regnare credo: vbi sanguis meus dominatur, ibi me gloriosum futurũ spero: & si peccata mea prohibent, naturæ cõmunio nõ repellit. Cæterùm cõmunem hanc hominũ lætitiã longissimo interuallo beatissimæ Virginis lætitia superat: quæ non modò hac ratione, quæ illi cũ cæteris hominibus cõmunis est, sed singulari

Max. in Serm.

gulari

gulari maternæ dignitatis priuilegio hodie triumphat & exultat: atque eo magis, quò tenerrimum eius pectus gladio doloris in passione filij acriùs transfixum fuit. Quo enim maior in ea fuit in supplicio crucis tristitia, eo maior exstitit de resurrectione lætitia. Quàm meritò beatissima Virgo illa Saræ iunioris verba vsurpare hodie potuit: Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in secula: quia post tempestatẽ tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis. Tob. 3.

Qua in re diuinæ bonitatis prouidentia maximè elucet, quæ in hoc etiam exilio & lacrymarũ valle degẽtibus, (quò nos peccata nostra coniecerũt) nõ semper acerba & tristia, sed frequenter etiam læta atque iucunda nobis euenire voluit. Sicut enim ipsa tempora non eundem semper tenorem retinent, sed hiemi æstas, & nocti dies alterna vicissitudine succedunt: ita etiam in vita hominum tristibus læta, & lætis tristia permiscentur: ea tamen lege, vt pro summa Dei nostri benignitate tristitiæ quidẽ breuiora, lætitię verò longiora spatia destinauerit. Quod apertè regius Vates significauit. Pro eo enim quod nos legimus: Quoniã ira in voluntate eius, &c. Hieronymus vertit: Quoniã ad momentum ira eius, & vita in repropitiatione eius. Quibus verbis Vates sanctus significat, irã Dei aduersus pios breuissimam existere; beneuolentiã verò longissimam, vtpote æqualẽ vitæ, imò & vita ipsa diuturniorem. In quem deinde sensum addit: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia. Hoc est, si quid aduersi acciderit hominibus piis, celeriter omne incommodum vertit in bonum, & aduersa secundis rebus citò commutantur. Vix enim finito vespere calamitatis, dies statim prosperitatis illucescit. Hoc nobis euidẽter indicat historia Tobiæ, in qua legimus, illum annos natum sexaginta sex oculorũ lumen amisisse, septuagenarium verò recepisse, & vsque ad nonagesimum nonum annum superuixisse. Sed quónam modo? Reliquũ, inquit, vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu Dei perrexit in pace. Videtis ergo, fratres, breuem plagam atq; tristitiam quàm longa lætitia cõsecuta sit? Sed locupletissimum huius rei in sacra Virgine hodie habemus exemplum, quę duobus quidem diebus & noctibus propter passionem & mortem filij summa tristitia afflicta fuit: quę tamẽ æterna deinde lætitia ex eius resurrectione fruitur, æternumq́. fruetur. De huius ergo mysterij lætitia hodie dicturi, cælestem opem, eiusdem sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus. Psal. 29.

AVE MARIA.

SCITIS, fratres, multa esse nomina, quibus Redemptor noster in litteris sanctis appellatur. Quia enim multis modis salutem nostrã operatus est, ideò multa sortitur nomina. Inter quæ

Regis nomen præcipuè celebratur: quo nomine perpetua eius cura & prouidētia, qua Ecclesiā suam administrat, designatur. Isaiæ 9. De hoc autem regno in Isaia legimus: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modò & vsq; in sempiternū. In quibus verbis & cura regni huius administrandi, & diuturnitas huius officij apertè notatur. Neque enim aliorum Regum more cū vita simul est regia dignitas, & regendi cura finitur: sed vt dignitas æterna est, ita & regendi cura, propter quam ipsa dignitas est instituta. Hanc autem regendi curā & solicitudinem Apostolis Mat. 28. Dominus, extremum eis vale dicens, pollicitus est, cū ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi. Est ergo inter nos Dominus, nobis prospiciēs, quę nostra sunt curans, & nos à sempiterno generis humani hoste defendens, & Spiritu suo regēs, ad vitam perducit beatam & immortalem. Hoc est autem quod ipse in Apocalypsi designat, cùm ad septem Ecclesias, quæ erant in Asia, legationem mittit his verbis: Apoc. 8. Hæc dicit qui tenet septē stellas in dextera sua, & ambulat in medio septem candelabrorum aureorū. Quæ quidē septem stellæ, septemq; candelabra, septē illæ Ecclesiæ erant, quas ipse in dextera sua tenere, & inter eas ambulare dicitur, vt curam & prouidentiam suā hoc modo significaret. Ipse enim est qui nos dextera sua tenet, ne cadamus; & inter nos ambulat, vt nos custodiat, ne prædæ hostiū illo absente simus. Hanc autem curam satis apertè post Resurrectionem suam declarauit, qui à rebus humanis & conspectu hominū abstractus, quam anteà suorum curam & prouidentiam gerebat, nunquam deposuit. Quadraginta enim diebus ascensum suum in cælum distulit; vt toto hoc spatio variis modis discipulis apparens, & loquēs de regno Dei, in fide eos Resurrectionis suæ (vnde salus nostra & iustitia pendebat) confirmaret. Itaque modò illis apparet in Iudæa, modò in Galilæa; nunc omnibus simul, nunc eorum singulis; interdum per se, quandoq. verò per Angelos; qui vt Natiuitatis suæ, ita etiam Resurrectionis testes atque præcones exstiterunt. In hodierna verò sancti Euangelij lectione duobus discipulis in Emmaus pergentibus mirabili ordine atque ratione apparuit. Cuius rei historiam suauissimis verbis atque sententiis refertam, sanctus Lucas Euangelista in hodierna sancti Euangelij lectione exponit his verbis:

I.

Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die (in qua videlicet Dominus resurrexerat) *in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalē, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderāt.* Scitis, fratres, verum esse quod Saluator ait:

Ex

Ex abundãtia cordis os loquitur. Illud ergo versabatur in discipulorũ ore, quod abundabat in corde: quia verò ibi cordis nostri cogitatio est, vbi amoris thesaurus est: qui tam ardenter magistrum dilexerant, eum semper & in corde & in ore habebant. Itaq; loquebantur ad inuicem de iis omnibus quæ in eius passione acciderant: quorum tristem lamentabilemq; memoriam, amoris suauitas dulcẽ faciebat. Vterlibet igitur pro suo affectu, eorum quę gesta erant, aliquid cõmemorabat. Et aliter quidem mirabilem Domini mansuetudinem, patientiam, lenitatem, & silentium inter tot falsa crimina & cõuitia referebat, ita vt eius silentium miraretur Præses vehementer: alter verò crudelitatem hostium commemorabat, qui non contenti immanissimo crucis supplicio, tot flagellis, tot alapis, tot sputis, tot conuitiis, tot denique iniuriis & contumeliis, acerbius morte ipsa passionis supplicium reddiderunt. Alter verò cõtrà, matrem Domini miserabatur, quæ iuxta crucem assistens, pendentem in ligno dilectissimum filium, & sanguinis riuos prope se defluentes, summo animi dolore contemplabatur: rursumq; alter solitudinem Domini miserabatur, qui ab Apostolis derelictus, à Iuda etiam proditus fuit? qui tam immane nefas ausus est, vt præceptorẽ discipulus vilissimo pretio hostibus traderet. Deinde verò ad se ipsos redeuntes, sortem & solitudinem suam lamentabantur, qui tanquã oues pastore destituti, per deuia quæq; errabãt: cùm tamen omnia quæ in vita habebant, spe diuinarum promissionum reliquissent. Hæc igitur erant, quæ discipuli inter se dolenter & amanter conferebant. Mat. 12.

Sed à littera ad spiritũ paululũ assurgentes, per hos duos discipulos, qui hæc inter se pio affectu tractabãt, D. Bernardus meditationẽ atq. orationẽ intelligit: quę duę virtutes velut germano quodã nexu inter se colligatæ, mutuas sibi altera alteri operas præbent. Meditatio enim scrutatur & ruminat Dei legem; oratio verò gratiã petit, qua impleat legem. Meditatio indicat viã, oratio spiritũ impetrat & vires, quibus possis ingredi viã. Illa illuminat & erudit intellectũ; hæc verò incendit, & inflãmat affectum. Et illa quidem facit hominem fastidire terrena, hæc verò cum Deo versans, facit amare cælestia. Denique meditatio Theologum, oratio verò Theophilũ, hoc est, Dei amicũ facit. Quòd si quæras, quæ sit meditationis huius materia; ea certè multiplex & varia est: nulla tamen cõmodior, quàm Dominicæ passionis historia, de qua inter se discipuli hodie conferebant. Cùm enim studium hoc ad Dei cognitionem & amorem referatur, Deum autem in hac vita nisi per opera sua nõ agnoscamus, inter omnia verò eius opera humanitas Christi principẽ locũ teneat; inter ipsa verò humanitatis opera, acerbissima Bernard.

eius passio præcipuum & maximum fuerit; consequens est: vt nullius rei studiosa cogitatio tantũ nos ad diuinę bonitatis cognitionẽ & amorem excitare possit. Rursumq. si quæras, quónam modo hoc mysterium cogitandũ sit, ab eisdem etiã discipulis hoc ipsum disces, qui magno animi dolore simul & amore hæc mysteria tractabant: hac enim de causa ab eis Dominus quæsiuit: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicẽ ambulãtes, & estis tristes?* Tristitia autẽ sine dilectione esse nullo modo potest, quia radix doloris amor est: cum dolore enim amittimus, quod cũ amore possidemus. His igitur affectibus Dominicæ passionis historia tractanda atq. ruminanda est. Non enim par est vt tam ingentes Domini cruciatus siccis oculis, nulloque amoris aut doloris sensu recolamus. Amor enim vt amorẽ, ita mœrorẽ de amici morte exigit, nec vlla alia vicissitudine contentus est.

Dum ergo duo isti discipuli hæc inter se mysteria versarent, & secum quærerent; *Iesus appropinquãs, ibat cum illis.* Meritò plane illis aderat, quandoquidem ipse paulo antè dixerat: Vbi duo
Matt. 18. vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In nomine verò Christi cõuenerãt, qui corde & ore Christum personabant, Christũ cogitabant, totoq. affectu de Christi passionibus inter se mutuò conferebant. Ipse igitur qui hũc illis animũ & mentem inspirabat, operi quoq. suo aderat. Sicut
Sapien. 1. enim Dominus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu: ita piis & sanctis cogitationibus adest. Sequitur deinde:

Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Cur, quæso, Domine, de te loquentibus, te amantibus, te suspirantibus visitationis tuæ gratiam minuisti, cùm te illis videndũ, non tamen agnoscendum præbuisti? An non duplicatam eis gratiam retulisses, si te illis agnoscendũ pariter & videndum prębuisses? Minimè quidem. Hæc enim ad tempus occultatio maioris beneficij occasio fuit. Volebat enim eis Dominus longa oratione totius redemptionis nostrę mysteriũ ex sanctarũ litterarum testimoniis aperire. Quod quidem fecit, cùm incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quę de ipso erant. Quam illi commentationẽ attentissimis animis audierunt, neque illis longus sermo fastidium, sed auiditatem magis & desiderium excitauit. Porrò autem si se illicò eis agnoscendum præbuisset, tanta ex hac admiratione exultatione & stupore complerentur, vt velut extra se positi, vix ea quæ dixisset, capere possent. Quocircà prudenter à Domino factum est, vt ad tempus eum non agnoscerent, quo ex iis, quæ tunc sedato animo didicissent, pleniùs eum posteà & agnoscerent & diligerẽt. Hinc colligere licet, fratres, quòd cùm Dominus aliquando amabilem pręsentiam suam piis hominibus abscondit,

non

non hoc derelictionis, sed dispēsationis potiùs & amoris argumentū esse. Cùm is enim omnia ad salutem suorum dirigat; & cùm adest, & cùm abest, horum salutē operatur: imò verò aliquando tunc maximè adest, cū maximè à nobis abesse videtur. Cui rei testimonio erit sanctissimus ille Iob; qui cùm quereretur se à Domino derelictum, tunc illi Dominus propinquior erat. Ait enim: Cur faciem tuā abscondis, & arbitraris me ini- Iob 15.
micū tuū? hoc est, cur ita me tractas, vt inimicos tractare soles? Et tamen cōstat, numquam Dominum tam præsentem sancto viro fuisse, quàm eo tēpore fuit. Illa enim inter tot plagas admiranda & incomparabilis patientia facilè declarat, tantam hanc virtutem atque constantiā sine præsenti Dei numine esse minimè potuisse. Si enim nemo potest dicere, Dominus Iesus, 1. Cor. 12.
nisi in Spiritu sancto; quomodo ille inter tot malorū turbines ac procellas dicere potuit, Dominus dedit, Dominus abstulit; Iob 1.
sicut Dño placuit, ita factū est: sit nomen Domini benedictū? De beata etiā Catharina Senensi legimus, quòd cū turpissimis imaginibus à dæmone infestaretur, vbi pristina serenitas menti eius reddita est, cùm à dilectissimo Sponso suo redeunte suppliciter & lamentabiliter quæreret, cur se in eo certamine deseruisset; ille respōdit: In medio cordis tui eram. Et quomodo, ait illa, in corde tot fœdis cogitationibus conspurcato poterat habitare auctor puritatis? Cui ille, Istæ, inquit, cogitationes voluptati tibi an dolori erant? Sūmo, inquit, illa, Dñe, cruciatui atq; dolori. Et ille: Quis ergo hoc in animo tuo agebat, vt carnales cogitationes tantopere tibi displicerēt, nisi ego ibi adessem, qui tibi istum animum & affectum immittebam? Simili etiā modo spiritualis ariditatis tēpore, cū omnis deuotionis affectus & charitatis feruor abesse videtur, apparet vtique à nobis Dominum aufugisse, nosque in mediis tenebris & caligine reliquisse. At si nos hoc tēpore non cessamus, si consueta orationis & pietatis opera non intermittimus, si strenuè rem gerimus; non dubium quin Dominus tunc potissimùm nobis adsit, cū abesse videtur. Nam cùm interna lætitia, & dulces lacrymæ, spiritualesq; deliciæ affluunt; quid mirum, si homo viam mandatorum Dei alacriter currat, cum spirituali lætitia cor eius dilatatur & roboratur? Cæterū sublata hac lætitia, & charitatis feruore refrigerato, & tenebris ac nocte calamitatum ingruente, in officio perstare, & ab orationis studio statis tēporibus non desistere, neq; consueta pietatis officia prætermittere; hoc planè non nisi magnorū virorū est, & mentis in Christo solidatæ atque fundatæ. Videmus enim Apostolos Dominum miracula illa magnifica edentem, & populi frequentia ac laudibus celebrem, libenter, quocunque pergeret, sequentes: quem tamen in nocte passionis

hoſtibus traditũ, mortiq; addictũ deſeruerunt. Ex quo apparet, quanto difficilius ſit, rebus aduerſis quã trãquillis fidem & conſtantiam retinere. Qui ergo abſente ad tempus Dño in officio cõſtanter ac fideliter perſiſtit, is vtique quo grauiora patitur, eo firmiùs intra ſe præſentẽ Dñm retinet. Hac ergo de cauſa præſentiã ſuã Dominus diſcipulis exhibuit ſimul & abſcõdit, vt eos maiori beneficio afficeret. Vultis vtrunq; apertè videre? Audite
Pſal. 21. ipſum Dominũ in Pſalmo clamantẽ: Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Deus meus, clamabo per diem, & nõ exaudies: & nocte, & nõ ad inſipientiã mihi: ſiue, vt alij verterunt, & non eſt ſilentiũ mihi. At in eiuſdẽ Pſalmi fine rurſum ait: Timeat eũ omne ſemen Iſraël, quoniã nõ ſpreuit, nec deſpexit deprecationem pauperis, nec auertit faciem ſuam à me: & cùm clamarẽ ad eum, exaudiuit me. Videtis igitur hîc Deum audientem & non audientem, longè abſentem & præſentem?

II.

Hoc igitur modo incognitus à diſcipulis Dominus interrogat: *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulãtes, & eſtis triſtes? Et reſpondens vnus cui nomen Cleophas, Tu ſolus*, inquit, *peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? De Ieſu*, inquiunt, *Nazareno, qui fuit vir Propheta, potẽs in opere & ſermone corã Deo & omni populo, &c.* quæ ſequuntur. Excutiamus, fratres, ſingula hæc diſcipulorum verba: *De Ieſu*, inquiunt, *Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in*
Bernard. in Hom. *opere & ſermone.* D. Bernardus hoc in loco ait, quoſdam eſſe potentes in ſermone, quoſdam in opere, quoſdam verò in opere ſimul & ſermone. Videas, inquit, aliquem frequẽter in oratione
Cant. 7. deuotum, cuius oculi ſunt vt piſcinæ in Heſebon, præ multitudine lacrymarũ: ſed recuſat ferre iugum obedientię: votũ ſuum implere ſe exiſtimat, offerendo hoſtiam amputata aure. Suam plangit in oratione ſuperbiã, ſed hora cõpunctionis tranſacta, ita ſuperbus eſt ſicut anteà: vel ſi leuis eſt in moribus, poſt orationis ſuæ deuotionem in eandem recidit leuitatem: oſſa eius replentur vitiis adoleſcentiæ eius, vt nunquam in conuerſione ſua ſit maturus, licet ad modicum orationis tẽpus ſit deuotus.
Gen. 27. Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus ſunt Eſau. Tales potentes dicuntur in ſermone, ſed nõ in opere. Hactenus ille. Itaque potentes in ſermone ſunt, qui multa de Deo loquuntur, & multùm etiam fortaſſe cum Deo loquuntur. Cæterùm ſi hoc tantũ præſtant, ſi verbis facta non cohęrent, nihil apud Dominũ proficiunt. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.

Sunt rurſus alij (vt idẽ Bernardus ait) in opere ſolùm potẽtes. Videas enim alium qui ſtrenuus eſt in exercitatione corporali: bona quæ pręualet, non negligit operari; patiẽs in tribulatione, & gau-

& gaudens ad laborem obedientiæ: poteſt hic dici potẽs in opere. Sed ſi minùs hunc delectat aſſiduitas orationis, ſi non eſt ſolicitudine pia deuotus in vigiliis, vel fortè non habeat gratiam prędicationis, potens eſt in opere, ſed non in ſermone. Non deſunt autem in Eccleſia multi tales, qui cùm initio conuerſionis ſuæ ſe totos orationis ſtudio tradiderint, & in benedictionibus dulcedinis à Domino præuenti fuerint; poſteà tamen variis occupationibus implicati, perſtant illi quidẽ in officio, ſed priſtino tamẽ illo deuotionis ac orationis feruore valdè remiſſo. Tales, quãuis verè laudandi ſint; habent tamen cur propter intermiſſum orationis officiũ meritò reprehendi queant, quos planè Dominus in Apocalypſi corripit his verbis: Scio opera tua, & Apoc. 2.
laborem, & patientiam tuam, & quòd non potes ſuſtinere malos, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti: ſed habeo aduerſum te pauca, quòd charitatem tuam primã reliquiſti. Memor eſto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Hæc autem Domini admonitio & comminatio, fratres, magnum iis timorem incutere debet, qui charitatis feruorem, deuotioniſque dulcedinem quam initio conuerſionis ſuæ habuerunt, negligentia ſua perire paſſi ſunt.

Alij verò ſunt in opere pariter ac ſermone potẽtes, qui velut ambidextri ita pietatis operibus incumbunt, vt orandi ſtudium non deſerãt; atq; ita rurſum ſe orationi tradũt, vt proximos piis operibus & admonitionibus iuuare nõ deſinant: in quibus hæc duo officia ſe mutuò adiuuãt. Oratio enim piæ operationis velut reclinatoriũ eſt, in quo pius homo cũ Deo ſabbathũ agit, & ab operandi labore requieſcit. Operatio verò deuotæ orationis fulcimentum eſt. Illa enim oratio verè potẽs apud Deũ eſt, quę bonis operibus fulta, in conſpectũ Dei vacua non aſcẽdit. Quiſquis igitur in vtraque iuxtà re aſſiduus eſt, illius planè eſt imitator, quem diſcipuli potentẽ in opere ac ſermone prædicarunt.

Sed neque iſta laude contenti, addũt & aliã corã Deo & omni populo, quia videlicet omnia Domini Saluatoris opera & verba & Deo & hominibus gratiſſima & probatiſſima erant. Ex quibus verbis ſimilẽ quoq; præcedẽti partitionẽ colligere licet. Sunt enim quidã qui Deo ſolùm ſe probare cupiũt, dũ, humana iudicia contẽnentes, ſolo cõſcientiæ ſuæ teſtimonio cõtenti ſunt. Contrà verò alij ſunt, qui à ſolis hominibus probari cupiunt, Dei teſtimonio & approbatione cõtempta: quorũ de numero hypocritæ & Phariſæi erant, qui dilexerunt magis gloriã hominum, quàm Dei. Inter quos etiã Saul Rex computandus 1. Reg. 15.
eſt: qui cùm gratiam & honorem coram Deo amiſiſſet, coram ſenio-

ſenioribus populi à Samuele honorari petebat. Neutri autẽ horum verè probati ſunt: iſti, quoniã à Deo improbãtur; illi verò quia hominibus offendiculo ſunt: neque ea virtus à Domino probari poteſt, quæ cum fratris offenſione cõiuncta eſt. Quare neceſſe eſt prouidere bona non tantùm corã Deo, ſed etiã coram omnibus hominibus. Oportet enim & teſtimoniũ bonum habere ab his qui foris ſunt. Hinc Apoſtolus ad Corinthios:
1. Cor. 4. Abdicamus, inquit, occulta dedecoris, cõmendãtes noſmetipſos ad omnẽ conſcientiã hominum coram Deo. Dum enim internam puritatem ſectabatur, & occulta omnia, quæ pudorẽ mẽti ingerere poterãt, ſtudioſiſſimè à ſe abdicabat, Deo vtiq. ſe probatum exhibebat. Dum verò bonis operibus inſiſtens, homines ædificabat, corã eis nõ tam verbis quàm operibus ſeipſum commendabat. Nulla enim maior commendatio, quàm quæ operis atteſtatione probatur. Vtrumque autem Dominus in Euãgelio
Lucæ 12. commendat cùm ait: Sint lumbi veſtri pręcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lũbos enim ſuccingimus, cùm fluxas vagaſq. cogitationes & cupiditates ſollicita cordis cuſtodia reſecamus; lucernas verò ardentes in manibus geſtamus, cùm bonorũ operum ſplendore eos qui in errorũ tenebris verſantur, ad iter ſalutis reuocamus. Hoc autem docendi genus quàm ſit efficax, vel hoc vno argumẽto colligi poteſt: Si quis Cõcionator ad Sacramentorũ frequentiã fideles ſemper inuitet, nemo tamen ſit qui id facere velit, vix hoc alicui perſuadere poterit. Vnuſquiſque enim timet facere quod à nemine fieri videt: ne tanquã aliquid nouum & ſingulare præ ſe ferens, linguis & inuidiæ pateat aliorum. At ſi vicini, ſi amici, ſi ciues, ac præcipuè principes id faciãt, quãuis nemo ſit qui ad hoc hortetur; ipſa tamen exẽpla ſuadebunt, dum homines facere nõ verẽtur, quod multitudinem viderint faciẽtem. Eſt enim homo (ſi quod aliud animal) ad imitationẽ maximè cõpoſitum. Vnde quemadmodum horret quod inſolitum eſt, ne vituperetur; ita maximè ſequitur quod conſuetũ eſt; ne ſi non fecerit, iure reprehendatur. Danda igitur nobis opera eſt, vt Deo quidẽ ante omnia probemur, & ab hominibus tamen nõ improbemur. Vtrunque enim prouidendum eſt: illud quidem, vt placeamus Deo; hoc verò vt homines iuuemus exemplo. Hac enim de cauſa Apoſtolus ait:
1. Cor. 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediũt: omnia mihi licẽt, ſed non omnia ædificant. Rurſumque: Bonum eſt homini non
Rom. 14. manducare carnẽ, & non bibere vinum, nec in quo frater tuus ſcandalizatur. Si enim eſca ſcandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

Nemo autem leue aut facile putet eſſe præceptũ hoc: latiſſimè enim ratio ſcandali patet. Septẽ enim tantũ ſunt Decalogi

præcepta

præcepta prohibentia, quibus septẽ solùm actiones inhibentur: scandali autẽ precepto (quod sub dilectionis mandato continetur) tot actiones prohibẽtur, quot infirmis fratribus graui offẽdiculo esse possunt, quæ penè innumera sunt; à quibus abstinere debet, qui ab hoc criminis reatu immunis esse cupit. Qua de causa pij homines circa huius præcepti custodiã mirum in modum soliciti sunt. Tales erant beati Ioannis Baptistæ parentes, qui incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus Do- Lucæ 2.
mini sine querela: hoc est, nemini querelæ aut offendiculi occasionẽ præbentes. Talis erat & sancta illa Iudith, de qua scriptum est: Erat hæc in omnibus famosissima, quoniã metuebat Iudith 2.
Dominum, & non erat qui de ea loqueretur verbum malum.

III.

Vbi igitur discipuli & laudes magistri, & mortem eius narrauerunt, protinus adiungunt: *Nos autem sperabamus quòd ipse esset redempturus Israël*, hoc est, ab Imperij Romani seruitute vindicaturus, & in pristinam dignitatẽ & gloriam (qualem sub Dauide ac Salomone habuit) reuocaturus. Hæc discipuli expectabant, hęc optabant, neq; hanc persuasionem ac ignorantiã, tam diu in schola pauperis humilisq; magistri versati, deposuerant. In quo miseranda humanæ naturæ infirmitas & cæcitas apparet: quæ vbi per peccatum velut è cælo in terrã præcipitata, & spirituali luce & gratia orbata fuit, vsque adeò terrenis bonis incubat & inhiat, vt vix alia bona, alias opes, aliam felicitatem, aliam salutem, quàm corporeã & terrenam aut esse credat aut optet: vt appareat, spiritum ipsum in carnis quodammodò naturam degenerasse. Sed quid mirum si seculi homines secularia bona suspiciunt, quando ipsi Apostoli atq; discipuli Domini temporalem redemptionem, temporale Christi regnum, temporalesque dextras & sinistras somniabant? Cuius rei gratia meritò à Domino hoc in loco acriter obiurgantur. Ait enim:

O stulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Meritò stulti appellantur, qui res pueriles & inanes, moxque interituras tanti faciebãt, & nec ipsis quidẽ Prophetarũ vocibus toties admoniti, vera bona, veramq; salutẽ, & verum Saluatorẽ agnoscebant. *Nónne*, inquit, *hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suã?* Inter argumenta omnia, quæ religio Christiana profitetur, maximè mirabile atq; diuinum est, quod hac breui oratione cælestis Magister comprehendit. Felices duo isti discipuli, qui cęlestem hanc doctrinã ab ipso Veritatis ore audire meruerunt. Nos pro tenuitate nostra breuiter causam reddemus, cur ad salutem nostram expediens fuerit, vt Christus Dominus per varios labores atque certamina intraret in gloriam suã. Primũ enim (quod apud fideles omnes constat) expediens hoc

hoc fuit, vt passionis & mortis suæ sacrificio pro sceleribus nostris ęterno Patri satisfaceret. Qua de re suo loco latiùs disseruimus. Deinde, vt exẽplo suo nobis ostenderet, regnũ cęlorum vim pati, & violẽtos illud arripere, ac per multas tribulationes oportere nos in illud intrare. Postremò, vt eodẽ exẽplo, dũ ipse prior pro non sua, sed pro nostra salute calicẽ hausit passionis, nos ad eundem calicẽ pro nostra salute hauriendum animaret. Plurimũ quippe in vtrâque partẽ Principũ ac Regũ exempla valent. Nemo enim ingloriũ sibi ducit, quod Reges exẽplo suo
2.Reg.15. nobilitarunt. Cùm Dauid Rex Absolonẽ filiũ fugiens, aperto capite, ac nudis pedibus per cliuum montis ascenderet, populus qui eũ sequebatur, eodẽ habitu, eisdemque lacrymis desolatum Regem sequebatur. Referunt qui de variis gentium moribus scripserunt, tantum in Aethiopia Regum exempla valere, vt, si quãdo Rex aliqua corporis parte debilitaretur, domesticos omnes spõte sua eandem partẽ debilitent; turpe esse existimantes, Rege claudo aut monoculo nõ omnes amicos claudos aut monoculos esse. Memoriæ proditũ est, Ioannem secundũ Lusitaniæ Regem, æterna memoria dignum, amico ægrotante, & potionem acerbam à medicis porrectam (cui salus eius innitebatur) bibere recusante, degustasse priùs, & bonam eius partẽ ebibisse, vt sui amore seruus æger faceret, quod pręstãtissimus Rex in eius gratiam fecisset. Ad hunc ergo modum cælestis Rex, qui se nobis ducem in cælum præbuit; & iter quo post illum tendere deberemus ostendit, & exemplo suo eius itineris labores mitigauit. Quòd si quis à me requirat, quæ res hoc iter in cælum arduum atque difficile reddiderit, cùm beatas illas mentes, quæ corporis expertes sunt, sine labore conditor in cælo beauerit: ad hoc respondemus, simili quidẽ liberalitate & gratia hominẽ ab initio donatum, quam si illæsam integramq; seruasset, sine labore etiã idem præmiũ consecutus fuisset. Sed quoniã rebellis & ingratus in Conditorem exstitit, gratuita illa dona quæ perceperat, & sibi & posteris suis amisit. Ita factum est, vt miser homo & naturam gratia sublata (quæ illam in officio continebat) grauiter sauciaret, & se ipsum eius seruituti subiiceret, cuius fraudulentis consiliis obtemperauit. Quo factũ est, vt, quoniã ingratus homo Deo rebellis fuit, fieret quoque sibi ipsi rebellis, rebellemq; carnẽ sibi naturę iure subditã experiretur, qui rebellis ipse aduersus Cõditorẽ exstiterat. Hinc varia huius vitę certamina, dum caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus sibi aduersantem carnem, & nouas quotidie voluptates ab eo incredibili ardore flagitantem. Legi quippe Dei subiecta non est: neque enim potest. Hæc igitur prima mali labes, & variorum laborum, certaminum, atque tentationum origo.
Quo-

Quocirca si rectà in cælum tendere volumus, si ad legẽ spiritus viuere; carnis cupiditas, quę illi aduersatur, opprimenda est. Alioqui nõ magis ista inter se cohærere & cohabitare poterũt, quàm bonũ & malum, & lux & tenebrę, scientia & ignorantia: contrariorum enim est, sibi inuicem aduersari, seq. mutuò pellere atque perimere, neq; in eodem subiecto posse consistere. In cęlo quidẽ caro glorificata spiritui obsequẽs & amica erit: in hac autẽ vita irreconciliabile aduersus illam bellũ gerit. Cuius verò difficultatis ac laboris sit, carnem spiritui subiicere, & turbidos eius atque rebelles motus comprimere, patet primùm quidem ex ipsius natura & cõditione carnis: quę carnalia bona tanquã sibi familiaria & cognata auidissimè concupiscit. Eius verò natiuam cupiditatẽ præsentium bonorum conspectus atque vsus magnopere acuit. Multũ enim in vtramq; partem rerum quas vel cupimus, vel odio habemus, pręsentia valet. Adde etiam dęmonis vim atque potentiam, quę carnis cupiditates, per se satis incensas, flatu suo magis incendit: vtpote de quo scriptum est: Halitus eius prunas ardere facit, & flãma de ore eius egreditur. Iob 41. Hic igitur antiquus serpens, potestate sibi à Deo permissa, insidiatur calcaneo nostro, variisque animas nostras cuniculis & insidiis infatigabili contentione petit. Idemque (vt Lactantius Lactant. ait) idcircò in primordijs transgręssionis non statim ad pœnam à Deo detrusus est, vt hominem malitia sua exerceret ad virtutem: quæ nisi agitetur, nisi continua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. Ex quo fit, vt virtus nulla sit, si aduersarius desit. Vnde est illa à Philosophis iactata sententia: Marcet sine aduersario virtus. Adde quoque varias prauorum hominum iniurias & contumelias, quæ animum nostrum irritant atque lacessunt, & ad odia & vindictæ cupiditatem exstimulant.

Quid verò, si his etiã diuturna prauæ vitæ consuetudo suffragatur, quæ carnẽ per se ad malum ex peccati corruptione procliuem, propensiorem ad illud facit? Hic igitur tam potens spiritus nostri aduersarius prosternendus atque deiiciendus est, si secundùm legẽ spiritus viuere volumus, Apostolo testante, qui ait: Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Qua ergo animi Rom. 8. fortitudine atque cõstantia opus erit, ad hunc hostẽ tot auxiliaribus copiis instructum, spiritui subiiciẽdum atque frenandũ? Iam verò quis omnia huius vitæ incõmoda, quis tot morborũ genera, tot charorum funera, tot clades, tot calamitates, tot insperatos casus enumerare poterit? ad quos leniter & moderatè ferendos, quanta patientia, qua animi submissione & fortitudine opus est, ne stultum aliquid aduersus mundi moderatorem Deum dolore stimulãte proferamus! Cùm igitur tot aduersarij legem spiritus oppugnãtes superandi à nobis sint, vt iuxta illius

præscri-

præscriptum vitam nostram instituamus: nónne magno animi robore, magnoq; studio ac labore opus est, quo tot hostes pro-
Iob 7. sternere ac superare valeamus? Hinc S. Iob militiam esse vitam hominis super terram ait: & ipse se non tam viuere quàm militare significauit, cùm dixit: Cunctis diebus, quibus nūc milito,
Iob 24. Petrus Damian. expecto donec veniat immutatio mea. Petrus quoque Damianus, in hymno Deum orans, ait: Præbe vires inexhausto decertanti prœlio. Quo nomine incessabilem atque perennē spiritus & carnis nostræ conflictum significantissimè designauit. Quæ cùm ita sint, fratres; quomodo, quæso, aliter huius vitæ dux & velut antesignanus aut viuere, aut vitam finire, nisi per varios agones & certamina, debuit? Rectè ergo idem Dominus: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Cæterùm ne quis hoc audiens à spiritualis vitæ studio deterreatur, illum obiter admonemus, charitatem in Deum tantam vim habere, vt hanc ipsam, de qua egimus, pugnā non grauem, sed leuem; nō acerbam, sed suauem efficiat. Hac enim de causa
Matth. 11 Saluator Euangelij iugum suaue, & onus leue esse ait. Si enim pecuniæ amor facit, vt homines ferrū & ignes augēdi lucri gratia non horreant: quid non facilè perferet ardens in Deum charitas, quæ per Spiritū sanctum in piorum cordibus effunditur: quę non modò mortificationem carnis, sed etiam mortem sanctis Martyribus optatissimam & iucundissimam fecit? Id adeò verum est, vt cùm primùm hæc ipsa charitas in piorum mentibus flagrare, & flammas suas emittere incipit, tantus frequēter affligendi corporis ardor excitetur, vt vix vlla in re maiori discretionis temperamento sit opus, ne immoderatis vigiliis, ieiuniis, & corporis castigatione salus & vita hominū periclitetur. Quo enim amor in Deum magis accenditur, hoc & desiderium propter eius gloriam patiendi, & odiū in carnem propriam magis excitatur: cuius immodicus amor summum amoris diuini impedimētum est. Nemo ergo, fratres dilectissimi laborem detrectet, nemo crucem horreat, nemo calicem passionis fugiat. Bibit ex eo primus Rex noster, & reliquias eius in nouissima cœna discipulis cæterisq; fidelibus tradidit inter se distribuendas. Hæc est via quæ ad immortalitatem ducit, hac dux noster processit, hac Apostoli, hac Prophetæ, hac sancti Martyres, hac postremò cæteri omnes electi, qui (vt Ioannes in Apoc. ait) occidendi sunt, sicut & illi, si non corporeo, certè spirituali gladio: si non morte corporis, at mortificatione carnis. Quicunq; igitur hoc martyrij genere se Deo per omnē vitam mactauerint, & carnem suā cum vitiis & concupiscentiis crucifixerint, ad vitam illàm peruenient, in qua non gladius, non mors, non lacrymæ, non labor, aut mœror iuris aliquid habent; sed æterna vita, placi-



placidiſſima pax, iucundiſſima requies, ac bonorum omnium plenitudo ſemper viget, & feſtiuum Alleluia communi omnium voce in omni æternitate cantatur.

IN EADEM SECVNDA FERIA POST PASCHA, CONCIO TERTIA: in qua, poſt breuem Euangelicæ lectionis explanationem, ſententia verbis thematis comprehenſa latiùs explicatur.

THEMA. *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Lucæ 24.



QVANTA ſit ſacratiſſimi huius diei ſolemnitas atque lætitia, fratres dilectiſſimi, declarant planè Eccleſiæ voces, quæ vbique Alleluia reſonant, & illum Dauidis verſiculum repetunt: Hæc dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Pſal.117.
Quæ ſit autẽ exultandi cauſa, B. Maximus declarat his verbis: Max. in ſer.
Bonus planè dies, qui lucem intulit vniuerſis: verùm non huius ſeculi lucem, ſed reſurrectionis æternæ. Lux enim iſta non caliginem noctis depulit, ſed mortis tenebras amputauit. Bonus inquam dies: & melior hic quàm ille in quo primùm mundus enituit. Ille enim hominibus ad laborem creatus eſt: hic factus eſt ad quietem. Ille mortẽ metuit: hic formidinem mortis euaſit. Ille bonis maliſq; communis eſt: hic iuſtorum eſt proprius. Illius diei lux tenebris ſepelitur: huius diei ſplendor etiam ſepulturas illuminat. Ac poſtremò, illius diei lucem mortui non vident: huius diei lumen etiam defunctis emicuit, ſicut ait Propheta: Qui ſedebant in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Iſaiæ 9.
Lætemur ergo in hac die, quæ & viuos circumfulget, & mortuos viuificat, & venturos illuminat. Hactenus Maximus.

Duo autẽ ſunt quæ à nobis ſacri huius diei ratio poſtulat; alterũ, vt gratiã & puritatẽ, quam Paſchalis agni merito, & ſacramentorũ virtute (quæ hoc tempore percepimus) vigilãti cura & ſtudio retineamus, ne fuſum pro ſalute noſtra Chriſti ſanguinem, peccando iterũ effundamus. Hęc enim tanta lucra (vt Leo Papa inquit) perſeueranti ſunt ſeruãda cuſtodia: ne in deſidiam reſoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia. Leo in ſerm.
In hoc autem malum incidunt, qui, tranſacto Quadrageſimalis pœnitentiæ tempore, peiùs in eadem peccata corruunt, quàm antè iacuerant. Alterũ verò eſt, vt de percepta per Chriſti

mortem & resurrectionem salute, in ipso exultemus, & gaudeamus, & immortales illi pro tãto munere gratias agamus. Christus enim Dominus vnica morte sua nos à duplici morte, corporis videlicet atq; animæ, liberauit, & in patrias sedes, hoc est, in regnum cælorum (à quo vniuersum genus hominum communis peccati iure exulabat) reuocauit. Lex Iudæis olim lata erat, vt, qui propter admissa crimina à patria sua profugi vagabantur, in morte summi sacerdotis ab exilio reuocarentur, & à priorum criminũ reatu liberi, ad ciuitates suas remearent. Hac autem lege Dominus non obscurè mortis Christi meritum & gratiam designauit, per quam & generis humani scelera soluta, & aditus nobis in cæleste regnũ ipso resurgente patefactus est. Quòd igitur & peccata nostra soluta, & mors per eius mortem mortua, & vita per resurrectionem fuerit reparata, vnico salutis nostræ auctori acceptum ferre debemus. Idem quoque nobis summi sacerdotis Aaron mors appositissimè adumbrauit. Quo enim is anno mortuus est, filij Israel promissam sibi à Deo terram lacte & melle manantem armis feliciter occupauerunt. Sic
Num. 33. enim Num. 33. legimus: Ascendit Aaron sacerdos in montem Hor, iubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israël de Aegypto. Cùm autẽ post quadraginta annos, quibus populus per desertum errauit, ad promissam sibi à Deo terram peruenerit, liquet planè eundẽ annum fuisse, quo & summus ille Sacerdos diem suũ obiit, & populus promissam sibi à Deo hæreditatem adiit. Cuius temporis ratio diuina ordinatione disposita, satis apertè Dominicæ mortis meritum atque virtutem significat. Vt enim quo tempore Sacerdos ille terrenus è viuis excessit, populus terrena hæreditate potitus est: ita quo tempore cælestis Sacerdos pro nobis mortuus est & resurrexit, nos etiã cum illo resurreximus, & cælestis hæreditatis per illum ius adepti sumus. Qua ergo lætitia exultare, quas clementissimo Redemptori gratias agere debent, qui hoc tanto munere donati sunt? De hoc igitur ineffabili mysterio in præsenti concione dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Si qui hoc sacratissimo tempore candidam vestem, ex immaculati Agni vellere contextã, sacramentorum virtute (vt modò diximus) perceperunt, quãnam ratione illam eodẽ candore nitentẽ seruare, & ad tribunal Christi perferre possent, à me modò quærerẽt: cùm multa ad hoc esse necessaria constet, hoc tandem illis responsum præberem, nempe vt beneficium, cuius virtute hoc tantum munus perceperunt, omnibus diebus vitæ suæ pio animi studio recolerent. Constat enim Dominicæ passionis merito

merito hanc nobis vestem candidam esse donatam. Eam ergo passionem quotidie ad memoriam reuocemus, & pro tanto diuinæ pietatis beneficio continuas illi gratias agamus: perq; illius virtutem & meritum gratiam postulemus, qua, quod eius merito nobis collatum est, eodem perpetuò retineamus. In quo quidē beneficio cùm multa sint admiratione dignissima, multo tamen mirabilior salutis & redemptionis modus, quàm ipsa redēptio fuit. Modus quippe fuit, vt salutis nostræ auctor omnia in se humani generis debita susciperet, ac pro illis dissoluendis acerbissimum mortis genus, & extrema supplicia subiret. Hæc igitur summa diuinæ pietatis dignatio omnem superat admirationem. Nec enim adeò miramur magnificentissimum Dominum magnifica dona dare, & gratis etiam ex sola liberalitate donare. Mala autē perferre, à diuinitatis natura alienissimum est. Hæc igitur tanta diuinæ bonitatis dignatio vt supra modum summi huius beneficij magnitudinem auget; ita maximam erga nos diuinæ charitatis amplitudinem ostendit. Qua de re sic D. Chrysologus ait: Parum esse Dominus credidit, si affectum suum erga nos præstando prospera tantùm, nō etiam aduersa sustinendo monstraret. Quod cùm ita sit, rectè & verè dicere possumus, Deum vsque adeò humanæ salutis amore captum fuisse, vt non solùm quod potuit, sed (vt ita dictum sit) plus etiam quàm potuit, pro nobis fecerit: quando quod à diuinitatis suæ natura alienum erat, in natura peregrina, à se misericorditer assumpta, voluit sustinere. Petrus Rauēnas.

Qua autem charitate illos Dominus prosequatur, qui huius tanti beneficij memorem semper animum gestant (vt alia exempla prætereamus) ex hodierna sancti Euangelij lectione intelligere licet. Hac enim de causa duobus hodie discipulis in Emmaus pergentibus tertius in via Dominus comes additus est: sacrarumq; litterarū illis mysteria detexit, mentesq; ipsorū & cęlesti luce compleuit, & ardentissimo igne charitatis inflammauit, quòd eos animaduertit magno animi dolore ex passionis eius recordatione sauciatos, de ea inter se piè & amanter cōfabulari. Hoc enim illa Domini interrogatio apertè testatur, qua ad illos propiùs accedens quæsiuit: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulātes, & estis tristes?* Cui illi, *Tu,* inquiunt, *solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in ea his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? De Iesu,* inquiunt, *Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, & quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel. Et nūc super hæc omnia, tertia dies est hodie quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædā ex nostris*

terruerunt nos; quæ ante lucem fuerunt ad monumentum: & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Hac igitur tam longa narratione patienter audita, peregrinus noster acri obiurgatione disputationẽ suam orditur his verbis: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Hanc Domini sententiam, quoniam longiore explanatione indiget, paullulùm modò differam, vt quod reliquum est Euangelicæ historiæ, priùs absoluam.

Dum ergo Dominus hanc sententiā multis sanctarū scripturarum testimonijs confirmasset, discipuliq; docentē illū auidissimè audirent, *appropinquauerunt castello quò ibant. Et ipse finxit se longiùs ire.* Hoc in loco quærendum est, cur Dn̄s hoc fingere voluerit? Cui quæstioni D. Bernardus respōdet, quòd videlicet hac ratione, dū simularet se eos velle deserere, dilectionis igne, quo suauiter ardebant, vehementiùs inflammaret. Quid enim (ait idē) eos putatis animi habuisse, cùm se fingeret longiùs ire? Existimo enim talibus eum verbis interpellasse: Ne recedes dulcissime, ne discesseris à nobis: sed adhuc de Iesu Nazareno sonet vox tua in auribus nostris. Loquere, quæsumus, de gaudio resurrectionis. Mane nobiscum, quoniā aduesperascit, & inclinata est iam dies: sed agemus vigilias noctis. Non enim sufficit dies, vt saturetur auris auditu de dulcissimo Iesu. Hactenus Bernardus.

Bernard.

Hac igitur discipulorū oratione Saluator inductus, ad idem cum illis hospitium diuertit. Ob hoc enim finxit se longiùs ire, quoniam (vt idem D. Bernardus ait) audire volebat: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Præteriens enim teneri vult, abiens reuocari. Sic etiam discipulos in mari laborantes præterire volebat, quò videlicet hac simulatione (vt D. Ambrosius ait) eorum probaret fidem, & eliceret precem. Sic etiam à Sponsa in Canticis abscedit, quò videlicet & auidiùs reuocetur, & teneatur fortiùs.

Idem.

Ambros.

Habes igitur hîc tres huius simulationis fructus, quibus salus nostra continetur. Hac enim ratione & fides nostra probatur, & Sponsus, ne iterū abeat, strictiùs tenetur; & cùm abierit, auidiùs, vt redeat, per orationem inuocatur. Quod contrà multi faciunt, qui tunc maximè orationis officium deserunt, quando Sponsus abest: cùm tamen vel eo maximè tempore inuocādus esset, quando ob hoc præcipuè abest, vt magna vi precum magnoque studio in pristinum domicilium reuocetur.

Contrà verò pij faciunt, qui cùm absente Domino se in tenebris & solicitudine quodāmodò agere videant, ad ipsum cū di-

scipulis

ſcipulis clamant: *Mane nobiſcum Domine, quoniã adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Quàm diu enim præſentia tua fruimur, in luce & claritate verſamur: vbi verò à nobis abſceſſiſti, quid nobis lætũ, quid nõ triſte atq; funeſtũ eſſe queat? Mens enim internæ vacationi & rerũ diuinarũ contẽplationi aſſueta, quæ inhabitantis Domini preſentia paſcitur, quæ familiari eius cõſuetudine fruitur, quæ inter humeros illius requieſcit, quæ internis cũ eo colloquiis oblectatur, quę à terrenis curis & cupiditatibus libera intra ſe verã felicitatẽ & regnum Dei quærit, ſecumque habitat, & ſecũ viuit: hęc (inquã) mens, vbi ſe aliquãdo diuinæ viſitationis atq; pręſentiæ fructu priuatam ſentit, quomodo nõ affligetur, & doleat, cùm ſe interno illo ſpiritus gaudio, quod de Sponſi ſui familiari conſuetudine percipiebat, & propter quod vnũ cętera vitę ſolatia repudiauerat, viduatã cernit? Verè enim quemadmodum piſces in elementi ſui regione poſiti ſubſiliunt & exultant, ab ea autem extrahi grauiter & moleſtè ferũt, omnemque illam agilitatem amittentes, vix loco mouentur; quoniam illic velut in naturali ſuo loco, hìc verò extra illũ manent; ita purgata mens, quæ in Deo tãquam in centro ſuo requieſcit, cùm ab eo aliquãdo diuellitur, nihil ſibi dulce, nihil ſuaue, nihil gratum inuenit: ſed omnia curarum, moleſtiarũ, atque triſtitiæ plena. Hoc ipſum autem illa Domini verba inſinuant: Nõ poſſunt (inquit) filij ſponſi lugere, quàm diu cum illis eſt ſponſus: Venient autẽ dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Quod autẽ ſit hoc filiorũ ieiunium, D. Ambroſius exponit, cùm ait: Famem patimur, non corporis, ſed amoris: nec tam cibi ieiunio, quàm deſiderio laboramus. Hoc item deſiderio D. Bernardus abſcedẽte ſponſo laborabat, qui ita de ſe ait: Hoc tẽpore triſtis ſit neceſſe eſt anima mea, donec iterũ reuertatur, & iterùm recaleſcat cor meum intra me, idq; ſit reuerſionis indicium. Et mox: Et quoties elabetur, toties repetetur à me: nec ceſſabo clamitare quaſi poſt tergũ abeuntis, ardenti deſiderio cordis, vt redeat, & reddat mihi lætitiã ſalutaris ſui, reddat mihi ſeipſum. Fateor vobis, filij, nihil aliud interim libet, dum non pręſtò eſt quod ſolum libet. Et hoc oro vt non vacuũ veniat, ſed plenum gratiæ & veritatis, more vtiq; ſuo, ſicut heri, & nudiuſtertius. Hactenus ille. O verè felices, qui hanc cæleſtis Sponſi abſentiã ſentiunt! qui nulla alia re, niſi ſola eius præſentia delectantur! qui illa Prophetæ verba vſurpare poſſunt: Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum, &c.

Simile. Matth. 9. Ambroſ. Bernard. Pſal. 76.

Sed ad diſcipulos iterũ redeamus: non contenti enim Dominũ hac oratione ad hoſpitiũ inuitaſſe, tandẽ coëgerũt eum: hoc eſt, vim illi intulerunt, vt ad hoſpitium & prandium cũ eis diuerteret. *Et factum eſt* (ait Euangeliſta) *cùm recumberet cum eis,*

accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum. & cognouerunt eũ: & ipse euanuit ex oculis eorũ. Hoc argumẽto D. Gregorius hoſpitalitatis & miſericordiæ officiũ fidelibus vehemẽter cõmendat. Eius hoc in loco verba ſubiiciã: Hoc exemplo intelligimus, fratres, quia peregrini ad hoſpitium non ſolùm inuitandi ſunt, ſed etiã trahendi. Menſam ponunt, panes ciboſque offerunt, & Deum, quem ſcripturæ ſacrę expoſitione non cognouerant, in panis fractione cognoſcunt. Audiendo ergo præcepta Dei, illuminati nõ ſunt, faciendo illuminati ſunt; quia ſcriptum eſt, Non auditores legis iuſtificabuntur apud Deum, ſed factores legis. Qui ergo vult audita intelligere, feſtinet ea quę iam intelligere potuit, opere implere. Ecce Dominus nõ eſt cognitus dũ loqueretur: & dignatus eſt cognoſci dum paſcitur. Hoſpitalitatem ergo, fratres chariſſimi, diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulũ dicitur: Charitas fraternitatis maneat in vobis: & hoſpitalitatẽ nolite obliuiſci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis. Hinc Petrus ait: Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Hinc ipſa Veritas dicit: Hoſpes fui, & collegiſtis me. Opinata res eſt valdè, & ſeniorũ noſtrorũ nobis relatione tradita. Quidam paterfamilias cũ tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat. Cumque quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quodã die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad menſam ductus eſt. Dumq; paterfamilias ex humilitatis conſuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus vrceum accepit: ſed repentè eum, in cuius manibus aquã fundere voluerat, nõ inuenit. Cumque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte ei Dominus per viſionẽ dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. Hactenus verba Gregorij. Simile quiddam eidem beato Pontifici Gregorio contigiſſe, Simeon Metaphraſtes in eius vita longa oratione commemorat. Quid autem ex hoc potiſſimũ loco intelligimus? Certè verũ eſſe quod D. Auguſtinus, hunc locum explanans, breui hac oratione cõprehendit: Tene hoſpitem, ſi vis agnoſcere Saluatorẽ. Quod enim in diſcipulis tulerat infidelitas, reddidit hoſpitalitas. Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad verba themate comprehenſa veniamus.

Gregor. in Hom. — Heb. 13. — 1. Pet. 4. — Mat. 25.

Tractatio Thematis. I.

CVM diſcipuli Domini & in eius paſſione ſcandalum paſſi eſſent, & fidẽ ſimul & ſpem reſurrectionis eius amiſiſſent; cõmotus eorũ tarditate Dominus, hac exclamatione orationem ſuam aggreſſus eſt: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita*

intrare

intrare in gloriã ſuam? Hac autẽ loquẽdi figura per interrogationis notã, eſſe hanc rem & apertiſſimã & cõuenientiſſimã, ſignificare Dominus voluit. Eſt ita planè, nõ diffitemur. Sed hoc tamen eſt, quod mundus maximè ſtudet ac miratur. Quid enim mirabilius, quã quòd ſumma illa & infinita maieſtas, quæ multis aliis rationibus humanam ſalutem conſtituere potuiſſet, tot probra, tot verbera, tot ludibria, ac poſtremò viliſſimum crucis ſuppliciũ ſubire voluerit? An eſt quicquam mirabilius? O quãtus philoſophandi campus ſeſe nobis hoc in loco aperiebat! in quo planè nullum dicendi finem omnis mortalium lingua erat habitura. Exigebat enim hic locus, vt cauſas omnes explicaremus, propter quas cõmodiſſimum fuerit, acerbiſſima vnigeniti Filij Dei morte genus hominũ à morte liberari. Hæ porrò cauſæ quid aliud quàm omnes illi fructus ſunt, qui ex Dominicæ crucis arbore prodierũt? Hoc autem quis numerare valeat, niſi qui ſtellarũ multitudinẽ numerat? Omnes tamẽ ad duo præcipuè capita referri, Leo Papa teſtatur his verbis: Crux Chriſti, quæ ſaluandis eſt impenſa mortalibus, & ſacramentũ eſt & exemplum. Sacramentũ, quo Virtus impletur diuina; exemplum, quo deuotio excitatur humana: quoniam captiuitatis iugo erutis etiã hoc præſtat redemptio, vt eã ſequi poſſit imitatio. Cùm igitur duo hęc in paſſione Dñica inueniantur, ſacramentum ad redemptionẽ, & exemplũ ad imitationẽ: de ſacramẽto aliàs, de exemplo nunc dicamus. De hoc enim Saluator hoc in loco pręcipuè meminiſſe videtur, cùm Chriſti nomine vſus eſt, dicens: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum*? &c. In quo quidem nomine inſignis quædam emphaſis mihi incluſa eſſe videtur, quæ in reliqua cõcionis parte paulo fuſiùs à me explicanda eſt. Ad quod tamen attẽtiores modò mihi veſtras aures exhiberi cupio: quoniam de re omnium maxima locuturus ſum. Sed quædam tamen, priuſquam rem ipſam aggrediar, prælibare neceſſe eſt. *Leo Papa.*

Principiò aduertendũ eſt, glorioſum Chriſti nomen nõ perſonæ, ſed officij nomẽ eſſe: Regẽ enim ſiue ducẽ ſignificat: quo nomine Saluator in litteris ſanctis nõ raro appellatur. Sic enim illum Dominus apud Michæam vocat, cùm ait: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populũ meum Iſraël. Simili quoq; nomine apud Eſaiã vocat, cùm ait: Ecce teſtẽ populis dedi eũ, ducẽ ac præceptorẽ gentibus. In quibus verbis tria cæleſtis Pater Filio ſuo nomina imponit, teſtis, ducis, ac præceptoris. Vt fidelis enim teſtis, voluntatem Patris nobis teſtificatus eſt, quod ipſum ad præceptoris officiũ pertinet: vt dux verò, eadem præcepta, quæ verbis docuit, exemplis confirmauit: atque ita ſe nobis itineris in cælum ducem exhibuit. Hoc ipſum autem idem *Mich. 5.* *Eſaiæ 55.*

Ioan.14. Dominus significauit, cùm dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Est enim (vt Leo Papa interpretatur) via cõuersationis sanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, & vita beatitudinis sempiternæ. Non ergo verbis tantùm, vt pręceptor, informare, sed multo magis, vt dux, clarissimis virtutũ suarũ exẽplis præire nobis, & ducatũ in cælum præbere debuit. Hoc enim Christi nomen designat.

Deinde illud etiã animaduertendũ est, inter eos qui hunc ducẽ sequuntur, alios esse perfectos, alios imperfectos. Imperfecti autẽ sunt, qui diuinæ legis pręcepta custodientes, mortifera peccata vitare student. Perfecti verò, qui non præcepta modò, sed etiam Euangelica consilia omni studio seruare curantes, non à mortiferis solùm, sed à venialibus etiã delictis abstinere contendũt. Horũ minor quidẽ numerus, illorũ multo maior est. Vtrosque autem ad cæleste regnũ pertinere Saluator insinuauit, cùm Ioan.14. in domo Patris sui mãsiones multas esse dixit. Multitudo namque mansionum, hoc est, varij gradus præmiorũ, multitudinem quoque & varietatẽ indicat meritorum. In quo diuinę bonitatis & charitatis largitas apparet, quæ tã amplo charitatis sinu fideles etiam infirmos & imperfectos (modò in charitate decedãt) ad felicitatis suæ consortium admittere dignatur. Quapropter succẽsere mihi modò nemo debet, si de arctissima perfectionis via nunc disseruero: non enim vos ad eam adigam, sed qua in re posita sit ostendam. Erit autem nobis non inutilis hęc disputatio; partim vt huius sententiæ, quam initiò proposui, veritatem & conuenientiam intelligamus, partim vt perfectorum cõparatione & exemplo nos ipsos deijciamus; partim etiã, vt qui in via Dei proficere volunt (omnes autem velle debent) qua illis via gradiendum, & quò tendendum sit, agnoscere valeant.

Vt igitur ad rem propiùs accedamus, horũ omnium siue perfectorum, siue imperfectorũ, siue summorum, siue infimorum hominum Christus Dominus dux, hoc est, virtutum omnium exemplar est. Propter infirmos quippe ante passionem suã pauere atque cõtristari cœpit, vt infirmiora eius membra, vbi quid simile paterentur, hoc ex eo solatium caperẽt. Quamuis autem hoc ita sit, illud tamen certissimum est, ducem nostrum, absolutissimum perfectionis omniumq; maximarum virtutum exemplar exstitisse, & ad hoc (vt cætera sileamus) in mundum venisse, vt Euangelicæ perfectionis viam non modò tamquam præceptor verbis doceret, sed etiam tanquam dux clarissimis virtu-

Daniel.9. tum exemplis commonstraret. Hac enim de causa illum Daniel Sanctum sanctorum vocat: quoniam & omnium sanctorum maximus, & omnium sanctificator, omnibusque sanctis in absolutissimum sanctitatis exemplar datus sit.

Inter sanctos porrò quidã belli, quidã pacis tempore fidissimi

Deo atq; perfectissimi exstiterũt. Belli autem tempore constat fuisse Apostolos, Martyres, & Prophetarũ multos, qui propter iustitiam extrema supplicia perpessi sunt. Horum autem vitam & labores Apostolus describit his verbis: Sancti viri ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes; in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Hæc igitur vita, hi labores & agones sanctissimorũ veteris Testamẽti patrũ exstitere. Sanctorũ autem noui Testamenti vitã & certamina idem Apostolus in persona sua & aliorum Apostolorum exponit his verbis: Vsque in hanc horã esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Denique paulo antè hæc verba præmiserat; Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus. Hoc est, tot tantiq; agones & certamina nostra sunt, vt nõ hominibus solũ, sed Angelis etiã spectaculo admirationis simus: quemadmodum illi qui in ludis & spectaculis Gentilium cum atrocissimis feris decertare solent. Talis igitur eorum vita fuit, qui belli tempore fideles Domino exstiterunt. Qui huiusmodi certaminibus ita eius gloriã extulerunt, vt neque solis & lunæ, neque cæli ipsius ornatus, atque totius mundi fabricatio cũ hac gloria vllo modo comparanda sit. Est planè mirabilis Dominus in cunctis operibus suis, sed longè tamen mirabilior in Martyribus suis. Hoc est enim sacrificiorum omnium summum, quo se ipsum homo Deo immolat: hoc summũ charitatis argumentum, & summum item diuinæ gloriæ testimonium, supra quod nullum maius ab homine expectari potest.

Hebr. 11.

1. Cor. 4.

Nunc quæro à vobis, fratres, quid ad hos diuinos viros in mediis laborũ suorũ certaminibus fulciendos, erigendos, corroborandos, & cõsolandos proponi maius poterat, quàm hic Martyrum Princeps cũ corona qua coronauit illũ cælestis Pater in die sui triumphi? Quid illis intolerandũ videri poterat, cùm certissimis fidei oculis summum illum & præpotentẽ rerum omnium Dominum nulla sua necessitate sed sola charitate, propter sempiternã illis salutem sanguine suo parãdam, verbera, sputa, ludibria, irrisiones, alapas, vincula, opprobria, spineã coronam, fel & acetum, ac postremò atrocissimum crucis supplicium inter maleficos & latrones libentissimè perferentem cernerent? In ipsum certè oculos conijcientes, promptissimo animo illi

vitam & sanguinem offerebant, qui pro ipsis prior vitam & sanguinem fudit. Si summa igitur vtriusq; Ecclesiæ, militantis scilicet ac triumphantis, gloria in martyrũ triumphis & victoriis sita est; si in horum præcipuè exemplar Christus Dominus datus est: nónne ergo illum eadẽ quæ illi, & multo etiã grauiora ferre oportuit, & ita intrare in gloriam suam? Quis autem ex hac eius passione fructus permanarit, declarat planè infinitus propè Martyrum exercitus, & tot inuictę sanctorum acies, quæ post hoc Dominicæ passionis exemplum, spectante & admirante mundo, consecutæ sunt, quæ fulgorem siderum non modò splendore suo, sed numero etiam superare videntur.

II.

Veniamus ad alios, qui pacis tempore Domino seruierũt. Hi autẽ sunt sancti Confessores, Monachi & Eremitę: qui & Anachoritæ Græco verbo nuncupãtur, quòd à turbis hominum semoti, soli Deo in solitudine vacabant. Ex horũ autem vita atq; instituto & Monachos & cæteros Cõfessores diiudicare licebit; quando omnes Confessorum nomine ab Ecclesia celebrantur. Horum porrò vitã D. Hieronymus ad Eustochiũ vnico verbo expressisse videtur. (Hiero. ad Eustoch.) Postquam enim Monachorũ, qui in cõgregatione viuebãt, mores, & instituta descripsisset, ad Anachoritas veniens ait: Horũ vitam in carne non carnis, alio si volueris loco describã. Quibus verbis innuere voluit, viros illos sanctissimos, omnibus carnis affectibus & cupiditatibus compressis & proculcatis, omnibusq; corporis deliciis penitus abdicatis, solo spiritu viuere, & spiritualia diu noctuq; meditari, atque ita Angelorũ vitã, qui corporis expertes sunt, in corpore positos imitari. Cuius sententiã Ioan. Climac. cõfirmat, (Io. Clim. Grad. 1.) qui Monachũ hac ratione definit: Monachus est ordo & status Angelicus, in sordido & materiali corpore cõsummatus; hoc est, qui in corpore mortali degens, Angelorũ puritatem & officiũ pro virili sua sectari conatur. Quod quidem officiũ secunda definitione, quam continuò subiunxit, exponit his verbis: Monachus est, qui ad Deum solum acie mentis semper intentus, ipsum orat in omni tẽpore, loco, & re. Sicut ergo Angeli, etiã si ad nos in ministeriũ mittãtur, nobisq; custodiendis inuigilent, nunquã tamen aciem mentis à Dei contemplatione diuellunt: ita perfectus Monachus, cæteris huius vitæ curis studiisq; repudiatis, in hoc vnum semper incumbit, vt siue comedat, siue bibat, siue aliquid operetur, siue ab opere vacet, siue in solitudine, siue in frequentia hominum versetur, Deum semper ante oculos habeat.

Sed dicetis forsitan: Qui fieri potest, vt humana mens, corporis cura neglecta, hoc modo in Deum eleuata & suspensa sit, cũ oporteat innumeris propè necessitatibus corporis deseruire?

Huic

Huic obiectioni idem Climacus tertia Monachi definitione satisfacit,quę sic habet:Monachus est perpetua naturę violentia,sensuumq; vigilantissima & indefessa custodia. Qua quidē definitione vir sanctus ostendit,necesse esse,vt qui Angelorum puritatem &contemplationē debeat imitari,se à corporis obsequio atque seruitute abdicet:hoc est,vt exceptis his sine quibus vita transigi non potest,cæteris rebus quę nō ad necessitatē,sed ad voluptatē pertinent,sibi interdicat,ideoq;sibi perpetuò vim inferat,secum ipse pugnet,se ipsum abneget,sensusq;suos omnes sub disciplinæ seueritate cōtineat, omnesq. turbidos animi motus & affectus ita lege coërceat,vt,quantum homini fas est, numquā mentē à rerum diuinarum studio & contēplatione abducat.Sic enim fiet,vt ab his curis tanquam manumissus,libero atque expedito mentis volatu sese ad sublimia attollat, nihilq; sit quod illū eò tendentē remorari,vel ibi cū Angelis cōmorantem atq.manentē interturbare valeat.Hanc porrò Climaci definitionē illa Apostoli verba cōfirmant:Qui Christi sunt,carnē suā crucifixerunt cum vitiis & cōcupiscentiis.Hoc autē facere, spirituale quoddā martyriū esse D.Bernard.testatur his verbis: Est quoddam martyrij genus,facta carnis mortificare,illo sanè quo mēbra cæduntur ferro,horrore quidē mitiùs,sed vitæ diuturnitate molestiùs.Qua ex re intelligimus,verā esse D.Maximi sententiā,nempe vitam Christianā(si ad normam Euāgelicæ perfectionis exigatur) perpetuā quandam crucem esse. Ego verò nō vnam quidem, sed multas cruces esse necessarias ei qui hanc vitam tueri velit,asseuerare nō dubitem.Alia quippe crux oculis adhibenda est,ne videant vanitatē:alia auribus,ne detractionibus aut turpiloquiis & scurrilitatibus pateant: alia naribus,ne odoribus capiantur,qui vel inanem vel vanam voluptatem pariāt:alia linguæ,ne tanquam fera vinculis soluta, & nostram & aliorum vitam dilaceret: alia gustatui, ne ciborum saporibus atque suauitate inescatus,ad ea cōquirenda mentē sollicitet,eamq; ex diuinarum rerum contemplatione ad Aegypti ollas & carnis delicias abiiciat. Alia item crux toti corpori est adhibenda; cui neque in veste,neque in lecto,cæterisque rebus quicquam vel molle,vel blandum,aut illecebrosum permittendum est. Verùm hæ cruces externis sensibus necessariæ sunt. Multò autem plures internis adhibendæ. Nam & intellectus, & memoria, & imaginandi vis liganda,& à terrenis cogitationibus abducenda, solisque diuinis rebus pascenda & occupanda est. Iam verò quot cruces turbulentis animi motibus, variisque cupiditatibus necessariæ sunt, quando ira furit, amor æstuat,odium torquet, desiderium cruciat,ambitio flagrat,metus animum contrahit,auaritia vrit, inuidia exedit, cæteraque animo-

Idem vbi suprà.

Galat. 5.

Bernard.

Max. in serm.

animorum pestes mentem torquent atq; dilacerant? An nō hic tot cruces sunt necessariæ, quot motus coërcēdi atque frenandi sunt? Videtis ergo quàm meritò dictum sit, Euangelicam vitam esse crucē, & monachi institutum perpetuā naturæ violentiam, sensuumque vigilantissimam indefessamque custodiam existere? Quæ omnia eò pertinēt, vt animus noster à corporis seruitute, & tyrannide cupiditatum liberatus, solo spiritu (quantum homini fas est) Angelorum more cęlestem in terris vitam agat.

Verùm vt faciliùs hanc ipsam monasticæ vitæ definitionem percipiatis, non erit alienum, rem optimā cum re pessima comparare: quemadmodū Philosophi rem omniū infimam, nempe materiam primā, cum re omnium optima, hoc est, cum summo Deo solent aptissimè componere. Vt enim illa omnis perfectionis expers; ita contrà summus ille rerum omnium Dominus cunctarum perfectionum & bonorum compos est. Simili ergo ratione perfectum & spiritualem virum cum carnali viro conferre licebit. Sicut enim hic, animæ suæ cura prorsus neglecta, se totum cunctis carnis voluptatibus & cupiditatibus explēdis tradit, neque aliud quàm carnalia & terrena bona perpetuò cogitat: ita contrà vir spiritualis atque perfectus, omnibus carnis curis & illecebris (quatenus licet & fas est) cōpressis & repudiatis, totum se meliori sui parti, hoc est, menti virtutibus cunctis illustrandæ, perficiendæ, & ad sublimia atque diuina iugiter attollendæ, perpetuò addicit. Ille igitur ita viuit, ac si animā Dei capacem non haberet, quomodo pecudes viuunt: iste contrà sic vitam suam instituere nititur, ac si corporis expers esset, quemadmodum Angeli viuunt. Hoc enim D. Hieronymus significare voluit, cùm sanctos illos Anachoritas in carne pręter carnem viuere testatus est. De horum autem laboribus atque laudibus Theodoretus in ea historia, quam is Religiosam appellat, sic ait: Hos qui per innumerabiles quidē labores vitæ iter ingressi sunt, sudoribus autem & afflictionibus corpus edomuerunt, & risus quidem affectionem ignorauerunt, in luctu autem & lachrymis omnem vitam consumpserunt, & delicias quidem Sybariticas ieiunium existimauerūt; somnū autem suauissimum, laboriosas vigilias; molle stratum, durum solum; immensam & inexplebilem voluptatem, in orationibus & cantandis Psalmis cōuersationem; hos (inquam) qui omne genus virtutis complexi sunt, quis non iure fuerit admiratus, vel potiùs quis pro dignitate eorū laudes celebrauerit? Hactenus Theodoretus. Hos deinde ait ardenti diuinæ pulchritudinis amore captos, hisce laboribus coëgisse corpus fœdus inire cum anima; atque ita factum est, vt in corpore agentes, Angelorum vitam, qui corporis expertes sunt, quodammodò imitarentur.

Hieron.

Sed

III.

Sed quæretis modò, quò tandem hoc itinere, hoc est, per contritionem & mortificationem carnis, homines perueniāt. Nihil hîc de sempiterna felicitate dicā, quæ huic vitæ promissa atque parata est. In præsenti tamen sęculo ad statum quendam supernaturalem atque cælestem, omnibus virtutibus, omnibusq; spiritualibus deliciis circumfluentem, perducuntur. In quo planè humana felicitas (quæ acquiri in hac vita potest) sita est. Quo enim viri sancti magis se à corporis voluptatibus seiunxerūt, eo maioribus diuini Spiritus deliciis perfruuntur; & quo propiùs ad Angelicæ vitæ puritatem accedunt, eo pleniùs Angelicæ felicitatis participes fiunt; & quo magis à terrenis curis & cupiditatibus soluti atque expediti sunt, eo celeriùs & vehementiùs sese ad cęlestia atq; diuina attollūt, & in Deum, hoc est, in suum centrum atque finem vltimum rapiuntur. Vbi enim humanus spiritus à corporis contagione & pōdere (quo ad terrena deprimitur) liber euasit, facilè ad spiritualia atq; diuina (qui ipsi similia & cognata sunt) præcipueque ad altissimum & supremum spiritum mira celeritate euolat: in cuius contemplatione atque complexu miris splendoribus atque deliciis reficitur & illuminatur. Vt enim speculum à cunctis sordibus & maculis repurgatum, soliq; obiectum, tantum ex se splendorem fundit, vt alter quodammodò sol esse videatur: ita vbi mens humana (quæ ad Dei imaginem condita est) ab omni terrena labe carnisque sordibus fuerit emundata, Soliq; iustitiæ obiecta, sic diuinis fulgoribus irradiatur, vt eius imaginem referat, cuius in se fulgorem & lumen recipit. Quot autem fulgoribus illuminatur, tot internis Spiritus sancti deliciis & consolationibus fruitur. Simile.

Ex his igitur quæ hactenus dicta sunt, fratres, facilè veritatem & cōuenientiam eius sententiæ, quam initio proposuimus, colligere licebit. Si enim Christus Dominus in absolutissimū sanctitatis exemplar nobis est datus (quæ tota in variorū laborum tolerantia sita est, si hāc se dignā prouinciā Filius Dei suscepit, vt hominē ad altissimū vitæ statum, hoc est, ad spiritualem atq; cęlestē vitā traduceret, ad hoc autē necesse erat perpetuò naturæ bellū inferre, & totam carnis militiā cum affectibus & cupiditatibus suis superare; quid magis præceptorē, ducem & principem nostrū decebat, quā vt se nobis in spiritualis huius mortis absolutissimum præberet exemplar? Quid enim nos magis ad hanc tantā rem tamq; difficilem iuuare poterat, quàm vt cælorum atq; rerū omnium Dominū salutis nostrę causa videremus tot laboribus fatigatū, tot pœnis attritum, tot plagis concisum, tot liuoribus deformatum, ac demū in cruce appensum, felle & aceto potatum, & infinitis propemodum ærumnis atq; doloribus

bus confectum? Quis enim, tali proposito exemplo, salutis suæ causa non faciat, quod cęlorum Dominus nulla sua necessitate, sed sola nostri charitate facere dignatus est?

Habent enim Saluatoris exempla quatuor (vt ita dixerim) circumstantias, quæ vehemẽter piorum animos ad virtutẽ omnem, ac præcipuè ad amorem eius exstimulant. Primùm enim hæc eius exempla non hominis tantùm, sed omnipotentis Dei & hominis exempla sunt: quæ cùm ad humilitatis & patientiæ virtutes referuntur, tanto sunt cæterorum sanctorum exemplis efficaciora, quãto personæ dignitas maior atq; amplior est. Qua enim fronte miles recuset ferre, quod Regem & Imperatorem suũ perpeti videt? Deinde hęc eadem exempla ita sunt exempla, vt sint etiam maxima & summa beneficia. Omnibus namque actionibus & laboribus suis Saluator gratiæ & gloriæ opes nobis promerebatur: quæ duo bona adeò magna sunt, vt nihil illis maius cogitari possit. Adde etiam, quòd hæc eadem exempla sunt etiam clarissima diuinæ charitatis indicia: quãdo (vt idem Saluator ait) maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Postremò eadem exempla sunt etiam apertissima diuinæ bonitatis argumenta. Ad bonitatis quippe naturam præcipuè pertinet, omnes alios bonos, hoc est, sui similes, suique participes efficere. Quoq; ardentiùs hoc desiderat, maioraque propter hoc ipsum incommoda subit, eo maiora & illustriora bonitatis documenta constituit. Quanta ergo illa Dei nostri bonitas exstitit, quæ, vt ingentes nobis stimulos ad virtutem & pietatem adderet, non dubitauit acerbissimum atque atrocissimum mortis supplicium subire?

Cæterùm quis verbis consequi possit, quantopere huiusmodi exẽplis sancti viri ad labores omnes & certamina propter iustitiã & pietatem subeunda fuerint incitati? His enim (vt antè diximus) sancti martyres incensi & cõfirmati, tantũ roboris animo conceperũt, vt eos neq; minæ, neque terrores, neq; dolores, neque supplicia, neq; mortis immanitas, neq; hostis sempiterni truculẽtia, nec omnia denique horribilia & pertimescenda labefactare, infringere, & à Christi cõiunctione diuellere potuerint. Gladios spernebant, in ignes irruebant, cruciatus appetebant, in tormentis vitam abiicere cupiebant. Multi namque eorum sic erãt animati, sic Redemptoris sui amore incensi, vt ipsi se vltrò ad mortẽ offerrẽt, & nec accusati, nec quæsiti, seipsos iudicibus & tribunalibus pręsentarent: tãtus illos ardor agebat, sanguine suo Redemptoris sui sanguinẽ & morte mortem compensandi.

Hoc eodẽ exemplo sancti illi Monachi & Anachoritæ cõfirmati, squalentis eremi horrorem, hebdomadarũ inediam, incredibilẽ carnis maceratione̅, solitudinis secessum, vigiles in oratione

tione noctes, continuã mentis in Deum eleuationem libentissimè perferebant, imò hęc ipsa in summis deliciis computabant.

Iam verò quicumq; se totos ad Christi cultum & obsequium addixerunt; vnde, quęso, nisi ab hoc fonte spiritũ atque animum hauriunt, quo in stadio pietatis & iustitiæ strenuè decertent & perseuerent? Siue enim corpus ieiuniis atterere, aut verberibus conscindere, aut sacco & cilicio exasperare, aut ęstu, frigore, fame, & siti affligere, vnde ad hoc vires, nisi ex cruce & passione Redemptoris sui colligunt? Præterea, si carnis cupiditates comprimendæ, si iræ furor coërcendus, si accepta iniuria vel patienter ferenda, vel etiam remittenda, si propria voluntas abneganda, si de malè merentibus benè merendum, si lecti mollities declinãda, si media nocte ad sacras vigilias surgendũ, si oratio diutiùs protrahenda, si lingua silentio comprimenda, si vel odia. vel damna propter iustitiam subeunda, si quid deniq; arduum propter Domini sui gloriã, & virtutis amorem aggrediendum est; quid illis priùs in mentem venit, quid magis vires & robur subministrat, quàm piissima illa Domini sui species in cruce pendentis, totque atrocissima pro salute nostra supplicia patientis?

Cùm ergo crucis mysterium tam magna nobis ad omnem pietatis & iustitiæ laborem præbeat adiumẽta; quid, quæso, magis ad Regis & ducis nostri officium pertinebat, quàm vt is per crucem ad gloriam pergeret, vt hoc exemplo suo viam nobis ad eandem gloriam ostenderet, facilemque redderet, eamque in se ipso cõsecraret? Naturæ lex est (inquit D. Basil.) apibus innata, vt nunquam ab alueariis discedãt, ni Rex illas antè præcesserit. Hoc exemplo naturæ auctor Dominus propriũ Regis officium designauit, quo non quid humana ambitio in vsu habeat, sed quid incorrupta naturæ lex præscribat, apertè declarauit. Ad hunc ergo modum consentaneum erat, vt verus ille & incorruptissimus Rex, qui ad nos è cęlis missus est, per arduum virtutis iter nos præcederet, vt illum, quocumque & quacumque pergeret, sequeremur, quicumque sub eius vexillo militamus. Quæ cùm ita sint, an non rectissimè ac verissimè ab eo dictum est: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in glóriam suam?* Simile.

Hoc igitur tantum beneficiũ, fratres, seruatori nostro debemus, qui moriendo iter nobis in cælũ ostendit; resurgẽdo verò, eius nobis fores aperuit: & moriendo quidẽ viã, resurgendo verò terminũ viæ: moriendo, quà esset eundum; resurgẽdo autem, quò esset perueniendũ, declarauit. Denique moriendo militiæ nostræ certamina & labores ostẽdit: resurgendo autẽ felicitatis æternæ coronam victoribus paratam demonstrauit. Finẽ ergo, fratres, principio iungamus: hoc est, vt tãtæ salutis auctorẽ pro nobis in cruce pendentẽ fidei oculis semper aspiciamus, illum arden-

ardentissima charitate diligamus, illi pro tanto munere gratias semper agamus, illius exempla nobis ante oculos proponamus, vt hoc itinere gradientes, ad illius tandem consortium hæreditatemque cælestem ipso donante peruenire mereamur.

DOMINICA IN ALBIS, CONCIO PRIMA: IN QVA, POST LECTIONIS Euangelicæ explanationem, de duplici resurrectione nostra, & causa eius (quæ fuit Christi Domini resurrectio) agitur; ac postremò spiritualis resurrectionis nostræ signa declarantur.

THE. *Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Rom. 4.



NIMAE Christum Dominum super omnia diligenti, & in vno illo spes omnes opesque suas collocāti, nulla solemnitas maior, nullus dies faustior atq; felicior, quàm qui resurgentē à mortuis Dominū prædicat. Qui enim sic vitā suam instituit, vt nihil præter Christū quærat, quòd illum sibi ad omnia sufficere credat; quid libētius audire poterit, quàm illū à mortuis deuicta morte surrexisse, & in æternum viuere atque regnare? viuere, inquam, nō modò sibi, sed omnibus etiam membris suis regēdis, tuendis, fouendis, & Spiritu suo afflādis. Si sanctus ille Patriarcha, vbi quē mortuū plorauerat filiū, viuere, & Aegypti principatū obtinere didicit, reuixisse, & nouo spiritu animatus fuisse dicitur, & in hæc verba prorupisse; Sufficit mihi, si adhuc filius meus viuit: quid (quæso) fidelis anima, quæ tota pendet à Christo, sentire debet, quādo viuere illum, & regnare audit, qui vnus illi ad omnia sufficit, qui illi in mœrore solatium, in tentatione præsidium, in fame cibus, in situ potus, in morbo salus, in paupertate diuitiæ, in infirmitate virtus, in periculis refugium, atq; (vt Propheta dicit) in tenebris lux, & in omnibus deniq; rebus salutare remediū & ornamentū est? Si vnus Ioseph patri ad felicitatē sufficit, qui paulo pòst vita functus est; quanto magis ille mihi ad felicitatem sufficere debet, qui in æternum victurus est, cuique omnis potestas in cęlo & in terra data est? Quis ergo magis salutem meam desiderabit, quàm qui me sic dilexit? quis potentiùs seruabit, quàm qui omnem in cælo & in terra pote-

statem

ſtatim accepit? Cùm ergo illum viuere audio, an non cum illo reuiuiſcet ſpiritus meus? an non in media quoque morte poſitus, hoc vno me nuncio & ſpe conſolabor? Hac enim fide orbitatem ſuam ſanctus ille Iob in ſterquilinio ſedens cõſolabatur, dicens: Credo quòd Redemptor meus viuit: dum enim ille vi- Iob 19.
uit, ego in faucibus etiam mortis poſitus, mori nõ potero. Quicumque igitur, fratres, reſurgente Domino, hunc in animis veſtris affectum ſentitis, bono animo eſſe debetis. Hoc enim vel maximum veræ dilectionis indicium eſt. Vt igitur ſalutaris huius affectus & gaudij participes eſſe poſſimus, cæleſtẽ opem, beatiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

LECTIO ſancti Euangelij, fratres chariſſimi, illuſtrẽ Dominicæ reſurrectionis manifeſtationem diſcipulis omnibus factam continet. *Cùm enim* (ait Ioannes) *ſerò eſſet illa die vna ſabbatorum* (hoc eſt, Dominica die, quę mox ſabbatum ſequitur) *& fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli cõgregati, propter metum Iudæorũ, venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dicit eis: Pax vobis.* Deinde quo dubios eorum animos ad fidem reſurrectionis excitaret, oſtendit eis manus & latus, vt notiſſimis illis ſignis, quibus ſacrum eius corpus fuerat inſignitum, apertè cognoſcerẽt, illud ipſum corpus, quod cruci affixum & clauſum tumulo fuerat, à mortuis ſurrexiſſe. Quo in loco quærere ſancti Patres ſolent, cur Dominus in corpore ſuo (quod poſt reſurrectionem inſigni decore & gloria ſplendebat) hæc ignominioſæ paſſionis ſigna voluerit permanere. Cuius rei cùm multæ ſint cauſæ, illa Ambroſ.
præcipua eſſe videtur, quam D. Ambroſ. memorat, nempe ideò Dominum vulnerum ſuorũ ſtigmata non abolere, ſed cælo inferre voluiſſe, vt Deo Patri pro nobis pretia noſtræ liberationis Rom. 8.
offerret. Hac enim ratione Apoſtolus ait, Chriſtum ad Patris dexteram ſedentem interpellare pro nobis. Sancta enim illa humanitate paternis oculis obiecta, ſacriſque illis vulneribus propter Patris obedientiam & gloriam acceptis, cauſam noſtram apud illum agit.

Qua in re naturæ prouidentiam in hoc ſummæ bonitatis & gratiæ opere imitatus fuiſſe Dominus videtur. Natura enim Simile.
animantiũ cordi (quod membrorũ omniũ calidiſſimũ eſt) pulmonẽ iuxtà poſuit, qui velut flabello quodã vehementem eius calorem tẽperat, ne nimio ardore diſſolueretur. Simile quiddã in diuino pectore inuenire licet. Innumera quippe hominum peccata diuini furoris ignem in eius pectore quotidie accendũt. Vnde ipſe per prophetã dicit: Ignis accenſus eſt in furore meo, Deut. 32.
& ardebit vſq; ad inferni nouiſſima. Si enim, vt Eccleſ. ait, ſecũ- Eccli. 28.
dũ ligna ſiluæ, ſic exardeſcit ignis: quãtus erit ille diuini furoris

ignis, cuius tot sunt ligna, quot sunt totius generis humani peccata! Constat enim vnumquodque eorum velut lignũ quoddã esse, quo diuinæ indignationis ardor magis accenditur. Quantus ergo ignis, quotidiana tot lignorum accessione, in sacro illo pectore flagrabit! Hunc igitur tantum ignem aduocatus noster Patri assistens, pretioso sanguinis sui rore, & vulnerum suorum ostensione, quodammodo refrigerat ac temperat. Hic est enim pulcherrimus ille arcus inter cæli nubes positus, in quem iratus Pater oculos coniiciens, iram suã continet, ne iterũ noua alluuione propter assidua peccata mundum obruat. Non enim ille arcus qui radiorum solis splendore nubem roridam feriente apparet, indignãtis Domini irã cohibet; sed ille qui in cruce sublatus, & sanguineo rubore perfusus, Patris iram leniit, illumque hominibus infensum placauit. Quo nomine Apostolus illum propitiatorem, siue (vt alia lectio habet) propitiatoriũ pro peccatis nostris appellat, aureo illo legis propitiatorio adũbratum. Quòd si hoc apud Patrem propitiatoriũ mundus non haberet, tam multa eius flagitia sunt, vt non dubitem, quin millies iam cum toto hominum genere aquarũ inundatione obrutus esset, aut nouo incendio conflagrasset. Quanto enim grauius modò sub gratia, quàm eo tempore homines delinquunt! Tunc enim neque dæmonis vires per Christum fractæ, neque cælestis regni fores apertæ, neque diuina lex tabulis incisa, neque sacramenta nouæ legis instituta, neque Spiritus sanctus è cælo demissus, neque tot Christi, tot Martyrum & Confessorũ exempla erãt, quæ homines ad pietatis & iustitiæ studium incitarent; neque (quod super omnia est) Deus in cruce pendens, summum erga homines amorem, summumque contra peccata odium ostenderat. Horum nihil rudi illo & recèns adhuc nato seculo homines habebant: quæ nobis abundè suppetunt omnia. An non igitur indignissimum est, vt, qui tanto plura & maiora ad bene viuendum adiumẽta percepimus, nihilo meliores illis simus? Neque enim minùs quàm illi oculorum lasciuia, linguæ petulãtia, inuidia, rapacitate, auaritia, iracundia, & impudicitia delinquimus, hæc omnia ad iustitiam incitamenta habentes, perinde quasi nihil horum prorsus haberemus. An nõ ergo omnes iam simili essemus alluuione delendi, nisi magnum hunc apud Patrem aduocatum haberemus, cuius nos meritis ad pœnitẽtiam præstolatur? Sed ad sequentia veniamus.

Gen. 6.

Rom. 3.

Vbi ergo Dominus stigmata sua, hoc est, vera resurrectionis signa discipulis ostẽdisset, iterũ ait; *Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hoc est, eadẽ charitate, eadẽ auctoritate, & ad eiusdẽ muneris functionẽ & dignitatẽ, qua me Pater misit, vos ego mitto; atque ita honoris & officij mei participes facio. Quã

enim

enim me Pater charitate misit, qui sic dilexit mundũ, vt Filiũ suum vnigenitum daret, eadem ego vos ad mundi salutẽ mitto. Quã item mihi Pater auctoritatem & potestatẽ cõtulit, dæmones videlicet pellendi, morbos sanãdi, & mortuos ad vitã reuocandi, & omnibus denique naturæ legibus imperandi, quodque maius est, peccata remittendi; eandem ego vobis trado. *Quorũ enim remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quod item munus & officium mihi Pater demandauit, idẽ ego vobis iniungo. Ille me Sacerdotẽ, Pontificem creauit, & Apostolum ac legatũ ad gẽtes misit: ego vos itẽ Sacerdos sacerdotes, Pontifex pontifices creo, & Apostolos & legatos pro me in mundũ mitto: vt verè dicere possitis: Pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exhortãte per nos. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docẽtes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis: ne videlicet fidei & baptismi gloria contenti, salutẽ sibi sine diuinorum præceptorũ obedientia polliceantur; cùm passionis & crucis meæ beneficiũ nõ inertiæ occasio, sed virtutis & laboris incitamẽtum esse debeat. Ioan. 2. 1. Cor. 5. Mat. vlt.

Quia verò tãtum hoc munus sine diuini numinis afflatu, & præsenti eius virtute administrari rectè non potest, ideo *accipite Spiritum sanctũ*, qui doceat vos omnia, & suggerat vobis omnia quæcumque dixero vobis. Simulque hęc verba proferens, nouo quodam ritu, *insufflauit in faciẽ eorum.* Quid igitur hoc mysterij est? Neque enim æterna sapientia hoc temere fecisse credenda est. Quorsum igitur insufflauit? Nimirum vt hoc visibili signo inuisibilem diuini Spiritus gratiam, quam illis tunc cõtulit, designaret. Sicut enim nouæ legis sacramẽta foris exprimũt quod intus operantur: (baptismus enim, dum extrà corpus abluit, interiorem animæ ablutionẽ operatur: & Eucharistia, dum corpus cibat, animam cælesti virtute reficit:) ita eiusdẽ spiritus siue aëris communio (dum Spiritum, qui intra Christi pectus erat, discipulis insufflauit) internam eiusdem diuini Spiritus communionem designat, cuius illos participes efficiebat. Qua in re mira Dei bonitas & sapientia elucet: bonitas, quòd discipulos ad tanti muneris communionem elegit: sapientia verò, quòd eundem Spiritum iis tribuit, quos ad eiusdem officij dignitatẽ destinauit. Quos enim Deus ad muneris alicuius functionem elegit, ea in illos dona cõfert, quibus illud plenissimè exequi & administrare possint. Sicut ergo cùm septuaginta senes olim ad populi sui regimen elegisset (ne solus Moyses tanto onere grauaretur) eodem illo Spiritu, quo Moysen, afflauit: sic etiã cùm discipulos suos ad Apostolici muneris dignitatem cooptasset, Spiritus sui participes effecit: vt diuino Spiritu informati, diuina opera perficerent, & in diuinos viros euaderent. Ioan. 14 Exod. 18.

Hæc item Domini insufflatio nouam humanæ dignitatis accessionem, quæ eius nobis beneficio contigit, mira ratione designat. Olim quippe cùm Dominus ex limo terræ corpus hominis formasset, insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, quo factus est homo in animam viuentem: modò verò in eundem iterum insufflauit; & quem anteà limum afflatu suo mutarat in hominem, nunc eumdem hominem posteriori hoc afflatu quodammodo mutauit in Deum. Illic limus assurgit in hominem, hîc homo assurgit in Deum. Deus enim quodammodo est, qui intra se Dei Spiritum habet: vt hac ratione appareat, quãto plus Redemptori quàm creatori debeamus: quandoquidem creatori debemus quòd homines sumus; Redemptori autem (vt Petrus Apostolus ait) quòd naturæ diuinæ consortes effecti sumus. Neque enim donum hoc Apostolis solùm cõtigit, sed piis etiam omnibus in illis est donatum. Si quis enim (vt Paulus ait) non habet Spiritum Christi, hic non est eius.

Genes. 2.

2. Pet. 1.

Rom. 8.

Sequitur deinde altera lectionis Euangelicæ pars, quæ secundam Domini apparitionem continet: qua Thomæ Apostoli incredulitatem cicatricum suarum ostensione sanauit: quam in eius Apostoli solemnitate latiùs, Domino aspirante, explanabimus. Nũc ad Apostoli verba, quæ initiò à me proposita sunt, explicanda veniamus.

Tractatio Thematis. I.

CHRISTVS traditus est propter delicta nostra, & resurrexit, &c. Quoniam hisce diebus Ecclesia in Dominicæ resurrectionis mysterio celebrando occupata est, nõ alienum erit ab huius temporis conditione, eiusdem mysterij virtutem & efficientiam explicare, & quid per resurrectionem suam nobis Dominus cõtulerit, aperire. Quam rem breuiter hæc Apostoli verba testantur, quæ nunc à me proposita sunt: in quibus Apostolus mortis Christi primùm, deinde resurrectionis virtutem & efficaciam exponit: de quibus nobis modò dicendum est.

Atque vt à morte primùm incipiamus, per eam Christus Dominus peccatũ exstinxit, & mala item, quę ex peccato consecuta sunt, aboleuit. Per mortem quippe suam, mortẽ nostram, & eum qui mortis habebat imperiũ, destruxit; & quos captiuos in regno suo tenebat, in libertatẽ asseruit, & in regnũ suum secum transtulit. Hoc est enim quod Iácob olim de Saluatore nostro in persona Iudæ vaticinatus est, cùm ait: Requiescẽs accubuisti vt leo, & quasi leæna. Cur vt leo, & quasi leæna? Quia videlicet cùm mortis requiẽ & somnũ Saluator cepit, leonis, hoc est, fortitudinis suæ potentiam ostendit, cùm diaboli regnum euertit, & insatiabilem illum homicidã atque tyrannum colligauit. Hic est

Genes. 49.

eſt enim fortis ille Samſon, qui plures interfecit moriens, quàm anteà interfecerat viuens. Quam quidem victoriam Euſebius Emiſſenus inducta fabulæ cuiuſdam ſimilitudine appoſitiſſimè explicat his verbis: Fabula (inquit) etſi vim veritatis nõ habeat, rationem tamẽ habet, vt per eam poſſit vis veritatis manifeſtari. Refert autem traditio ſecularii litterarum, habuiſſe quẽdam in exercitio vſuque certaminis hoc genus virtutis ac roboris, vt quoties in luctamine ſuccũbens, virium ſuarũ amicam & nutricem terram impulſu aduerſarij cõtigiſſet, toties de ſolo ſurgẽs, magis ac magis in aduerſariũ pręualeret: ac ſic deiectio proſtrati, occaſio fiebat triumphi. Dabat enim quodãmodo infirmitas fortitudinem, lapſus palmam, ruina victoriã. Puto hęc illi cæleſti athletę, qui contra Iacob legitur fuiſſe luctatus, iuſtiùs aptari poſſe. Exiſtimo enim hæc illius perſonæ veriùs conuenire, qui hoc in tempore in arena mundi cum publico hoſte conflixit: qui ad hoc ceſſit, vt glorioſiùs ſurgeret; ad hoc cecidit, vt omnes eleuaret: quia aduerſarium effuſus obruit, proſtratus eliſit, iacentemque hominem deiectus erexit; mortemque eius, dum ſuccumberet, perculit; ac mortuum, dum reſurgeret, ſuſcitauit. Hactenus Emiſſenus. Idemque Homil. 6. hanc eandem victoriam ita deſcribit: Mira & ineffabilis Dei noſtri pietas: irruperat quidem mors paradiſum, ſed vita expugnauit infernum: legemq; mortalẽ ſuſcepta mortalitatis cõditione calcauit, implẽs illud quod Propheta teſtatur, O mors, ero mors tua: ac ſic mortis iniquitas (quæ ſe tanquã hominem viciſſe gaudebat) expauit ſubitò prædam ſuam, & in ſuo regno à ſuo, vt putabat, debitore conſtricta eſt; à ſuo condẽnata reo, à ſuo ſubiugata eſt captiuo. Ideo ſuis laqueis illigata & irretita perditio, dum deciperet, ſupplantata eſt; dum interficeret, extincta eſt; dum deuoraret, abſumpta eſt. Regrediens ergo Dominus poſt diem tertiam, fructus ſecum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit: & vt omnes eum de inferis regredi crederent, teſtes ſecum ad ſuperos & pręcones ſubactę mortis exhibuit. Hactenus Euſebius. Ex cuius verbis facilè Dominicæ mortis fructum colligimus: quã vitę, ſalutis, & reſurrectionis noſtrę cauſam extitiſſe cõſtat.

Iudic. 16. Emiſſen. ho. 8. de Paſch. Gen. 32. Oſeæ 13.

Quod cùm ita ſit, quomodo verũ eſſe poteſt quod Apoſtolus in his quę propoſuimus verbis aſſerit, nẽpe Chriſtũ reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtrã? Cùm enim Chriſtus Dominus pleniſſimè nobis iuſtificationis gratiam in paſſione ſua promeruerit, & reſurrectione ſua nihil iam mereri potuerit (vt qui iam ſolùm cõprehenſor, nõ etiã viator eſſet, cuius eſt, poſſe mereri) qua ratione verum erit, reſurrectionẽ eius iuſtificationis noſtræ cauſam extitiſſe? Huius loci ſenſus (qui rudioribus difficultatẽ parit) ex alio Apoſtoli loco manifeſtè colligitur. Ad Corinthios 1. Cor. 15.

enim ſcribẽs,& contra eos,qui reſurrectionẽ corporũ negabãt, diſputans,inter alia argumẽta hoc quoq. addidit: Si reſurrectio mortuorũ non eſt,ergo neq. Chriſtus reſurrexit. Vana eſt ergo fides veſtra:adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Cur ita? Nimirum quia peccatorum remiſſio,iuſtificationis gratia,& Spiritus ſancti dona,poſt Chriſti Dñi reſurrectionẽ fidelibus ex Dominica promiſſione reddẽda erant: vt,quod Chriſtus moriens nobis promeruerat,reſurgens à mortuis fidelibus impartiret. Hoc
Ioan.7. enim apertè Ioãnes Euãgeliſta teſtatur,cũ ait: Nondũ erat Spiritus datus,quia Ieſus nondũ erat glorificatus. Priùs ergo per reſurrectionis gloriã erat honorandus,ac deinde Spiritus ſanctus fideliũ cordibus infundẽdus,per quẽ & iuſtificatio & peccatorũ remiſſio datur. Vnde eo ipſo die quo à mortuis Dominus excitatus eſt (ſicut ex præſenti Euãgelio diſcimus) Spiritum ſanctũ diſcipulis dedit,& remittẽdi peccata poteſtatẽ contulit: ac mox in cęlũ aſcendẽs,eundẽ Spiritũ in mundũ miſit. Itaq. quod moriens in cruce promeruit, à mortuis reſurgẽs nobis largitus eſt. Qua ex re apertè liquet, Chriſti reſurrectionẽ iuſtificationis & reſurrectionis noſtræ non ſolũ exemplarẽ cauſam, ſed etiã efficientẽ fuiſſe. Ipſe enim reſurrectione ſua noſtrã adumbrauit; & ipſe itẽ à mortuis reſurgẽs, Spiritũ ſanctũ è cęlis in nos miſit: per quẽ à peccati morte,per iuſtificationis gratiam,excitati ſumus.

Si quis verò eius reſurrectionem ſuſtulerit,nihil planè habet quod à mortuo ſperare poſſit. Vnde quamdiu Apoſtoli Chriſti reſurrectionẽ nõ crediderunt,ſpem omnẽ ſalutis & redemptio-
Luc. vlt. nis protinus amiſerunt. Quod illa duorum diſcipulorum verba ſatis apertè ſignificant: Nos autem ſperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël. Quod perinde eſt ac ſi dicerent: Quàm diu ille ſuperſtes erat,omnia quæ de Meſſia diuina oracula prænũtiauerant, facilè nobis pollicebamur; nunc autem, cùm è viuis conceſſerit,quid à mortuo ſperare poſſumus? Quamlibet enim & Iulius Cæſar & Alexander Magnus potẽtes in vita fuerint; vbi fato functi ſunt,nihil erat quod ab illis vel timere vel ſperare quiſquã poſſet. Itaq. moriẽte Chriſto,ſpes quoq. Apoſtolorũ mortua fuit: eo verò reſurgẽte, ſimul etiam ſpes eorum reuixit. Quod enim antè fieri poſſe ſperabant, multo magis tunc ſperare cœperunt,cùm ipſo Dominicæ reſurrectionis argumento crederent,nihil non eſſe poſſibile ei qui ſe Deum reſurgẽdo declarauit. Quo enim alio argumento conuictus Thomas dixit, Dominus meus & Deus meus? Vnde cũ Apoſtoli experimento ſuo didiciſſent quãtum ad fidẽ in Chriſtum reſurrectionis eius fides valeret, hãc potiſſimùm mentibus hominũ infigere cura-
Act. 4. bant. Vt enim Lucas ait, Virtute magna reddebãt Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. Itemque cùm in locum
Iudæ

Iudæ proditoris Matthiã in Apostolũ eligere vellẽt, his verbis vsi sunt: Oportet ex his viris qui nobiscũ sunt, ex quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius fieri vnũ ex istis. Iam verò Paulus quod fidei nostræ dogma vel frequẽtiùs inculcabat, vel acriùs vrgebat? Vnde cùm Festus Iudęæ præses Agrippæ Regi summã doctrinæ eius referre vellet, quęstiones quasdam de Iudæorum superstitione illũ agitare dixit, & de quodam Iesu defuncto, quẽ affirmabat Paulus viuere. Ex quo apertè liquet, pręcipuum Apostolicæ prædicationis munus fuisse, Christi resurrectionẽ modis omnibus astruere. Cũ enim Iudęi eximia beneficia hominibus per Christũ tribuenda esse, ex Lege & Prophetis didicissent (vtpote in quo vniuersę cognationes terræ benedicendæ essent) eumq; in cruce sublatũ, mortuum ac sepultum cernerent; quid ex hac tanta infirmitate magnum, quid à mortuo sperare potuissent? Quare Apostoli omni ratione contendebant Christi resurrectionem asserere, vt iam à viuente Domino promissa beneficia sperarent, & resurrectionis eius argumento illum hæc omnia præstare posse comprobarent. Constat igitur ex his, (vt antea diximus) Christi resurrectionem salutis & resurrectionis nostræ causam extitisse. Actor. 1.

II.

Cuius (inquis) resurrectionis? Nimirum totius hominis, hoc est, vtriusque partis nostræ, animæ videlicet & corporis: animæ quidem in hoc seculo, corporis autem in futuro. De hac enim postrema Petrus Apostolus ait: Benedictus Deus, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hęreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. Qua ex re liquet, vnica resurrectione sua Christum Dominum duplicem nostram operatum fuisse. Inter quas tamẽ hic ordo habetur, quòd prior posterioris causa est. Quia enim prior illa resurrectio inhabitantis in nobis Spiritus sancti operâ perficitur; consequens est, vt Spiritus ille diuinus templũ, quod sibi destinauit, honoret, nec patiatur corpus illud in perpetua corruptione manere, quod ipse sibi in domicilium cõsecrauit. Hinc Paulus ait: Si Spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit illum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Quod enim hic Spiritus in Christo singulariter habitãs in corpore eius effecit, illum à mortuis excitando; idem in cæteris corporibus efficiet, in quorum mentibus habitauit. Ex eadem enim causa eundem effectum sequi consentaneum est.

1. Pet. 1.

Rom. 8.

In hac autem corporum resurrectione non solùm omnipotentia Dei, sed mira quoque eius bonitas & æquitas elucet, qui electorum suorum corpora hoc tam mirabili honore dignatur. Qua in re ita D. Cyprianus exclamat: Quàm mirabilis est sciẽtia tua Deus! cõfortata est super nos, nec possumus ad eã attingere. Hęc sapientiæ tuæ altitudo, qui mundũ non ex præcedente materia, sed solo Verbi tui imperio condidisti; in ordine creaturarum aliis quidem vitam temporalem, aliis procurasti perpetuã, admirabili ratione quædam mutans & renouãs, & præfinito tempore metam irrationalibus omnibus præfigens, quam transire non possent. Homo, quia ex cælesti & terrena materia compactus erat, vestitus extrinsecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te iubẽte redderet terræ quod de terra assumpserat, & ad immaterialem originẽ reuerteretur spiritus, cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda, secundùm naturæ suæ rationem æternitatis non poterant priuilegio perfrui: & quod sibi iure non competebat, à conditore nequibat exigere. Sed tu, optime Domine, vltro gratiam volens dare spiritui, decreuisti clementiùs, vt ex societate & clientela quã reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret; & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps studiorum, in recompensatione ministerij iterum dilecto accolæ consociata, pudica & pacifica rediret, nullas secum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulsa de domo, iterum coniugatur viro, non iam ancilla, sed libera: & habitant vnius moris in domo, murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentiæ concitabant. Quis, Domine Deus, considerare hæc opera tua sufficit? & quis lutum coagulare potest in carnem? quis formare potest in hominem? quis infundere animam? quis reddere vitam? quis dare æternitatem? quis addere felicitatem? Ad hunc prouentum humana laborat creatio: hæc semper fidelium expectatio fuit. Tu morti imperas, & absorpta eliditur corruptio, vbi ęger te medente sanatur. Gustasti mortem pro filiis hominum, vt, qui tecum mortui erant, tecum viuerent; & participes tribulationum, etiam consolatione gauderent. Hactenus Cyprianus.

Cyprian. in serm. de resurrect.

Ad hanc verò tantã resurrectionis gloriam soli illi prouehũtur, quibus prioris resurrectionis gratia contigit. Quod Ioannes in Apocalypsi testatur his verbis: Beatus & sanctus qui habet partẽ in resurrectione prima. In his enim secũda mors locũ non habet. Primã resurrectionẽ appellat animarũ, secundam corporũ: quãdo videlicet reformabit Christus corpus humilitatis nostrę, cõfiguratũ corpori claritatis suę. Beatus ergo & sanctus qui habet

Apoc. 20.

habet partẽ in prima resurrectione: sanctus videlicet, propter primam, quam iam adeptus est per innouationẽ animæ: beatus propter secundam; quam feliciter expectat in corporis restitutione. Verè ergo beatus, qui partem habet in hac resurrectione prima; quoniam per hanc perueniet ad secũdam: propter quam adipiscendam prudens ille mercator Paulus non solùm omnia reputabat vt stercora, sed socius passionũ Christi effici & morti eius cõfigurari cupiebat. Quamobrem? Subdit statim causam: Si quomodo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Præclarum sanè commercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, vt lucrifacias Christum: seminare corpus mortale, animale, ignobile, vt surgat immortale, spirituale, gloriosum: mori mundo, vt possis dicere, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. O cupidi, qui immoramini studio lucrandi, cur non discitis artem lucrandi? Cur non vilia, imò detrimenta & stercora contemnitis, vt Christum lucrifaciatis? Vt video, vilior est vobis argento vestro panis ille quide cælo descendit, & dat vitam mundo. Vtinam auarus vel ipse sibi pretiosior esset pecunia sua, nec amore illius venalem exponeret animam suam!

In talibus verò secũda mors locũ habere dicitur; secunda, inquã; nam prima (quæ solius est corporis) cõmunis est omnium; secũda verò est corporũ & animarũ, quæ damnatorum propria est, quorũ mors immortalis est. Quãuis enim mortẽ ipsi desiderẽt, mors tamẽ fugiet ab eis. Hęc ergo secunda mors locũ in his non habet, qui partẽ habent in resurrectione prima. Huc igitur animum aduertite, fratres, hoc solerter attendite. Omnes enim ab hac secunda morte liberari, omnes secundã corporũ resurrectionẽ, hoc est, sempiternã vitã & felicitatem cupimus. Scitote ergo, neminẽ partẽ habere in resurrectione secunda, qui nõ habuerit in prima. Videte an hæc prior animarũ resurrectio vobis contigerit, an videlicet mortui sitis mũdo, & vita vestra abscõdita sit cum Christo in Deo. Si ita est, benè habet. Beatos enim & sanctos vos beatus ipse Ioannes appellat, & de resurrectione secunda securos facit. Sin minùs, non dubium quin ab hac tanta felicitate secundùm præsentis iustitiæ statum exclusi sitis.

III.

Sed dicetis: Quandoquidẽ nemo scire certò potest, an cum Christo hoc modo surrexerit, suntne signa aliqua quibus hoc coniicere possimus? Huiusmodi enim vel tenuis cognitio magnum piorũ mentibus solatiũ prębere potest. Sunt planè signa: & ea quidẽ grauissima: ex quibus tria tantũ hoc in loco numerare libet. Primùm igitur vide an corporis Christi à mortuis excitati impassibilitatem anima tua imitata sit. Corpus enim eius ante resurrectionis gloriã iniuriis omnibus obnoxiũ erat. Vnde

potuit & flagris cædi, & ſpinarum aculeis pungi, & clauis tranſfigi; quorum nihil poſt reſurrectionis ſuę triumphũ perpeti iam poteſt, etiã ſi mille ſpiculis impetatur. Tunc enim paſſibile, nũc impaſſibile effectum eſt. Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur; mors illi vltrà nõ dominabitur. Ad hunc ergo modũ mẽs ea quæ nõdum ſpiritualiter cum Chriſto reſurrexit, ſed adhuc in morte peccati iacet, omnibus diaboli & mundi iaculis & tentationibus ſic expoſita eſt, vt nulla res adeò infirma ſit, quæ non illam grauiter lædere & vulnerare ſoleat. Quæuis enim peccandi occaſio, quęuis vel leuiſſima iniuria illata, quęuis honoris aut opum vel minima iactura, quęuis decora forma vel in tranſitu conſpecta, ſatis ſuperque eſt ad infirmam mentẽ vel lethali vulnere fauciandam, vel grauiter certè quatiendã. Cùm enim diuinę gratię virtute deſtituta ſit, ad hęc omnia mala propulſanda imbecilla & infirma eſt: at cũ à morte peccati ad ſpiritualẽ vitã excitata eſt, & diuina virtute ac cęleſtibus donis roborata, impenetrabilis, & inſuperabilis, & inſtar Dominici corporis excitati impaſſibilis (quatenus ex natura gratiæ eſt) prorſus efficitur. Vt enim Ioannes ait, Qui natus eſt ex Deo, nõ peccat; generatio enim Dei conſeruat illũm. quia videlicet diuini Spiritus afflatus (quo diuinę agnationis cõſortes efficimur) ita mentem hominis munit & roborat, vt, niſi ipſe ſponte ſua perire velit, nulla externa vi ſuperari queat. Vt enim Diuus Thom. ait, Minima etiam gratia peccatum omne ab anima pellere & ſuperare poteſt. Hoc igitur indicio de ſua quiſque reſurrectione pronuntiare aliquid poterit. Videat igitur, num qui olim quauis leui de cauſa in omnia peccatorum dedecora prolabebatur, modò ſic animo inſtitutus ſit, vt nullius rei vel metu, vel cupiditate, vel iactura ad peccandũ inducatur: hoc enim verè maximum impaſſibilitatis, ac proinde ſpiritualis reſurrectionis indicium eſt. Quamuis non debeat homo horribilia hæc ſibi ante oculos ponere, ne ſe in tentationis laqueũ fortè coniiciat: quicumq; tamẽ hãc in animo ſuo firmitatẽ ita ſentit, vt cum Apoſtolo dicere poſſit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? &c. hic planè maximum reſurrectionis huius ſiue teſtimonium ſiue argumentum intra ſe habet. Quòd ſi nondum habet, habere modò incipiat, firmiterque in animo ſuo ſtatuat, incommoda omnia priùs perpeti, quàm lethalę aliquod flagitium admittere: hoc enim primum ſpiritualis reſurrectionis ſignum eſt.

[Margin: 1. Ioan. 3. — D. Thom. — Rom. 8.]

Alterũ eſt feruens ac diligẽs bonorũ operũ ſtudium. Iubemur enim non ſolùm à malis abſtinere, ſed bona etiam opera edere: quorum vtrumque charitas pręſtat, quæ nec perperam agit, nec malum cogitat, nec ſegnis ad operandum eſt. Amor enim Dei (vt D. Gregorius ait) nõ eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem

[Margin: 2 — Gregor.]

si autem operari renuit, amor non est. Sicut enim ignis intra nubis sinum violenter inclusus, nullo modo cõquiescit, donec tandẽ cum sonitu erumpat (vnde fulgura & tonitrua oriuntur) ita charitatis ignis in piorum pectore reconditus, quiescere non potest, donec per pietatis & misericordiæ opera foras prodeat. Cùm ergo vita animę in charitate sit; charitas autem, quemadmodum ignis, operosa sit & actuosa: hoc indicio poterit quis, an charitatem habeat, coniicere, si se in bonorum operũ studio viderit feruentem, vel certè non negligentem esse. Simile.

Tertium verò signum & maximum quidẽ inter omnia est, 3 si se homo inspiciat aliquando, subacta & calcata carnis natura, supra naturam ipsam assurgere, & ea opera edere, quæ caro spõte sua horrere solet. Constat enim, diuinã gratiã esse supernaturalẽ quandã formã, singulari Dei beneficio mentibus nostris impressam. Cùm autẽ (vt Philosophi aiunt) rerum actiones formarũ naturã consequantur (actus enim secũdi à primo deriuantur, qui non alius quàm rei forma est) cõsequens est, vt, cũ forma supernaturalis sit, actus etiã, qui ex illa prodeũt, eiusdẽ naturã, atq; (vt ita dicã) ingenium referant, sintq. ita, vt ipsa forma, etiam supernaturales. Quid autẽ vocas supernaturales? Paucis accipe. Naturæ lapsæ & communi morbo vitiatæ commune est, hominẽ seipsum diligere, carnem suã fouere, vtilitatis suæ studiosum esse, honoribus gaudere, bona propria vbique captare, molestias & incommoda omnia sollicitè declinare. Ad hæc enim omnia amoris proprij natura, diuina gratia destituta, propensa est. hæc curat, hęc inquirit, hæc meditatur. At eadem natura ad diuinum & supernaturale esse per gratiã euecta, diuersa ratione procedit. Non enim quid amor sui, sed quid Dei amor exigat, attendit. Proinde quisquis diuinæ gratiæ beneficio eò prouectus est, vt inanes seculi honores contemnat, carnis delicias respuat, illatas iniurias patienter ferat, paupertatem nõ horreat, labores honestatis gratia susceptos nõ detrectet, carnẽ spiritui seruire cogat, cupiditates comprimat, affectibus fręnum imponat, carnẽ suã cũ vitiis & cõcupiscentiis crucifigat, terrena fastidiat, bonorumq. æternorũ desiderio flagret; is certè magnũ in se, nõ modò cęlestis gratię, ac proinde spiritualis resurrectionis, sed Christianæ etiã perfectionis argumentum habet. Hæc enim opera supra naturã esse videntur: ideoq; magnã significationẽ dant, aliquid supra naturã in ea mente esse, vnde hęc opera proficiscuntur. His igitur signis, fratres, de spirituali resurrectione vestra coniecturam facere licebit. Nullam enim harum rerum, quas cõmemorauimus, scintillam intra vos sentire, non leue spiritualis mortis argumentũ est. Contrà verò eadẽ aliqua ratione agnoscere, indicium planè & signũ est, vos resurrexisse

Perfectionis vitæ & gratiæ signa.

cum

cum Chriſto, partemque habere in reſurrectione prima, quæ eſt per gratiam: vnde ſperare meritò poteritis, partem quoque habituros vos in ſecunda, quę erit in futuro ſeculo per gloriam.

IN EADEM DOMINICA IN ALBIS,

CONCIO SECVNDA: IN QVA LECTIO Euangelica explanatur.

THEMA. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ioan. 20.

Simile.

VEMADMODVM piæ parentis viſcera infantem diu lachrymantem ferre nequeunt, ſed accurrunt celeriter, vt illius lachrymas tergant, & mœrorem leniant: ita Saluator noſter, qui diſcipulos ſuos pluſquam materna charitate proſequebatur, non eſt paſſus diu eos paſſionis ſuæ dolore contabeſcere: ſed protinus, hoc eſt, ipſo die quo eſt vitæ redditus, illorum mœrorem & lachrymas reſurrectionis ſuæ lætitia abſtergendas curauit. Quod ſanctus Euangeliſta initio ſtatim ſacræ huius lectionis inſinuat; cùm ait: *Cùm ſerò eſſet illo die vna ſabbatorum:* id eſt, ipſo die Dominico, qui poſt ſabbatum ſequitur: *& fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.* Quomodo autem Dominicū corpus clauſo tumulo prodierit, clauſiſq; foribus ad diſcipulos intrauerit, neminem veſtrum latêre arbitror. Beatorum quippe hominum corpora in reſurrectione miris à Deo dotibus in laborū ſuorū præmiū ornabuntur: quarum quatuor præcipuè inſigniores numerantur. Prima eſt ſubtilitas, quæ faciet, vt quomodo ſolis radij, illæſa vitrea feneſtra, aliò pertranſeunt; ita ſacra illa corpora, nullis repagulis, nulliſq. parietum molibus impediantur, quo minùs, quocunq. penetrare voluerint, liberè queant. Secūda dos, agilitas eſt, quæ faciet, vt quocumque pergere voluerint, ſumma celeritate cōtendant. Tertia verò eſt admiranda quædā claritas, quæ ipſum quoque ſolis ſplendorē æquabit; de qua ſcriptum eſt: Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorū: qui modò in principis huius mundi regno obſcuri frequenter atque deſpecti latēt. Quarta verò dos impaſſibilitas & immortalitas eſt, neq. enim deinceps aut moleſtum aliquid pati, aut morti ſuccūbere beata corpora poterunt. Præcipitabit enim Dominus mortē in ſempiternum, ne vllum in terra illa viuentium ius aut principatum habeat: & in tartara, hoc eſt, in regnū mortis relegabitur, in quo damnati

Simile. Matth. 13

(vt

(vt D. Bernard. ait) vitæ quidē moriuntur, & morti perpetuò viuent, vt sine fine moriātur. Ad hoc enim semper viuēt, vt æternum morti pabulū prębeant. Hāc autem gloriā Christo salutis nostræ auctori debemus, qui mortē nostrā moriendo destruxit, quando mortē non debitā, pro debita omniū morte, læsæ maiestati obtulit, atque ita nos à mortis debito liberauit. Quam eius victoriam Apostolus mira orationis figura celebrat, cùm post illa verba, Absorpta est mors in victoria; subdit protinus: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus, quo omnes ad mortē adigebas? Quod perinde est ac si diceret: O insatiabilis & fera bellua, quæ ab origine mundi ad extremū vsq; iudicij diem tam latè imperium tuum porrexisti, quæ nemini pepercisti; quæ non ætatem, non dignitatem, non opes, aut honores, aut potentiam, non denique (quod in rebus mortalium plurimùm valet) virtutem aut sapientiam reuerita es, sed pari lance omnes trucidasti, omnes tuæ ditioni subdidisti, adeò vt ne vnigenito quidem Filio Dei & innocētissimæ eius matri peperceris; vbi, quæso, tunc erit victoria tua, cùm nullū iam in sanctorū hominum corpora ius habitura sis? Meritò igitur hoc in loco morti insultat Apostolus, qui eius imperium Christi morte sublatum cernens ait: Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus verò, siue gladius mortis, peccatum erat, quo mors in omnes præuaricatoris Adæ filios latissimè dominabatur. Hoc ergo ingens & insuperabile monstrum vicit ille, qui per Oseam quondā morti comminatus est: Ero mors tua, ô mors. Nihil igitur iam habes, ô mors, vnde glorieris. Deuorasti quidem Ionam nostrum, sed in vtero tuo viuus fuit. Deuorasti, & deuorata es. Dumque assumpti corporis sollicitaris illecebra, & auidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt. Illius ergo morte tu mortua es; illius morte nos viuimus. Gratias tibi Christe Saluator tua agimus creatura, quòd tam potētem aduersariū nostrū, dum occideris, occidisti. Exulabit igitur in æternum ab illa viuentium regione mors, & cum morte omnes mortis comites atque satellites. Absterget enim Deus omnem lachrymā ab oculis sanctorū: & iam non erit ampliùs nec luctus, nec clamor, nec vllus dolor, quę prima transierunt. Non esurient, nec sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, nec vllus æstus: quoniā Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarū. Hæc tam magnifica promissa, fratres, vehementer nos ad perferendos pro Christo labores incitare deberent: partim vt digni efficeremur, quorū lachrymas piæ eius manus abstergerent: partim quia cū in illo felici regno nullus lachrymis aut laboribus locus futurus sit: nūc, quādo piè lugendi & patiendi tēpus est, nullo modo hāc præsentis tēporis oppor-

Bernard.

1. Cor. 15.

Oseæ 13.
Hiero. in Epitaph. Nepot.

Apoc. 21.

opportunitatem prętermittere debemus. Illud enim persuasum nobis esse debet, inter beatorũ hominũ gaudia, præteritorũ laborum & victoriarũ memoriã pręcipuè numerari. Vidẽt enim, quàm copiosam mercedis segetem ex laborum ac lachrymarũ suarũ semine messuerint. Diuinę quoque pulchritudinis species, quam ineffabili gaudio contuentur, facit, vt nihil illi felicius, nihil vtilius accidisse in vita credant, quàm quòd variis propter illius gloriam laboribus & calamitatibus pressi fuerint. Vnde si vllum in eis solicitum desiderium cadere posset, nihil magis cuperent, quàm omni genere tormentorum propter illius gloriã, quem tam ardenter diligunt, laniari. Si verò liuoris & inuidiæ affectus in eorum mentibus locum haberet, hanc vnã felicitatem nobis inuiderent, quòd in eo statu & loco positi sumus, in quo varios propter illum perpeti labores possumus. Summæ enim felicitatis loco ducerent, millies propter illum vitam profundere. Hoc est igitur quod à vobis expeto, fratres, ne hanc tantam felicitatem frustra abire patiamini: sed modò, cũ laborandi & seminandi tempus est, seminemus cum lachrymis, vt cum exultatione metamus, quando post huius vitæ curriculum non iam seminandi, sed metendi & quiescendi locus erit.

Sed ad historiam redeamus. Vbi Dominus clausis ianuis ad discipulos ingressus esset, stetisse dicitur in medio eorum. Hunc mediũ locum ferè semper in Euãgelicis litteris occupasse Dominum inuenimus. Nascitur in medio duorũ animalium; sedet duodennis in medio doctorũ; non recũbit, sed ministrat in medio discipulorũ; crucifixus ponitur in medio latronũ; resurgens verò stetisse dicitur in medio discipulorum; post ascensum verò in cælum, Ioannes illum intuetur ambulantẽ in medio septẽ candelabrorum aureorum. Quid autem medius hic locus nisi sollicitam & vigilem eius prouidentiam designat? qua, quidquid in Ecclesia sua geritur, attẽtissimis oculis intuetur. Locus enim medius ad ea quæ circumstant contuenda aptissimus est. Vnde Reges non in extremis regni finibus, sed in medio sedem sibi eligere solent. Naturæ quoque cõditor Deus in media corporis parte cor nostrum (quod inter cetera mẽbra, Regis locũ & officium tenet) collocauit (quamuis eius motus in sinistra thoracis parte sentiatur) vt ex eo loco vitales spiritus & calorem in cætera membra diffundat. Hac ergo de causa Christus Dominus, quamuis à quibusdam procul abesse videatur, in medio tamen nostri est: omnia circumspicit, omnibus adest, & opera nostra omnia, atque adeò intimos animi recessus oculis suis sole splẽdidioribus collustrat. Quocirca sanctorum omniũ illa vox est:
Psal. 15. Proponebã Dominũ in cõspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear. Hoc est, præsentem illum semper intueor,

tueor, quoniam ille me semper intuetur: adest ille semper mihi, adsum & ego semper illi: oculos ille misericordiæ & prouidétiæ suæ in me defixos habet, & ego illum semper fixis oculis contemplor atque reuereor. Ad hūc modū Helias Propheta, Viuit, inquit, Dominus, in cuius conspectu sto. Quo loquendi genere præsentem Domini maiestatem se ante oculos habere insinuabat. Hæc autem cogitatio tantam piis hominibus vtilitatē affert, vt inter omnia spiritualis vitæ documenta hoc maximè ab eius sectatoribus commendetur: quòd hæc res deuotionem & ardorem mentis, ac pios animi motus mirè incendat & augeat, hominemque in omni officio & virtute contineat; cùm Deum ipsum vitæ suæ testem & iudicem ante oculos cernat. Quo magis enim illum præsentem contemplatur, hoc magis offendere metuit. Hinc regius Propheta: Seruaui mādata tua & testimonia tua, quia omnes (inquit) viæ meæ in conspectu tuo. Qua enim fronte summum illum rerum omnium Dominum vbiq; præsentem, & omnes vias meas peruidētem, offendere potero? Atq; hoc præcipuè nomine idem vir sanctus sceleris sui immanitatem suppliciter cōfitetur, cùm ait: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: hoc est, in oculis iudicis cuncta cernentis deliqui, & coram illo committere ausus sum, quod homuncione aliquo præsente non auderem. Quæ ratio nos, fratres, ab omni flagitio puros seruare deberet, cùm iudicem nostrum vbiq. præsentem esse, & nos intueri, non fide solùm, sed apertissima quoque ratione intelligamus. Hoc enim nomine scelera nostra Dominus exaggerat, cùm toties in litteris sanctis similia verba repetit: Et faciebatis malum in oculis meis. Et, Ego sum iudex & testis, dicit Dominus. Et, Ego sum, & ego vidi, ait Dominus. De custode vitæ nostræ Angelo, D. Bernardus ait: Quouis loco, quouis angulo reuerentiā habe Angelo tuo: & ne audeas coram illo admittere, quod me præsente nō auderes. Si hic honor Angelo habendus est, quid cælorum & Angelorum Domino?

4. Reg. 9. | Psal. 118. | Psal. 50. | Hier. 29. | Bernard.

I.

Sed iam quid idem Angelorum Dominus in medio discipulorū positus dixerit, audiamus. *Pax* (inquit) *vobis. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Rursumq; ait, *Pax vobis.* Pius igitur & amator hominum Dominus, pacem nobis omni tēpore, hoc est, nascens, moriens, ac resurgens vbique precatur. Angeli enim, nascente Domino, & necdum per ætatem loquente, pacē hominibus optant. Ad crucē verò iturus, cum discipulis agens, Pacem, inquit, meam do vobis, pacē relinquo vobis. Resurgens verò, ter quidem in præsenti lectione hanc eandem orationem repetit, *Pax vobis.* Discipulos verò ad prædicandum mittens, hac eadem salutationis forma erga hospites vti docuit. Quis autem

Ioan. 14.

autem dubitet ingẽs bonũ esse, quod toties hominibus amator hominũ precatur? Deniq; apud Esaiã inter cętera dignitatis eius nomina princeps pacis appellatur: quòd ipse nobis pacis hui9 auctor exstiterit, qui passionis suæ merito infensũ nobis patrẽ placauit, & ex seuerissimo iudice, beneuolentissimũ patrẽ reddidit.

Cùm autẽ multiplex sit pax, quæ nobis eius beneficio contigit, illa prima ac præcipua iure censetur, qua Deo reconciliati sumus. Ex qua quidẽ pace oritur primùm conscientiæ tranquillitas, cùm multis pius homo coniecturis ductus, Deum sibi propitium & amicum esse arbitratur: quãdo videlicet Spiritus sanctus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quid ergo testimonium hoc nisi æternæ vitæ pignus est? Quid autem homini accidere in vita iucundius possit, quàm in eo statu esse, in quo si mors illum intercipiat, non morosum, non tristem, non reluctantem, non trepidum; sed alacrem, sed expeditum & vigilantem, tanquam fidelẽ & prudentẽ seruũ, Dominus inueniat, quẽ super omnia bona sua constituat? Contrà verò quid mala conscientia insuauius, quid acerbius, cũ infelix anima peccati semper stimulis laceretur? Quid enim homine illo infelicius, qui vigilans, dormiẽs, edens, bibẽs, in peccato semper degat, in peccato somnũ capiat, in peccato à somno excitetur, in peccato ad mensam accumbat, Deumque sibi semper infensum & iratum esse intelligat? Quid igitur hoc homine miserabilius? Quæ tanta esse peccati vel voluptas, vel vtilitas potest, quæ cum hac tanta infelicitate comparanda sit?

Est & alia pax, qua sibi ipsi homo pacatus est, qui à se ipso ante hãc pacẽ acerrimè dissidebat, dum aliud spiritus, aliud malesuada caro flagitaret. Hanc autẽ pacem in aduentu Christi esse
Psal. 84. hominibus conferendã, illa Psalmographi verba testantur: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Misericordiã quippe & veritatem Dei in hoc aduentu iun-
Lucæ 1. cta simul fuisse, Zacharias Ioannis pater testatur, cùm ait: Ad faciendã misericordiã cum patribus nostris. Ecce misericordia. Et memorari testamenti sui sancti. Ecce veritas, hoc est, promissionis exhibitio; de qua mox ait: Iusiurandum quod iurauit ad Abrahã patrẽ nostrũ, daturũ se nobis. Quid daturum? Nimirum, vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia corã ipso. En tibi duo alia quæ regius Propheta cõmemorauit: nempe, iustitia & pax: qua pace, inimicorum omnium timore deposito, tranquillã & pacatam in timore Domini vitam agimus. Quarum virtutum mirabilem concordiam Vates sanctus suauissimo & elegantissimo osculi nomine designauit. Hac enim loquẽdi figura arctissimũ

germa-

germanitatis vinculum inter iustitiam & pacem apertè ostendit: quæ ita inter se copulantur, vt nec sine pace iustitia, nec vera pax vnquam sine iustitia constare possit. Est enim, vt Esaias ait, fructus iustitiæ pax. Ea denique inter vtramque virtutem affinitas & cognatio est, vt non rarò in litteris sanctis altera pro altera ponatur. Hinc Zacharias in Cantico viam pacis pro via virtutis & iustitiæ posuit: vnde facilè multorũ mortalium insania perspicitur, qui cùm ad hanc internæ pacis quietem & tranquillitatem, natura ipsa instigante, semper aspirent, eam tamen sine iustitia se posse assequi arbitrantur, cùm tamẽ hæ duæ virtutes sic inter se connexæ & colligatæ sint, vt altera ab altera diuelli nullo modo possit. Sciant igitur hi (vt D. Augustinus ait) se non posse obtinere quod cupiunt, prætermisso eo quod negligunt. Solæ enim viæ iustitiæ, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Contrà verò de improborum viis scriptum est, Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: huius (inquam) pacis, quæ turbulentos animi motus componit & sedat, atque rationis imperio coërcet. Hac ergo pace sublata, quid nisi tumultus, & intestinæ seditiones, in animo dominantur? De his namque Esaias ait: Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Cur in lutum? Quia videlicet omnis impiorum conatus, & variarum æstus cupiditatum in res turpes & inanes captandas maximè confertur: quæ vilissimi pulueris & luti nomine appositissimè significantur.

Esai. 32.
August.
Psal. 13.
Esai. 57.

Sed ad historiam reuertamur. Vbi pacem Dominus discipulis benè precatus esset, *ostendit eis manus & latus*, hoc est, vulnerum cicatrices, veridicos resurrectionis suæ testes. Ait deinde, *sicut misit me pater, & ego mitto vos*. Hoc est, qua me charitate pater misit in mundum, vt morte mea æternam hominibus vitam largirer; eadem ego vos mitto, vt ineffabile hoc supernæ pietatis beneficium hominibus nuncietis, eósque à diaboli & peccati seruitute in libertatem filiorum Dei asseratis. Quia verò tantum hoc opus sine diuini numinis afflatu perficere infirmitas humana nõ potest, *accipite Spiritum sanctum*, qui vos doceat, dirigat, & confirmet: quíque spirituales ac diuinos homines ad hoc tantum opus patrandum efficiat. Sicut autem Dei proprium & singulare est, peccata remittere; ego quoque vos summæ huius dignitatis participes efficio, vt hominum peccata remittere valeatis. Considerate (quæso) fratres, summam hanc sacerdotibus præstatam facultatem. Inter maxima Filij Dei elogia, hoc in primis Apostolus numerat: quòd purgationem peccatorum faciat, solusque gratiam & gloriam Hebr. 1.

donare possit. Hæc autem adeò magnifica priuilegia (quæ illius propria erant) noui testamenti sacerdotibus donata sunt, quando illis peccata remittendi potestas data est. Neque enim peccatorum remissio sine gratia animam purgante & iustificante, neq; gratia sine hereditatis æternæ iure stare vllo modo potest.
Simile. Vt enim in corpusculum infantis (vbi suis organis in materno vtero instructum est) rationalis à Deo anima infunditur: ita spiritus ille gratiarum omnium auctor in eam protinus animã illabitur, quæ à peccatorũ sordibus purgata fuerit. Itaque euenire aliquãdo poterit, vt homo ad cõfessionis sacramentũ in eo statu accedat, in quo si ab hac vita decederet, futuram amitteret: qui tamen, vbi sacerdos diuina illa verba profert, Ego te absoluo, à cunctis illicò sceleribus soluatur, & ex Diaboli mancipio, Dei filius & regni eius hæres efficiatur: atq; ita demum vnico illo verbo ex inferis in cælum quodammodò reuocetur. Quo quid esse aut mirabilius aut optabilius potest? Hanc autem summam sacerdotum dignitatem Christus Dominus explicauit, vbi hac ligandi atque soluendi facultate concessa, claues se illis regni cęlorum tradidisse dixit. Reuerà enim clausas multis cęlestis regni fores claues istæ aperiunt, eosq; in illud mirabiliter introducũt.
Chrysost. lib. de Sacerd. Quam quidem facultatem D. Chrysostomus meritò amplificat his verbis: Iis qui terrã incolunt, atq; in ea versantur, cõmissum est, vt ea quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neq; Angelis, neq; Archangelis datam esse voluit: neq; enim illis dictum est; Quæcumque ligaueritis in terra, erũt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis in terra, erunt soluta & in cęlo. Habent quidẽ & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporũ solùm. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animã contingit, atque ad cælos vsque peruadit: vsque adeò, vt quæcunque infernè sacerdotes cõfecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, atque seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcumque enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænã, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam Filio potestatem dedit: cæterùm video eandem potestatem à Deo Filio illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanã naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscumque velit in carcerem coniiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit: at verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est,
quanto

quanto etiam animæ corporibus prestant: hic vilem dignitatem accepisse nonnullis videri debet? Quòd si cui hæc res magna & incredibilis videtur, sanguinis Christi pretium cogitet: & plus esse intelliget, quod largitor bonorum omnium Deus à Christo accepit, quàm quod hominibus donauit: nisi nobis Christum ipse donauisset, per quem tanta gratia sacerdotibus donata est. Vnde sub aduentum eius vaticinatur Esaias, futurum, Isaiæ 11. vt puer lactens inferat manum suam in specum reguli, & inde eum extrahat. Nemo autem adeò rudis sanctarum scripturarum erit, qui hoc loco, reguli aut pueri nomine id intelligat, quod hæc verba prima fronte significant. Per hos ergo pueros eos intelligimus, quibus Christus potestatem fecit conculcandi serpentes & scorpiones, hoc est, flagitiorum feritates, & dæmonũ fraudes & immanitates, animarũ latibulis inclusas. Quamuis autem hi sint simplicitate puerili, tanta tamen sunt virtute præditi, vt facilè queant viperas ex animorum intimis recessibus extractas extinguere, ne possint pestem ac perniciem illis afferre, qui sese cum Christo charitatis vinculo coniunxerunt. Hoc autem tam salutare officium cùm multis modis à Christi sacerdotibus fieri possit, tum nullus excogitari poterit ab homine sapiente commodior eo, qui salutari peccatorum confessione continetur. Eo namque sacerdotes manus suas in intimas hominum mentes inserunt, vt inde aspides extrahant, & ad lapidem allisas interimant.

Cæterùm cùm fideles omnes hoc sacro tempore absolutionis beneficium perceperint; quis certò scire poterit, an cum absolutione ipsa, Spiritus quoq; diuini gratiam & peccatorum remissionem fuerint consecuti? Non enim dubium, quin sacerdotis absolutio vi sua illam præstet. Sed quemadmodum, si agri- Simile. cola in arena sementem iecerit, oleum & operã perdet: ita planè sacerdotis verba, quæ alioqui potentissima sunt, imparatis animis & à peccatis resilire nolẽtibus, gratiã minimè cõferunt. Cùm ergo de hac animorũ præparatione incerti simus, de peccatorum quoq; remissione, & Spiritus sancti illapsu meritò dubitamus. Itaque hac de re nihil statuere certum possumus. Illud tamen constat, eos qui statim à confessione ad pristina peccata relabuntur, aut Spiritum sanctum minimè recepisse, aut certè frustrà, imò verò magno suo periculo recepisse, cùm post veniam & gratiam ineffabili diuinæ pietatis munere cõcessam, illum denuò lacessere, illius iram prouocare, & Christũ iterùm crucifigere, eiusq; sanguinem polluere non erubuerint. Horum autem quàm sit magna turba, omnes passim cernimus. Quotus quisque enim est, qui post exomologesim criminum factam, aliud vitæ institutũ amplectatur, aliosq; deinde mores induat?

 Tales

Tales autem hoc incommodum ex huiusmodi confessione reportare videntur, quòd sibi ipsis minùs displicent, minusque timent, vtpote qui se iam Deo satisfecisse arbitrētur. Quibus illud idem contingere videtur, quod iis qui grauibus in corpore vulneribus acceptis, cùm falso medicamine cutem obduci vident, falsa securitate decepti, medicamēta respuunt: cùm interim vulnus interiùs latè serpat, ac tandem immedicabile fiat. Quibus multo satius fuisset aperta vulnera circumferre, quàm falsa sanitate deludi. Idem igitur istis euenit, qui se putant sacramenti fructum recepisse, cùm tamen veram animæ sanitatem vitio suo minimè perceperint.

Simile.

Est & aliud ingens periculum ab his meritò formidandum: quòd videlicet qui tales sunt, ægrè admodum ad animæ sanitatem (quæ vera in Deum conuersione comparatur) peruenire soleant. Id autem hac ratione colligere licet. Constat planè neminem sine singulari Dei auxilio ad ipsum verè cōuerti. Constat item, hoc diuinum auxilium nulli hominum quamlibet scelerato deesse. Sed illud hîc magnopere obseruādum est: nempe hoc ipsum auxilium, quod & omnibus adest, & ad veram pœnitentiam & conuersionem sufficit, minus apud illos posse, qui diuturna peccandi consuetudine obduruerūt, quàm apud eos, qui non tam praua cōsuetudine, quàm intemperantis naturæ morbo deliquerunt. Quod quidem hac similitudine intelligi poterit. Par boum, quod plaustrum decem ponderibus onustum circumferre commodè potest, si onus hoc augeas, quo magis auxeris, eo difficiliùs poterit illud circumferre. Sic igitur quo plura peccatorum onera veteribus peccator homo addit, hoc magis & seipsum ad mala procliuiorem, & ad veram pœnitentiam efficit tardiorem. Raró quippe homines (vt Adriani pontificis verbis vtar) secundùm vltimum potentiæ operantur: quod isti pænè facere deberent, vt prauam inueteratæ consuetudinis vim superarent. Qua ex re fit, vt difficilè admodum tales ad meliorem mentem redeant. Non abnuo tamen sufficiens hoc auxilium, & in hoc genere hominum, atque adeò in ipsis etiam excæcatis, vim suam retinere, quam numquam amittit.

Simile.

Adrian.

At (inquis) præter hoc sufficiens auxilium, quod nulli deest, aliud etiam efficax & superabundans esse dicitur, quo adiutus ad veram pœnitentiam peruenire valeam. Rectè dicis: sed hoc tamen auxiliū non omnibus donatur: sed quibus diuina pietas donare vult. An verò hoc tibi donandum sit, prorsùs incertum est. Quid ergo periculosius, quàm in eo statu esse, in quo æterna salus & vita tua in tanto discrimine versetur, & ab hac tam rara felicitate pendeat?

Postremò his omnibus aliud non leuius periculum addo: nempe

nempe quòd diuturna peccandi consuetudo certissima est ad cor durum via: quod quidem malorum omnium extremum est. Quid sit autem cor durum latè quidem D. Bernardus ad Eugenium describit. Sed vt summatim dicam, cor durum est, quod diuini verbi malleo frangi non potest: quod nec minis cedit, nec promissis flectitur, nec beneficiis emollitur, nec plagas sentit, nec mortem timet: nec gehennam metuit, nec Dei iudicium reformidat, nec Christi vulneribus & sanguine commouetur; sed veluti saxum quoddam, imò verò quasi adamas inconcussum perstat. Quale planè illorum erat, qui (vt Zacharias ait) cor suum posuerunt vt adamantem, quod nulla vi conteri aut scindi potest. Denique cor durum Pharaonis cor est, quod nullis signis, nullis diuinæ vindictæ plagis ad veram pœnitentiam commotum fuit. Bernard. Zach. 7.

Quod ergo his tantis malis remedium adhibes? Huic quęstioni Apostolica voce respondet Ecclesia. Sic enim hodie Missam exorsa est: Quasi modò geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Quæ quidem verba idem Petrus Apostolus interpretatur, cùm deponere nos iubet omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detrectationes, sicut modò geniti infantes. Nec sola hæc vitia, sed in vniuersum omnia à nobis procul pellere debemus, nempe mēdacia, periuria, adulteria, rapinas, odia, iurgia, temeraria iudicia, impudicos oculos, petulantē linguam, impurum cor, rapaces manus, cæteraque his similia flagitia. 1. Pet. 2.

Cæterùm cùm omnia scelera summo studio & contentione vitanda sint, illa tamen supra omnia detestanda sunt atque fugienda, in quibus maior diuinæ maiestatis contemptus inest. In his verò contemptus maior est, vbi minor vel vtilitas, vel voluptas nos ad peccādum instigat. Hoc autem modo delinquere videntur, qui vel statis ab Ecclesia diebus Missam audire sine vlla graui causa recusant, vel praua iurandi consuetudine tenentur. Cùm enim nihil vtilitatis aut voluptatis homines hac praua consuetudine assequantur, eamque minimo negotio à se abdicare possint; vnde, quæso, isti nisi ex contemptu diuinæ maiestatis peccant? Vbi autem contemptus maior, ibi iniuria longè grauior est. Grauiter enim ferunt homines, cùm ab inimicis gladio cæduntur: grauiùs autem, si fuste feriantur: grauissimè autem, si vel arundine, vel muliebri colo petantur: quod hoc maximum personæ contemptum præ se ferat. Idem igitur de illis sentiendum, qui nullo inducti emolumento, ex solo diuinæ maiestatis contemptu delinquunt. Hoc est enim grauissimum illud crimen, quod Iudæis Saluator improperauit, cùm ait: Vt adimpleatur sermo qui in eorum lege scriptus est: Simile. Ioan. 15.

Quia odio habuerunt me gratis. Qui igitur gratis, hoc eſt, nullum ex offenſa lucrum reportantes, Dei leges violant; quid ij non facient, cùm eos vel inſignis aliqua vtilitas, vel ardens & incitata cupiditas ad peccandum prouocauerit? Quicunque igitur hoc animo ſunt, ſciant ſe in maximo ſalutis æternæ periculo verſari. Hæc enim peccandi ratio mentem arguit corruptiſſimam: ideoque ſceleribus cunctis expoſitam, quibus præſertim aliquod ſceleris præmium propoſitum ſit.

Neque verò ſatis eſt, hoc firmiter animo ſtatuere, niſi ea quoque adiungas, quibus hanc animi firmitatē inter tot hoſtes, tot laqueos, tot pericula, tot antiqui hoſtis inſidias retinere & conſeruare poſſis. Fruſtrà enim (verbi cauſa) templi huius teSimile. ſtudinem in aëre pendulam ſuſtinere queas, niſi parietes & columnas adiungas, quibus ea ſuſtineatur. Sic igitur, cùm caro nos & variæ carnis cupiditates, cùm mundus, cùm dæmones infatigabili contentione ad terrena deprimere conentur, ſpiritualibus vtique pennis indigemus, quibus ipſi contrà in ſublime feramur. Pennas autem voco, precandi ſtudium, ſacramentorum vſum, miſericordiæ opera, carnis caſtigationem, vigilem ſenſuum cuſtodiam, occaſionum peccādi fugam, cæteraque his ſimilia, quibus humana fragilitas adiuta, innocentiam inter tot mundi pericula retinere ſolet. Hanc autem admonitionem ſæpè vobis, fratres, in mentem reuoco, eandemque vobis cano cantilenam: partim quòd numquā nimis dicitur, quod numquam ſatis diſcitur: partim quòd hoc tempore, quo adhuc in faucibus Quadrageſimę ſumus, nihil frequentiùs auribus veſtris inculcandum eſt, quàm periculum eorum qui ſtatim à confeſſione ad priora crimina relabūtur. Numquam autem vos à peccatis dehortari debemus, quin arma atque remedia aduerſus illa prouideamus. His enim inſtructi, dæmonis potentiam infringere, mortifera peccata vitare, pietatem & iuſtitiam colere, per iter ſalutis incedere poterimus, vt ſic tandem ad portum ſalutis, & reſurrectionis gloriam adſpirante Domino peruenire mereamur.



IN EADEM DOMINICA IN ALBIS, CONCIO TERTIA: IN QVA primùm causæ redduntur, cur stigmata vulnerum in corpore Domini relicta sint. Deinde de resurrectione corporum agitur, quam eadem sacra Domini stigmata probant. Postremò ad rectè viuendum homines spe futuræ resurrectionis excitantur.

THEMA. *Ostendit eis manus & latus.* Ioan. 20.



IN SACRA præsentis Euangelij lectione narrat sanctus Euangelista Ioannes, quemadmodum Dominus ac Saluator noster à mortuis excitatus, discipulis suis ipso resurrectionis die visus fuerit: deinde docet, octauo post resurrectionem, hoc est, hodierno die, iterùm illis ac Thomæ apparuisse. Historia verò rei gestæ sic habet:

Cùm esset serò die illa vna sabbatorum (hoc est, Dominico die, qui sabbatum sequebatur) *& fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum; venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.* Pacis autem nomine non vnum aliquod singulare bonum, sed omnia simul bona Hebraicæ linguæ more significantur. Vnde cùm Iacob filium suum Ioseph Gen. 31. misit, vt videret an cuncta prospera essent erga fratres suos & pecora, Chaldaica littera habet, An pax sit fratribus tuis, & pax item pecoribus. Pacis enim nomine prospera cuncta significauit. Cùm ergo Saluator pacem discipulis precatur, non vnum aliquod bonum, sed omnia simul bona precatur.

Cùm verò discipuli hac Domini apparitione perterrefacti, spiritum aut phantasma illum esse crederent, *ostendit eis manus & latus*, vt sacrorum stigmatum indicio se esse, qui paulo antè patibulo fuerat affixus, comprobaret. In fide autem resurrectionis eius confirmatis, iterùm ait: *Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hoc est, ad idem salutis humanæ negotium, cui me Pater destinauit, ego mitto vos: ideoque potestatem & auctoritatem, quam ego à Patre accepi, vobis trado, & eundem etiam Spiritum largior, vt nihil vobis ad Apostolici muneris functionem desit. Vnde ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Hac autem poteſtate quid maius homini ad hominum ſalutem conferri potuit? Adeò enim diuinitatis proprium eſt peccata remittere, vt Phariſæi Dominũ peccata cuidam paralytico remittentem blaſphemaſſe dicerent, quòd remittendi peccata poteſtatem vni Deo debitam vſurparet. Atque hinc ortũ habet quod Theologorum ſchola confitetur; nempe Sacramenta nouæ legis efficere homines ex attritis contritos; hoc eſt, ex mortuis viuos reddere, & ab inferis ad vitam æternam reuocare. Quod præcipuè Baptiſmatis & Confeſſionis ſacramenta efficiunt: quæ ob hoc peculiari quadam ratione mortuorum ſacramenta eſſe perhibentur, quia mortuas in peccato animas ad vitã reuocant ſpiritualem. Quod quidem beneficium Chriſti Domini paſſioni acceptum referre debemus: qui merito ſuo primam nobis gratiam promeruit, & Sacramẽta nouæ legis inſtituit, per quæ diuinæ gratiæ fluenta in nos deriuantur. Hoc enim ita futurũ eſſe,

Zach. 13. Zacharias propheta vaticinatus eſt, cùm ait: Erit fons patẽs domui Dauid, & omnibus habitãtibus in Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Hic autem fons è Chriſti latere lancea percuſſo defluxit, vnde ſanguis & aqua manauit: quorum altero debiti noſtri ſoluit pretium, altero humani generis diluit peccatum. Huius autem ſummi beneficij gratia Petrus

1. Pet. 1. Apoſtolus fideles omnes ad adſperſionem ſanguinis Chriſti à Deo Patre vocatos eſſe ait. Dum enim ſacramenti huius virtute abſoluuntur, pretioſi illius ſanguinis participatione & aſperſione ſanctificantur & abluuntur. Vnde cùm poſt peccatorũ confeſſionem breuis aliqua ſatisfactio à Sacerdote pœnitentibus iniungitur, mentis oculos ad pretioſa Chriſti vulnera & verbera attollere debent, & gratias agere, quòd propter verbera illa, quæ is pertulit (quæ non rapuerat exoluens) qui furti rei erant, citra vlla verbera à reatu pœnæ debitæ, breuis ſatisfactionis pœnæ iniuncta, abſoluantur.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum diſcipulis, quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. At ille ait: Niſi videro in manibus eius fixuras clauorum, &c.

Minimè mirandum eſt, diſcipulos Domini adeò ſe difficiles in credenda eius reſurrectione præbuiſſe. Vix enim credere homines poſſunt, quod nunquam ſeculis omnibus geſtũ fuiſſe ſciunt. Quando enim in ætatibus cunctis ab ipſo mundi exordio auditum eſt, mortuum hominem ſeipſum à mortuis excitaſſe? Nam quòd ſancti homines, dum in viuis agerent, mortuos ad vitam reuocaſſent, diſcipuli & viderant & audierant. Quòd item mortuus homo mortuum eodem beneficio affecerit, de Heliſeo quidem mortuo legerant. At quòd homo iam vita

vita functus, & tumulo conditus, se mortuum mortuus in hanc lucem extulerit, nunquam ad illud vsque tempus perspectum fuerat. Hoc enim singulare priuilegium illi seruabatur, qui non solùm homo, sed Deus erat & homo; ideoque mortuum hominem, quem sibi copulauerat, immortalis atque præpotens Deus excitare è morte potuit: vt hoc argumento diuinitatis suæ potentiam hominibus patefaceret. Vnde Paulus Christi Domini diuinitatem ex resurrectione mortuorum mūdo declaratam ac testatam esse ad Romanos ait. Pro eo enim quod nos legimus, Ex resurrectione mortuorum; alij clariùs verterunt, Ex eo quòd resurrexit à mortuis. Quo minùs tarda discipulorum ac Thomæ fides miranda est, si minùs crederent, quod nemini ab orbe condito accidisse scirent. Rom. 1.

Quam eius cæcitatem pius Dominus miseratus (vtpote quæ non ex malitia, sed ex ignorantia veniebat) curare studuit, ne ouicula illa sanguine suo redempta, ex sancto illo grege periret. Itaque octauo à resurrectione die discipulis & Thomæ simul apparens, & illis pacem solito more precatus, vnum Thomam ad se vocat, dicens: *Infer digitum tuū huc, & vide manus meas, &c.* Qua in re ita se Dominus cum discipulo gessisse videtur, atque ij, qui pretiosam aliquam mercem auctioni expositam vehementer adamantes, vbi illam mercator iusto pretio vendere recusat, illi contrà, nimio eius amore capti, non modò iustum, sed superabundans etiam pretium pro ea soluunt. Sic igitur iustum erat, vt tot testibus Dominicam resurrectionem astruentibus Thomas fidem adhiberet: sed quia hoc facere noluit, eius dilectione permotus Saluator, quod ille argumentum ad credendum poposcerat, misericorditer dedit. Sic igitur Dominus cum Thoma agere visus est: Iustius quidem erat, vt tu, Thoma, quod ego volebam, voluisses: sed quoniam adeò tardus ac difficilis ad credendum es, ego tibi morem geram, vt, quod tu voluisti, velim. *Infer* ergo *digitū tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus: sed fidelis.* O miram Seruatoris nostri clementiam & lenitatem! Cùm enim creaturæ munus esset, vt sese creatori suo accommodaret atque submitteret: nunc immensa Domini benignitate factum est, vt vice versa creator omnium sese creaturæ suæ obsequentem exhiberet. Qua quidem dignatione conuictus Thomas respondit, *Dominus meus, & Deus meus.* Quo vno verbo diuinitatis & humanitatis Christi sacramentum apertissima confessione pronunciauit. Cui Dominus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hactenus de Euangelica lectione: nunc de sacris Domini stigmatibus, quæ Dominicæ resurrectionis fidem Apostolis fecerunt, disseramus. Simile.

Tractatio Thematis. I.

CVM multa sint, fratres chariſſimi, in hodierna ſancti Euangelij lectione animaduerſione digniſſima, quibus omnibus explicandis præſcripta nobis ad dicendum ſpatia minimè ſufficiunt: illud præcipuè tractandum ſuſcepi, quod noſtra maximè ſcire refert, cur videlicet in glorioſo reſurgentis Domini corpore vulnerum ſtigmata (quæ deformitatis quippiam præ ſe ferre videntur) relicta ſint. Neque enim hoc ſine magno diuini numinis conſilio factum eſſe ctedendum eſt. Et quidem in ſuperiori concione diximus ex D. Ambroſij ſententia, hoc ita factum eſſe, vt pro nobis Chriſtus Dominus Deo Patri pretia noſtræ libertatis offerret: nunc alias huius myſterij cauſas afferemus.

I. Quarum prima eſt: quòd hac ratione Saluator patientiæ virtutem (quæ nobis in hac vita maximè neceſſaria eſt, maximeq́; ad æternam ſalutem parandam adiuuat) voluerit commendare. Simile. Milites enim, quos propter res in bello pręclarè geſtas, nobilitare Reges volunt, ex iis potiſſimùm rebus generis ſtemmata ſumunt, in quibus eorum virtus magis enituit. Itaque alij Reges bello captos, alij diſtrictos enſes, alij aquilas, aut leones in fortitudinis ſymbolum, in tabulis aut periſtromatis depingi ad laudis & gloriæ ſuæ monumentum volunt. Cùm autem Dominus ac Saluator noſter omnibus virtutum laudibus mirificè & in vita & in morte redundauerit, vnius tamen patiētiæ inſignia non in tabulis aut periſtromatis depicta, ſed in glorioſo corpore ſuo expreſſa, ad æternam huius virtutis laudem circumferre voluit: vt vel hoc vno argumento intelligerent homines, quàm eſſet glorioſum, variis pro nomine Domini opprobriis & iniuriis affici. Quòd ſi huius tantæ dignitatis cauſam quæras, cauſa eſt, quia cùm in charitate, virtutum omnium regina, multi ſint gradus, alij aliis ſuperiores; ſummus ille eſſe videtur, quo quis calamitates, ærumnas, iniurias, & contumelias, atque adeò mortem ipſam (cùm ita opus eſt) forti & conſtanti animo propter Dei gloriam perfert. Quo fit, vt inter pręcipua non modò charitatis & gratiæ, ſed & Chriſtianæ perfectionis indicia hoc potiſſimùm numeretur. Simile. Eſt enim virtus hæc tanquam lapis Lydius, quo vera & perfecta virtus ab adulterina vel imperfecta diſcernitur.

Quàm pauci autem ad hunc virtutis gradum perueniant, argumento eſt, quòd multos paſſim videre licet abſtinentiæ, pudicitiæ, miſericordiæ, cæterarumque virtutum laudibus inſignes, qui tamen ad iniurias aut contumelias perferendas impares eſſe ſe & imbecillos apertè prædicant. Hinc D. Chryſoſt. (Chryſoſt. li. de Sacerd.)

Cibum,

Cibum, potum, ſtratum molle contemnere, multis ne labori quidem eſſe videmus: at contumeliam, vim, incommodum, moleſtum aliquod verbum, non multorum eſt ferre poſſe, ſed vnius tantùm, aut alterius. Ac videre ſanè eſt, eos qui illis animi virtutibus plurimum poſſunt, ad hæc ipſa tamen velut animi vertigine laborare, vt faciliùs quàm immaniſſimæ belluæ exaſperentur. Hactenus ille. Videtis ergo, fratres, quàm ſublime & arduum virtutis huius faſtigium ſit? Quo minùs mirandũ eſt, ſi Seruator noſter, qui tantopere omnium virtutum laudibus emicuit, ex hac potiſſimùm virtute ſibi ſtemmata in corpore ſuo expreſſa delegerit: vt hanc tantam gloriam mortalium oculis oſtenderet, & nos ad eius imitationem incitaret. Vt omittam interim, quòd hac ratione iniurias nobilitauerit: quando non modò eas in ſe ſuſcepit, ſed ex illis potiſſimùm hanc tantam laudem & gloriam ſibi comparauit. Quicumque igitur ad incognitam hanc veriſſimæ laudis gloriam aſpiratis, nõ conquieſcat opera veſtra, donec ad aliquem ſaltem huius inclytæ virtutis gradum perueniatis.

Hæc eadem glorioſa Domini ſtigmata plurimum conferunt, cùm ad damnandorum luctum atque ſupplicium, tum ad beatorum lætitiam in extremo præſertim iudicij die cumulandam. Qua de cauſa ipſum quoque Dominicæ paſſionis vexillum illo die in cælo conſpiciendum eſſe Saluator ait; cuius conſpectu plangent omnes tribus terræ. Cur ita? Quia nimirum ad omnia crimina, quæ improbis illo die obiicienda ſunt, habent quod aliqua ſaltem ratione reſpondere queant: ad ſolum tamen Dominicæ paſſionis beneficium, hoc eſt, ſummum infirmitatis humanæ remedium, nihil habent quod reſpondeant. Ad omnia enim ſcelera, quæ illis obiicientur, dicere poterunt: Infirmus eram, cæcus eram, fragili & imbecilli carne ſeptus eram, in peccato conceptus eram: quocircà nihil mirum, ſi quod cum ipſa ſimul natura cœpit, atque ipſo penè homine antiquius eſt, tãtam apud me vim habuerit, vt, quocunque vellet, inclinaret. At cùm iudex contrà reſpondeat: Cerne hoc crucis meæ vexillum, quo de cunctis hoſtibus tuis triumphaui: cerne hæc corporis mei ſtigmata, quibus te redemi, quibus te à peccati ſeruitute in libertatem aſſerui: quibus tibi gratiam, & omnia Spiritus ſancti dona promerui, quibus Eccleſiæ meæ ſacramentis virtutem contuli, quã & præterita peccata mundare, & futura vitare, & naturæ imbecillitatem non ſanare modò, ſed etiam roborare potuiſſes: quid ad hæc mihi reſpondeas? Hic planè nequam & ingratus ſeruus obmuteſcet, & ne vel mutire quidem audebit. Vnde conſequens erit, vt, ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores detrudatur. II.

Eadem-



III. Eademque stigmatum species beatorum gloriam magnopere cumulabit. Cùm enim apertissimè videant, illis sacris stigmatibus, hoc est, illius Agni merito qui occisus est ab origine mundi, se in filiorum Dei sortem cooptatos, & bonorum omnium compotes factos, & ea felicitatis gloria donatos, quam nulla mens humana concipere possit; quo amoris incendio, qua animi gratitudine, quo deuotionis affectu eadem intuebuntur, exosculabuntur, & amplectentur; quæ sibi non tam vulnera, quàm omnium gratiarum & deliciarum fontes & scaturigines videbuntur? Augebit autem hanc eorum lætitiam inspecta innumerabilium penè hominum damnatio, inter quos ipsi vixerunt, quos vitæ & fortunarum suarum comites habuerunt, cum quibus etiam perire potuerunt: cùm videant, illis pereuntibus, se vulnerum Christi merito ab illa perditorum hominum colluuione secretos, & ad cælestis regni sedes euocatos. Vident enim beati eos qui in gehenna cruciantur: quemadmodum postrema illa Isaiæ verba testantur: Et egredientur, & videbũt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum nõ morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad visionem omni carni. Hanc enim singularem de sua inter omnes alios salute lætitiam, sancti ipsi in Apocalypsi profitentur his verbis: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quia occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus super terram. Hoc est, ex tanta pereuntium populorum multitudine segregatos, regni tui (quòd est regnum omnium seculorum) consortes efficere dignatus es. Quid animi sanctus ille Patriarcha Iacob habere putandus est, cùm vterinum fratrem & gemellum (hoc est, non modò eodem patre, eademque matre satum, sed eodem etiam partu, eodemque sidere in hanc lucem editum) in gehenna cruciari videat (hoc enim sentire Apostolus videtur, cùm illum profanum vocat) se verò inter tres celeberrimos Dei amicos, qui in cælo regnant, numerari: intelligatque hanc tantam gloriam atque salutem innocentissimi Agni & vulnerum eius merito sibi contigisse? Quo tunc mentis ardore æstuabit? quibus laudibus personabit? quas gratias aget? quo affectu speciosissima illa stigmata exosculabitur?

Isaiæ 66.

Apoc. 5.

Hebr. 12.

IV. Est & alia causa huic non dissimilis: ad quam intelligendam, oportet illud priùs animo concipere, quod apud vos omnes testatissimum est: nempe nullam esse nec Angelorum nec hominum mentem, quæ Dominicæ incarnationis & passionis beneficium possit pro dignitate concipere, nedũ oratione comprehendere. Ne ergo vlla temporum aut negotiorum iniuria

tanti beneficij memoria apud homines intercideret, corporis & sanguinis sui sacramentum seruator instituit,& ad finem vsque mundi in huius beneficij memoriam in Ecclesia consecrari prę-cepit. Hoc enim illa Apostoli verba innuunt: Quotiescumque manducabitis panem hunc. & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat: hoc est, ad extremum vsque mundi diem hoc sacrum mortis eius memoriale permanebit. Cæterùm post hanc vitam, vbi iam venerabili huic Sacramento locus non erit (facie enim ad faciem videbimus, quem nunc velatum adoramus) aliud insigne memoriale beatarum mentium oculis instituit: nempe impressa hæc corpori suo plagarum vestigia, quæ semper videbuntur, vt semper huius beneficij memoria eorum animis hæreat infixa, & cum ipsa æternitate cohæreat. 1. Cor. 12.

V.

His accedit postrema & maxima huius mysterij causa: nempe quòd hoc firmissimo argumenro futuræ resurrectionis fidem confirmare Saluator voluerit: ideoque in resurrectionè sua id solum in sacro illo corpore manere voluit, quod resurrectionis suæ apertissimum argumentũ esset. Qua de re sic Euseb. Emis. ait: Præfert clauorum confixione corpus insertum, & lanceæ illisione confossum. Quid hoc est? Expoliata est fragilitas, exinanita mortalitas, sola in cicatricibus permanẽt obseruandæ testimonia passionis. Nimirum illud solum resurrectio, vnde erat credenda, non abstulit. Hactenus ille. Cicatricibus ergo, earumque foraminibus reseruatis, & sepulchro vacuo, luce clariùs ostendit illud ipsum corpus quod affixũ patibulo, quod clausum tumulo, quod vulneribus perfossum fuerat, rediuiuum surrexisse. Hac autẽ corporis sui resurrectione Saluator nostræ quoque resurrectionis speciem & formam velut in tabula spectandam proposuit. Sicut enim, qui Romam, aut Venetiarũ vrbem non viderunt, qualis earum vrbium ambitus & forma sit, ex aliqua pictura colligunt; architecti etiam futurã ædificij fabricam simili ratione delineatam comprehendunt: ita qualis corporum nostrorum resurrectio futura sit, in Dominici corporis resurrectione non adumbratam modò, sed expressam etiam & initiatam cernimus. Hom. Io. de Pasch. Simile.

I.

Sed quia nonnulli sunt qui difficilem huius mysterij fidem arbitrantur, non alienum fuerit hac de re paucis differere. Futuram verò resurrectionem non solùm Catholica fides, sed ipsa etiam æquitatis & iustitiæ diuinæ ratio exigere videtur. Qua de re sic Damascenus ait: Si resurrectio non est, nec Deus est, nec prouidentia est: tunc casu omnia feruntur & aguntur. Videmus enim plurimos iustos esurientes, & iniuriam patientes: Damasc. lib. 4.

pecca-

peccatores autem & iniustos, in diuitiis & in omni voluptate abundantes. Sed quis vnquam hoc iusti iudicij, vel sapientis prouidentiæ opus benè sentiens suspicabitur? Erit ergo resurrectio. Iustus enim Deus est, & his qui confidunt in eo, mercedis retributor. Hactenus ille. Certè quod huic fidei articulo proximum est, immortales esse animas, Fridericus Cæsar simili ratione probauit. Cùm enim in Austria obiisset vnus ex primoribus, annos natus tres & nonaginta, qui vitã inter voluptates illecebrasque, nulla vnquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœstitia fuisset; idque Friderico Cæsari narraretur: Et hinc (inquit ille) immortales animas censere licet. Namque si Deus est qui hunc mundum gubernat (vt Philosophi & Theologi docent) eumque iustum esse nemo negat: profectò alia loca sunt ad quæ post mortem animæ migrant: ibique pro factis mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hìc nec bonis nec improbis sua semper præmia aut supplicia reddi videmus. Sed nihil mirum Christianum hominem hanc de animarum nostrarum immortalitate sententiam protulisse. Maius verò est, Ethnicum hominem; nempe Plutarchum (vt alios interim omittam) hanc eandem sententiam simili ratione inductum tenuisse. Sic enim ait: Vna est ratio, quæ diuinam pariter prouidentiam, humanæque animæ immortalitatem ostendit ac confirmat; nec alterum repudiare, alterum amplecti licet. Cùm enim post obitum anima superfit; admodum decet, imò necesse est, illam aut prẹmiis affici, aut suppliciis. In vita enim (quemadmodum athleta) decertat: cùm verò certamen peregerit, tum debitum ex merito consequitur. Cæterùm quo pacto anima, cùm illic existit, ob anteactam vitam remuneretur, siue plectatur, nihil certè quòd affirmare audeamus, viuentes habemus. Id enim penitus nos celatum est ac latet. Hæc Plutarchus. Qui mihi certè hac de re prudentissimè & cautissimè locutus fuisse videtur, dum id asseruit, quod ratione consequi poterat: id autem dicere non est ausus, quod supra rationem erat.

Aeneas Siluius.

Lib. de sera numinis vindicta.

Verùm de animorum immortalitate (quam omnes rectè philosophantes confessi sunt) minor quæstio est. Circa corporum tamen resurrectionem nonnulli titubare videntur. Qui enim fieri posse dicunt, vt corpora partim quidem in puluerem, partim in cineres conuersa, partim etiam ab auibus, à piscibus, & ab ipsis etiam hominibus deuorata, eadẽ numero resurgant? Hanc quęstionem D. Gregorius proponit his verbis: Sunt nonnulli qui considerantes quòd spiritus à carne soluitur, quòd caro in putredinem vertitur, quòd putredo in puluerem redigitur, quòd puluis in elementis soluitur, vt nequaquam ab humanis

Greg. 15. Moral.

manis

manis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant: & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt. Hæc ratio multos ita commouit, vt corporum resurrectionem prorsus tollerent. Contra quos acriter Paulus 1. ad Corinthios epistola disputat. Idem verò Gregorius dum Sedis Apostolicæ legatum apud Constantinopolim ageret, grandem cum Eutychio eiusdem ciuitatis Episcopo super hac re disputationem se habuisse testatur. Asserebat enim Eutychius, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile & ventis aëreque subtilius fore. Contra quem D. Gregorius acriter sacræ huius lectionis argumento pugnauit: in qua Dominus & manuũ & lateris cicatrices ostendit, & (vt Lucas ait) corpus etiam palpandum exhibuit, vt carnem & ossa se habere monstraret. Luc. 24. Longa igitur hac de re disputatione habita, grauissima (inquit Gregorius) à nobis cœpimus contentione resilire: cùm piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secretò me & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnouit, & vtriusque partis allegationem pensans, eundem librum quem de resurrectione scripserat, deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus, me ægritudo valida, eundẽ verò Eutychium ægritudo & mors protinus est secuta. Dum tamen adhuc viueret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei gratia salutationis ad eum pergebant (vt eorum relatione cognoui) ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat, dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus: quod (sicut ipsi fatebantur) omnino priùs negare consueuerat.

Cæterùm resurrectionis nostræ fidem idem D. Gregorius Gregor. hoc in loco appositissima similitudine ex Apostolo sumpta cõfirmat his verbis: Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, hanc certè tenere ex ratione debẽt. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Simile. Per momenta temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione cessare: & ecce subitò quasi ex arescenti ligno, velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decore vestiri. Simile. Indesinenter cernimus parua arborum semina terræ humoribus commendari: ex quibus non longè pòst aspicimus magna arbusta surgere, folia pomaque proferri. Consideremus ergo paruum cuiuslibet arboris semen, quod in terram iacitur, vt arbor ex illo producatur: & comprehendamus, si possumus, vbi in illa tãta breuitate seminis, tam immensa arbor latuerit, quæ ex illo processit: vbi lignum, vbi cortex, vbi viriditas foliorum, vbi vbertas fructuum? Numquid nam

in semine tale aliquid videbatur, cùm in terram iaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie seminis latuit asperitas corticis, & in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, & in siccitate eius vbertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum puluerem vel à nostris oculis in elementis redactum, cùm vult, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Hæc Gregorius. D. verò Basilius cùm ex bombycis, tum ex aliorum quoque animantium generatione, resurrectionis fidem tuetur. Sic enim ait: Quàm multa litterarum monumentis de verme Indiæ, qui cornua gerit, prodita sunt! qui in caulem primũ mutatur, deinde progressu temporis paruus bombyx efficitur: nec verò hanc formam seruat, sed laxis & latis foliis adiunctus, pennarum adiumento tegitur. Itaque cùm sedentes horum opificium mulieres retexitis, filaque, quæ nobis Seres ad conficienda vestimenta mollia mittũt, depectitis, ex huius vermis commutatione euidentem claramque resurrectionis notitiam haurite. Idem etiam Basilius multa animalia ex terra procreari, & anguillas non ex alia re, sed ex cœno oriri ait: quarum nec ouum, nec vlla alia ratio successionem perpetuitatemq; continet, sed earum ex terra ortus ducitur. Quæ res non modò resurrectionis imaginem repræsentat, sed vim etiam diuinam declarat; quę vt potest animal viuum ex terra procreare, ita poterit rediuiuum hominem ex eius puluere suscitare.

In exaëm. serm. 8.

Cur autem corpora nostra suis iterùm animabus indissolubili vinculo copulari supernus ille arbiter voluerit, multę sunt causæ: sed illa tamen præcipua est, quòd hoc ad plenam sanctorum hominum beatitudinem necessarium erat. Est enim beatitudo felicissimus quidam status omnium bonorũ aggregatione perfectus: in quo (vt D. Augustinus ait) erit quidquid voles, & non erit quidquid nolles. Atqui fieri non potest, vt anima corpore soluta non appetat naturali quodam affectu corpori suo iterùm coniungi: cùm eius forma sit, quæ naturali desiderio materiam, quam informet, appetit.

August.

I. Est prætereà anima nostra, non quidem totus homo (vt Plato sensit, sed hominis præcipua & summa pars. At omnis pars simili auiditate suo toti coniungi desiderat. Quod quidem felices illæ sanctorum martyrum animæ in Apocalypsi ostendunt: quæ sub altari Dei quiescentes, mundi finem (quò suis corporibus coniungantur) adesse cupiunt & petunt. Quæ tamen singulis stolis, hoc est, insigni animarum gloria, & immortalitatis veste percepta, expectare modicum iubentur, donec definitus à Deo fratrum suorum numerus impleatur.

Adde

Adde, quòd illa ſanctorum vita non beata modò, ſed perpetua etiam futura eſt. Nullum autem violentum eſſe perpetuum Philoſophi docent: violentum autem eſſet, formam à materia ſua, & partem à toto ſeiunctam eſſe: ideoque neceſſe eſt, vt, hac violentia in reſurrectione corporum ſublata, æterna corporis & animæ felicitas conſequatur. II.

Poſtremò cùm reſurgentium corpora vel in pietatis & iuſtitiæ officiis, vel in prauis cupiditatibus exequendis magna pars cum ipſa ſimul anima fuerint, ad ſuperni iudicis æquitatẽ pertinet, vt in præmiis quoq; & ſuppliciis recipiendis magna portio ſint. Neq. enim æquum erat, aut pios corporis labores ſine præmio, aut improbas eiuſdem turpeſq. voluptates ſine debito relinqui ſupplicio. Qua quidem de re elegantiſſima D. Euſebij Emiſſ. verba hoc loco attexere libet: Hac de cauſa (inquit) anima corpori ſociata eſt, vt per agones & certamina, quæ ei in hoc mundo propoſita ſunt, aduerſus carnales oblectationes, & mortiferas cupiditates pugnando, perennis gloriæ hæreditatem petat: & ſpiritus noſter, expugnatis vitiis, hanc inferiorem terrenamque materiam, poſt militiæ contubernium, ad beatitudinis donatiuum ſecum rapiat, & germanam carnem, in vitæ huius adminiſtratione in omnibus ſibi ſubditam, in illa die cõſpectui retributoris victricem offerat, & cauſam eius apud indulgentiſſimum remuneratorem his verbis commendet: Suſcipe Domine geminum animæ carniſque ſeruitium. Te iubente & adiuuante in illo ſeculo communem hoſtem communi intentione deuicimus. Habet enim, Domine, ſpeciales fructus & fragilitas corporis mei. Ego intellectu, diſcretione, conſilio, ſpiritualiter contra aduerſarios ſteti: caro hæc corporaliter corporis ſudore, ſobrietate, ieiuniiſq. dimicauit. Ad me pertinuerunt ſacrificia, oblationes, & ſupplicationes, ad hanc ſtudia, & merita caſtitatis. Dicat adhuc anima ad Deũ ſuum pro emundatione carnis ſuæ: Domine Deus, dignante prouidentia tua, caro hæc per me quidẽ animata atq. vegetata eſt, ſed ſola ipſa pro originali atq. cõmuni debito vim mortis experta eſt. Vtriuſq. tranſgreſſio, vnius eſt facta damnatio. Tu hanc carnẽ, dum in ea ſaluti publicæ militas, honoraſti: tu in huius ſubſtantia fel, acetũ, ſpinas, clauos, & lanceam pertuliſti: tu non de mea, ſed de eius participatione ſacrum pro hoc mundo ſanguinem profudiſti. In omnibus mandatis tuis ego imperiũ prætuli, illa famulatum: in commune laborauimus: ſit commune quod tribuas: quia ſine illa non patitur me iuſtitia tua recipere quod promittis. Agnoſcamus ergo, fratres, cauſas, quibus anima iam in paradiſi beatitudine conſtituta, reſumere proprij corporis deſideret indumentum; vt qui ſimul deſudauerunt in ſeculi hu- III. Euſeb. Emiſſ.

ius peregrinatione, simul illic glorificentur in requie. Laborandum intelligitur, & totis vtriusque hominis viribus luctandum est, vt nobilior portio inferiorem ad cælorũ secum excelsa sustollat, potiùs quàm vt inferior superiorem in inferni profunda demergat. Hactenus Eusebius. Hoc igitur agamus, fratres, hoc omni ratione curemus; hoc assiduis precibus à Domino cõtendamus, vt carnem nostram in obsequium spiritus redigentes, tanquam hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, offerre ipsi valeamus: quo vtriusque portionis nostræ gloriam de Domini miseratione in cælesti regno percipere mereamur.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, CONCIO PRIMA: IN QVA Euangelica lectio explanatur: vbi etiam de singulari Christi erga oues suas amore agitur.

THEMA. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Ioan. 10.



HACTENVS Ecclesia, fratres dilectissimi, sacra Dominicæ passionis & resurrectionis mysteria diuinis laudibus celebrauit: quo videlicet tantorum beneficiorũ cõmemoratione obdurata hominum corda emolliret, & ad pietatis & iustitiæ cultum traduceret. Sed quoniã ingeniũ hominum à labore ad libidinem procliue est, & facilè tãtorum beneficiorum memoriam deponit, & ad assueta reuertitur; ideò Ecclesia, nouis aliis Christi beneficiis commemorandis, nos in officio cõtinere nititur. Itaque hactenus quid pro nobis Dñs in morte & resurrectione sua gesserit; modò verò quid in vita sua, siue in terris nobiscum agens, siue in cælo residens gerat, in hodierna sancti Euangelij lectione cõmemorat, cùm pastorẽ, hoc est, vitæ nostræ custodẽ & moderatorẽ illũ esse docet. Quacũq; enim parte Christum Dominum spectare volueris, siue viuẽtem, siue morientem, siue in terra cum hominibus versantem, siue in cælo inter Angelos cõmorantem, semper in eo charitatis & pietatis incitamẽta reperies. Mysticus ille agnus totus cum capite, pedibus, & intestinis, ex imperio Domini comedebatur; nihil enim erat in eo reiiciẽdum. Quod quidem vero Agno Christo cum primis conuenit: in quo nihil otiosum, nihil non maximè salutare

Exod. 12.

salutare humano generi fuit. In gemmis pretiosissimis nihil nõ pulchrum & speciosum est: quacumq. enim parte illas aspexeris, similem vbique splendorem atque pulchritudinẽ ostentant. Hoc autẽ Seruatori nostro maximè cõuenire Sponsa in Canticis apertè significauit: quæ vbi longa oratione plurimas Spõsi sui laudes enumerasset, illum totum esse desiderabilem conclusit quòd nihil in eo esset quod non piarum mentiũ erga se desiderium & amorem incitaret. De hac igitur eius charitate & charitatis officiis hodie dicturi, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus. Simile. Cant. 5.

AVE MARIA.

EGO *sum pastor bonus, &c.* Multis nominibus, fratres charissimi, Saluator noster in litteris sanctis appellatur. Tot sunt enim eius in nos beneficia, vt diuinis scriptoribus occasionem dederit multis ipsum nominibus appellandi. Modò enim illum Regem, modò Sacerdotem, modò Medicũ, modò Magistrum, Vitæ fontem, Panẽ viuum, & Lucem mundi, diuersis quidem rationibus, in idem tamen tendentibus, nuncupant. Regem videlicet, quia nos Spiritu suo regat, & à sempiterno generis humani hoste defendat. Sacerdotem, quia infensum nobis patrem corporis sui sacrificio placauit. Medicum, quia liuore ac vulneribus suis (vt ait Propheta) vulnera nostra sanauit. Magistrum, quia nobis in Euãgelio doctrinæ cælestis disciplinam, velaminibus legis anteà obumbratã, apertissima oratione tradidit. Vitæ fontem, quia nos ab æterna morte (ad quam destinati eramus) morte sua in vitam reuocauit. Panem viuum, quia nos pretiosi corporis sui sacramẽto, in hac ipsa vita, quam contulit, reficit. Lucem verò mundi, quia sedentes in tenebris & vmbra mortis lucis suæ splendore perfudit, & cæcas hominum mentes in viam, quam nesciebant, eduxit. His & multis aliis nominibus appellatur: quæ omnia, vt videtis, non terrorem vllum aut metum, sed amorem magis & pietatem exprimunt. Hoc est enim quod idem Dominus significare voluit, cùm ait, In manibus Prophetarum assimilatus sum: quia videlicet his & aliis nominibus charitatis & misericordiæ suæ erga homines viscera manifestari voluit: vt tantorum beneficiorum commemoratione eos in sui amorem accenderet. Hoc enim assimilandi verbum significat, sicut in eo loco: Assimilaui te, & non cognouisti me. Inter hæc porrò nomina ipse se in præsenti Euangelio, ac ferè in toto hoc decimo Ioannis capite, pastorem, pios autem oues vocat. Quam quidem metaphoram copiosè persequitur, multa de pastorali sua cura, multa item de ouium suarum ingenio & moribus disserens. Nec in Euangelio solùm, sed in lege quoque sub hoc nomine mundo sæpè Esaiæ 53. Oseæ 12. Esaiæ 45.

promissus est. Sic enim Pater æternus de Vnigenito suo per
Ezech. 34 Ezechielem vaticinatur: Et suscitabo super ea pastorem vnum, seruum meum Dauid; ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorē. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Quibus verbis liquidò apparet, hîc non de Dauide (qui multis antè annis vita functus erat) sed de Domino Iesu, Dauidis secundùm carnem filio, qui pastorum princeps à Deo designatus fuerat, agi. Simili quoque nomine
Esaiæ 40. illum Esaias nuncupauit: qui hac appellatione & nomen & officium eius apertissimè designauit. Sicut pastor (inquit) gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit. Et hîc quidem in sinu suo, &
Luc. 15. in brachiis se gestaturum oues ait: in Euangelio autem super humeros suos errabundam ouem baiulasse scribitur. Vnde colligimus: ipsum ouibus suis vndique stipatum & onustum incedere: quarum alias humeris, alias brachiis, alias in sinu, imò & intra sinum gestet: sicut ipse alibi cum ouibus suis lo-
Esaiæ 49. quens ait: Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Quæ cùm ita sint, meritò is dicere potest: *Ego sum pastor bonus.* Græcè autē vtrobique additur articulus, qui hunc reddit sensum: Ego sum ille pastor, ille bonus, ille videlicet, de cuius pastorali cura & bonitate tam multa veteres olim Prophetæ prædixerunt. Quòd si quæras, quibus rationibus adductus Dominus tanto studio pastoris sibi nomen vindicauerit, duæ mihi huius appellationis præcipuæ causę extitisse videntur. Primùm enim hac appellatione prouidentiæ suę iugem curam & laborem voluit designare, quod maximè pastorum officium requirit. Cæteræ namque siue artes, siue officia habent vices suas & veluti inducias, quibus ab opere suo & labore vacent: pastor autem nullum tempus habet, quo ouium suarum curam & custodiam remittere tutò possit, adeò vt vel ipsa nocte, quæ ad quietem mortalibus data est, in qua homines à diurnis curis & laboribus feriati somnos carpunt, ipsis cōtrà tunc vel maximè propter clandestinas luporum insidias vigilandum sit. Sic enim
Lucæ 2. vigilabant, & vigilias noctis super gregem suum custodiebant pastores illi, ad quos natiuitatis Dominicæ felicissimum nuncium perlatum est. Idem quoque de se sanctus Patriarcha Ia-
Genes. 31. cob socero suo retulit, cùm ait: Die noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Itaque nec diu, nec noctu; nec hieme, nec æstu requiem vllam bonus pastor capiebat. Quàm similis hic pastorum principi Christo, qui diebus quidem docebat in tēplo, noctibus verò morabatur in monte, pernoctans in oratione Dei! Non minùs autem ouium suarum commodis prospiciebat solus in monte orans, quàm confluen-

tes

tes ad se turbas in templo docens. Hîc enim cęlesti illos doctrina imbuebat: illic verò eorum causam apud Patrem precibus agebat; vtpote qui sibi nihil habebat quod precaretur. Nec in terra positus modò, sed nunc in cælo degens, vtrumque hoc officium non deseruit, pro nobis apud Patrem interpellans, & internis oues suas vocibus admonens. Sic enim D. Bernardus locum illum explanat: Semel loquitur Deus. Quo enim sensu loqui semel dicendus est, qui multifariè, multisq; modis olim locutus esse dicitur patribus in Prophetis? Nimirum quia nunquam hoc loquendi & monendi officium intermisit. Quamuis enim ab origine mundi ad finem vsque loquatur, vna tamen locutio est, quòd nunquam hactenus intermissa sit. Vsq; ad lucem enim producta cœna, quamuis longissima sit, vna tantùm esse dicitur, quia non est intercisa. Bernard. Hebr. 1.

Altera verò huius appellationis causa est, non solùm (vt diximus) laboris continuatio, sed varia etiam atque multiplex prouidentia, quam de ouibus suis gerit. Nec enim pastoris officiũ (vt multa alia) vno tantùm munere & labore continetur. Eius enim est & gregem suum pascere, & adaquare, & à luporum incursione tueri, & ad caulas opportunè reducere, & cælum ac pabula statis temporibus commutare; & perditas oues diligenter inquirere, morbidas verò partim curare, partim etiam (ne cæteras contagio suo inficiant) à grege secernere; ac demum ea omnia, quæ ad ouiũ salutem & incolumitatẽ pertinent, diligenter curare; nec tam suæ salutis & quietis, quàm ouium suarum rationem habere, vt periculo & labore suo illæ citra periculum placidè quiescere valeant. Quid autem magis superno illi pastori conuenire potest? Quid enim is aliud in vita egit, quàm vt nos redderet suis periculis securos, suis vulneribus integros, sua humilitate excelsos, suis vinculis liberos, suis lachrymis lætos, sua inopia diuites, sua denique morte immortales? Hoc est enim quod in præsenti Euangelio ait: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum, &c.* Omnia verò boni pastoris officia quis vnquam præstitit cumulatiùs? Quamuis enim visibilem in Ecclesia visibili pastorem reliquerit, quia tamen huius cura & prouidentia ad omnia pertingere nõ potest, nec intimos animarum recessus penetrare, hanc ipse sibi curã delegit: & arcana quadam atque inexplicabili ratione hæc omnia administrat; quemadmodum apertè ipse per Ezechielem testatur his verbis: Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, Simile. Ezech. 34

custodiam: & pascam illas in iudicio, hoc est, non oscitanter aut negligẽter, sed magna cura atque cõsilio, quid illis potissimùm expediat, prouidebo. Denique qua cura huic vni studio intentus sit, D. Augustinus de seipso cũ Domino agens declarat his verbis: Sic Domine super custodiam meã vigilas, ac si omniũ aliarum rerum oblitus, mihi solùm intenderes. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inuenis. Quocumq; iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram. Quid ergo felicius, quàm ita viuere, vt sub talis pastoris cura & prouidentia tutissimam & felicissimã vitam agas? Si enim pastor hic omnipotens, si omniscius est, si omnis generis opibus redundans; quid, quæso, ouiculis sub tali pastore degentibus vel ad salutem, vel ad felicitatem deesse poterit? Si ipse est vniuersorum hæres, si omnia dedit ei Pater in manus, si in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, si in ipso complacuit Patri habitare omnem cælestium diuitiarum plenitudinem; quid illis deesse poterit, qui sub talis pastoris prouidentia degunt? Si igitur hîc tantus Dominus pastor meus est, si ipse vigilem mei curam gerit; quid mihi ipso protegente deesse poterit? Quis me de gradu felicitatis huius deiicere, quis inuadere, quis vberrima eius pascua prohibere poterit? Quid igitur ex his consequens est, fratres, nisi vt omni cura & studio ita vitam instituamus, vt inter innocẽtes Christi oues censeri mereamur, quo tutissima atque felicissima huius pastoris prouidẽtia perfruamur? Non dubium enim quin ille pastor tuus sit, si tu ouis eius extiteris: hoc est, si ouis mansuetudinem & innocentiam omni cura & studio retinere curaueris. Quid deniq. cõsequens est, nisi vt hunc pastoris nostri amorem amore, curam cura, & obsequium obsequio (quatenus per nos fieri possit, pensare studeamus? Quòd si quæras, vnde hæc tanta erga nos pastoris huius charitas & prouidẽtia manarit; certè non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed ex immensa eius bonitate & dilectione. Quod idem Dominus indicat, cùm protinus subdit: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrẽ, & animã meam pono pro ouibus meis.* Ex hac igitur cognitione hoc tantum beneficium consecutum est, vt animam suam Dominus pro ouibus suis poneret. Sed quoniam hæc Domini verba ingentem charitatis eius vim exprimunt, paulo pòst fusiùs à nobis explicanda sunt. Denique ait:

Aug. in Meditat.

Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, &c. Quando hoc futurum sit, non est nostrum aut scire, aut inuestigare. Est enim in promptu ad huiusmodi quæstionem illa Domini responsio: Non est vestrum nosse tempora vel

Actor. 1.

vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quid igitur ad nos pertinet? nempe illud Augustini: Si non traheris, ora vt traharis: si nōdum vocatus es, ora vt voceris. Quòd si fortè iam tractus es, illud Ioānis in Apocalypsi tibi ante oculos pone: Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam. Hoc est, si Spiritum sanctum accepisti, si Dei templum, si vas electionis effectus es, si Deum in mentem tuā commorantē habere te coniicis, stringe illum fortissimis amoris & timoris vinculis: liga illū (si quidem fieri possit) catenis adamantinis, ne ab eo vnquam diuellaris. Duplici enim de causa res solent diligentissimè adseruari; vel quòd pretiosissimæ sint, vel quòd in magno periculo versentur. Vtrumque autem in hunc thesaurum cadit: quoniā & nihil eo pretiosius, & nihil maioribus periculis expositū est. Tene ergo quod tenes, ne alius accipiat coronā tuā. Quòd si à me, quibus retinaculis thesaurus hic retinendus sit, quæras; hoc iam tibi proposita similitudine quadā indicabo. Quemadmodum enim naues magnæ quatuor anchoris, dum vehemens aliqua tēpestas furit, retineri solent; ita ego tibi quatuor quoque firmissimas anchoras proferam, quibus inconcussam innocentiæ nauem inter huius vastissimi maris fluctus, & varias tentationum procellas, perpetuò retinere valeas. Apoc. 3. Simile. Anchora 4.

Earum prima est, fixum immotumque innocentiæ, hoc est, non peccandi propositū habere, priusque extrema omnia pati velle, quàm in lethale aliquod peccatum incidere. Hac enim in re Christianæ iustitiæ summa consistit. Quisquis enim huiusmodi propositum habet, verè ante Deum iustus est. Quia verò decreta nostra sine præsenti Dei numine infirma sunt, & facilè rebus nostris vario & multiplici cursu fluentibus commutantur; secunda huic anchora iungenda est, nempe assidua oratio, quæ diuinam opem, qua infirmitas nostra roboratur, imploret. Quod idem sanctus Vates se facere testabatur, cùm ait: Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Dum enim ipse oculos in cælum tollit, Dei ad se oculos attrahit; quorum conspectu & prouidentia sparsos vbique peccatorum laqueos vitat, atque inoffenso pede per iustitiæ semitas graditur. Tertia verò anchora, peccatorum confessio, & sacra communio est. Multi tamen aduersus eos qui ad hæc diuina sacramenta paulo frequentiùs accedunt, submurmurant, dicentes: Quorsum isti toties confitentur? qui fieri potest, vt tam breui temporis spatio tam multa delinquant, vt toties illis confessio repetenda sit? Rectè forsitan isti dicerent, si ob hoc solum toties ad sacramenta pij homines accederent. Est tamen aliud, quod ipsi non animaduertunt. Non enim hos tam præterita peccatorum debita, quàm futura pericula monent: ad Psal. 24.

vtrumque enim sacramenta plurimùm conferunt, quibus & præterita peccata condonantur, & futura vitantur. Fateor ergo non admodum multa esse horum peccata, vtpote qui ea omni studio vitare contendant: at peccatorum pericula innumera sunt, & singulis penè locis atque momentis insidiantia. Quare semper nobis ad sacramentorum remedia confugiendum est: quæ non solùm præteritorum malorum medicamenta, sed aduersus pericula omnia firmissima præsidia & munimenta sunt. Quarta verò anchora diuinorum eloquiorum & beneficiorum consideratio est. Quod apertè regius Propheta
Psal. 118. exemplo suo docet, cùm ait: Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea. Cùm autem omnis pia cogitatio ad hoc plurimùm valeat, Dominicæ tamen passionis & charitatis (à qua passio ipsa processit) meditatio ad hoc ipsum maximè cōfert. Cuius rei gratia Paulus genua cordis sui ante Deum flectit, & ab illo precatur, vt splendore lucis suæ, mentis nostræ oculos illustret, quo charitatis Christi magnitudinem intelligere valeamus, quæ omnem superemi-
Ephes. 3. net scientiam: vt impleamini (inquit) in omnem plenitudinem Dei. Sciebat enim, hanc esse certissimam viam, qua cælestium donorum opibus cumularemur, si charitatis huius immensitatem pro modulo nostro diu multumque considerantes, mutuo illi amore responderemus. Adde etiam quòd nemo Dominicæ passionis fructum pleniùs participat, quàm qui in Redemptorem suum & gratus & beneuolus est. Vtrumq; autem præstat, qui charitatis Christi magnitudinem, Deo mentis eius oculos illuminante, piè cogitat. Quocircà non abs re fuerit, de huius charitatis magnitudine in extrema huius concionis parte pauca disserere: ad quod nos proposita verba Thematis inducunt: quæ iam explanare incipiam.

Tractatio Thematis.

Ego *sum pastor bonus, & cognosco, &c.* Cùm omnia diuina beneficia omni laude & gratiarum actione dignissima sint, redemptionis tamen nostræ beneficiū principem inter ea locum tenet. Sed est tamē aliquid hoc summo beneficio maius, quodque nos ad amorem tanti Redemptoris multo magis accendit, nempe amor ipse quo nos dilexit, qui illum ad mortem impulit, qui multis partibus passionis eius magnitudinem superauit. Multò enim plura perpeti paratus erat, quàm pertulit, si hoc ad salutem nostram necessarium fuisset. Quo fit, vt plus illi pro eo debeamus quod pati voluit, quàm pro eo quod passus est: quamuis hoc euidens & manifestum, illud verò occultum, & vni illi notum sit. Huius verò dilectionis magnitudinem in
propositis

propoſitis verbis Dominus declarat, cùm ait: *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Quo in loco verbũ cognoſcendi dilectionem ſignificat quemadmodũ in eo loco: Nouit Dominus qui ſunt eius. Et vbi ad Moſem Dominus ait: Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Cùm igitur Dominus ait, Cognoſco oues meas; perinde eſt ac ſi diceret, diligo oues meas. Si verò quæ ſit dilectionis huius magnitudo quæſieris, hoc planè nulla rerum creatarum ſimilitudine pro dignitate poterit explicari. Quamcumque enim mihi dilectionem propoſueris, facile tibi oſtendam, multis eam partibus à Chriſti dilectione ſuperari. Quam quidem rem propoſitis exemplis declarabo. Si enim dixeris, Chriſtum Dominum oues ſuas tanquam paſtorem optimum diligere (qua is ſimilitudine in præſenti Euangelio vtitur) rectè dicis: ſed longiſſimo tamen interuallo dilectionem hanc eius dilectio ſuperat. Optimus enim quiſque paſtor non ita diligit oues, vt non frequenter earum carnibus veſcatur, & vitam ſuam illarum morte ſuſtentet. At bonus hic paſtor intelligẽs oues ſuas, niſi ſanguinis & carnis ſuæ cibo alerentur, perituras (ſicut ipſe ait: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis) ſeipſum in ara crucis immolauit; vt corporis ſui cibo ad immortalẽ vitam aleret. Paſtores ita nõ tam ouibus, quàm ſibi ipſis in earum vigili cuſtodia proſpiciunt, nempe vt earum lacte veſcantur, & velleribus operiantur: at bonus hic paſtor è cælo demiſſus, neque lacte noſtro, neque velleribus, hoc eſt, operibus noſtris eget; ſed ideò oues ſuas curat, non vt ſibi, ſed vt illis conſulat, & gratis vitam æternam largiatur: ſicut ipſe ad Patrem ait, Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Sed paſtores omittamus, & amorem matrũ examinemus. Earum quippe erga filios amor vehementiſſimus eſt. Huic enim Dauid ſuum erga Ionatham amorem cõparauit, cùm eius magnitudinem explicare vellet. Longè tamen hanc maximam dilectionem Chriſti Domini dilectio ſuperat; ſicut ipſe apud Eſaiam teſtatur his verbis: Nunquid obliuiſci poterit mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper. Videtis ergo apertè amorem ſuum Dominum piiſſimarum matrum amori erga teneros etiam filios anteferre?

2.Tim. 2.
Exod. 33.
Ioan. 6.
2.Reg. 2.
Eſaiæ 40.

Poſt amorem tamen matrum ſupereſt adhuc ardentior alius amor, nẽpe ſponſi ad ſponſam. Huius enim amoris magnitudinem primus generis noſtri parens declarauit, cùm poſita ante oculos vxore ait: Propter hãc relinquet homo patrẽ & matrem, & ad- Geneſ. 2.

& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc ipsum autem sponsi & sponsę nomen Christo Domino maximè conuenit. Sub huius enim nominis appellatione totus Canticorum liber editus est: vbi sponsa hoc illum nomine appellat. Quin & Apostolus, Despondi, inquit, vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Et ipse item per Hieremiam Dominus: Ergo saltem amodò voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ. Cui videlicet virginitas & integritas mea curę est, & à quo velut à legitimo spōso custoditur. Sed quantū cælestis huius spōsi amor communem virorum amorem, erga vxores superet, ipse per eundem Hieremiam declarat his verbis: Vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suum, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltrà? numquid nō polluta & contaminata erit mulierilla? Tu autē fornicata es cum amatoribus multis: verumtamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Quæ ergo maior viri erga vxorem charitas esse potest, quàm si adulteram, atque adeò meretricem non solùm non repudiet, sed etiam adulterij offensione deposita, pacem illi & veniam vltrò offerat, & ad se blandimentis inuitet? Quod ergo maius veræ dilectionis argumentum?

2.Cor.11. Hier. 3. Ibidem.

Percurrimus omnes maximos amores, qui inter varia personarum genera inueniuntur. Superest, vt in vna eademque persona hanc collationem faciamus. Maximo inter se amoris vinculo caput & membra copulantur, dum caput, quicquid habet sensuum & virium, ad membrorum suorum incolumitatem & commodum dirigit: membra verò huius beneficij magnitudine deuincta, se cuiuis discrimini propter capitis salutem offerunt, & perire se quàm caput malunt: Christus verò Dominus hoc sibi nomē iustissimè vindicat. Ipsum enim Pater (vt Apostolus ait) dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, & plenitudo ipsius. Sed hunc tamen naturalem capitis amorem duplici nomine Christus Dominus superat: altero, quòd caput quidem animantis viribus suis non modò ad corporis commodum, sed ad suum etiam vtitur, dum, quem motum & sensum membris tribuit, sibi sumit: Christus autem Dominus virtutum atque laborum suorum merita nobis magis quàm sibi communicauit, vtpote qui ab instanti conceptionis suæ beatus & gratiarum omnium plenus extitit. Altero verò, quòd cùm membra se ictibus ac vulneribus propter capitis incolumitatem obiiciant, nunquam tamen caput huic se periculo propter tuenda mēbra opponit; quod tamen summa capitis nostri charitas præstitit, quando se propter membrorum suorum salutem omnibus diuini furoris telis exposuit: sicut ipse ad Patrem sub Ionę persona ait: Omnes fluctus tui, & gurgites

Simile. Ephes. 1. Psal. 41.

gites tui super me transierunt. Esaias quoque, Disciplina, inquit pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Esaiæ 53.

Cùm ergo Dominus intellexisset, nihil esse in terris quod charitatis eius magnitudinem æquaret, in cælum conscendit, vbi charitas velut meridianus sol maximè viget atque feruet: & Seraphicos adhuc spiritus (qui velut flammæ ignis, in amore summæ illius pulchritudinis ardent) prætergressus ad ipsum vsque diuinum pectus penetrauit: in quo immensus & infinitus amor Patris erga vnigenitum Filium flagrat, vbiq; plenissimè quod quærebat inuenit. Vnde ait: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Hoc est, quibus me Pater æternus amoris oculis intuetur ac diligit, eisdem ego oues meas cõtemplor & diligo. Quæ quidem comparatio quamuis non eandem in omnibus similitudinis rationem teneat, summa tamen hominis dignitas est, sic à Christo diligi, vt hęc eius dilectio cũ summa illa dilectione potuerit cõparari. Quod planè nisi ipse Dei Filius fecisset, quis inter homines hoc ausurus fuisset? Ceterũ cũ summa hominis felicitas in hac tanta Dei erga illum dilectione posita sit, inquisitione dignissimũ est, vnde tãta hęc dilectio proficiscatur. Et quidẽ apparet in rebus tam dissimilibus, tantoque à se interuallo dissitis, nõ admodũ dissimilẽ dilectionis causam esse. Cũ enim summus ille Pater totam substantiam atq; naturam suã æterna & inexplicabili generatione cõtulerit Filio: vbi illũ videt, seipsum in eo videt; & quemadmodum infinito amore se, ita infinito illum amore amplectitur, in quo se totũ ipse transfudit. Ad hunc ergo modum cùm Christus Dominus in iis, qui innocẽtes oues eius sunt, Spiritum suum inhabitantem cernat; cõsequens est, vt se in illis videat, & se quoque ipsum in eis diligat. Huius verò rei commodissimũ exemplum in parentum erga filios amore cernere licet. Cur enim ij tam ardenti amore filios prosequuntur? Quis enim non miretur amorem Dauidis erga parricidam filium, cuius mortem tam acerbè luxit? Non dubium quin huius tanti amoris, amor sui causa sit. Omnes enim erga alios amores ex amore sui proficisci Philosophi tradunt. Quia verò parentes amant se, ideò filios suos tanquam seipsos, hoc est, tanquam aliquid sui amant. Ex paterna quippe substantia illa corporis filiorum fabrica delibata est. Hæc igitur amoris causa suo quodam modo in Deo quoq; reperitur. Pios enim is non tanquam exteros & alienos, sed tãquam aliquid sui diligit (sui inquam, non natura, sed gratia) quandoquidẽ sicut naturales liberi ex paterno semine orti sunt; ita planè viri iusti ex diuino semine spiritualem illam ac diuinam vitam sortiti sunt qua viuunt. Quod quidem Petrus Apostolus testatur, cùm ait: Renati

Simile.

1. Pet. 1.

Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei viui & permanentis in æternum. Quam quidem vo-
1.Ioan. 3. cem vſurpat etiam Euãgeliſta Ioannes, cùm ait: Qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia ſemen Dei manet in eo. Si ergo ſpirituale hoc eſſe à diuino ſemine manat; quid mirum, ſi tantopere electos ſuos diligat Pater ille cæleſtis, quos tanquam filios, hoc eſt, tanquam aliquid ſuum, hoc eſt, à gratia & Spiritu ſuo profectum, diligit.

Ex hac autem diligendi ratione alia quoque non minus obſeruanda conſequitur. Cùm enim ex hac diuini ſeminis virtute omnis humana pietas & iuſtitia oriatur; conſequens eſt, vt hæc ipſa pietas & iuſtitia magis Dei opus quàm noſtrum ſit, quãuis nos etiã cum eo, ab ipſo tamẽ adiuti & moti, cooperemur. Deus
Philip. 2. enim eſt (vt Apoſtolus ait) qui operatur in nobis & velle & per-
Simile. ficere pro bona voluntate. Vnde etiam ſequitur, vt quemadmodum artifices excellẽtes operibus ſuis delectantur; ita ſummus ille totius honeſtatis architectus, cùm animum diuina virtute florentẽ perſpicit, opus ſuũ agnoſcat, & eximio amore proſe-
Prou. 18. quatur; & illud intuens, ſummo (vt ita dicam) gaudio cumuletur. Quocirca diuina Sapientia profitetur apud Salomonem, homines à ſe in deliciis haberi. Admirabile eſt igitur illud amoris vinculum, quo Deo homines caſti & integri copulantur. Nulla enim eſt amicitia maior, nulla voluntas coniunctior.

His etiam aliam non inferiorẽ dilectionis cauſam addere licet. Diligit quippe Chriſtus Dominus animas, quas tantis doloribus & cruciatibus in paſſione ſua redemit, & morte ſua ab æterna morte liberauit. Hac enim de cauſa matres vehementiùs amare filios perhibentur, nõ ſolùm quòd eos ex ſubſtantia ſua procrearint, ſed etiã quòd ſummo cum dolore pepererint. Magis enim ea diligimus, quæ difficiliùs ac maiori pretio comparauimus. Quo etiam nomine nos Chriſtus Dominus magis diligit, quos per crucẽ generauit. Quæ quidem diligẽdi ratio ad homines ſolùm pertinet, quos cum dolore redemit; non ad Angelos, quos ſine labore beauit. Vt omittam interim, quòd, quãuis Angelorum puritas ſit maior, hominum tamen eſt mirabilior. Nemo enim ſpiritualis creaturæ puritatem miratur: miramur tamen, & iure miramur, mundum ac purum eſſe, qui impura carne ſeptus, & ex immundo ſemine conceptus eſt.

His accedit ſimilitudo, quæ non ſolùm mutuum amorem
Simile. conciliat, ſed Deo quoque animam mira quadam ratione coniungit. Similia enim tanquam germana atque cognata, ſimilemque vim & naturam retinentia, facilè vniuntur: diſſimilia verò à ſe inuicem reſiliunt & ſeparantur. Sic videmus aquam aquæ, & oleum oleo facilè coniungi, & in vnum corpus redigi:

oleum

oleum verò, quod aquæ dissimile est, si in aquam effundatur, ab ea refugere, & in orbem cogi, nec cum illa in vnum corpus coire. Cæterùm inter Deum & pium hominem, propter eiusdem Spiritus communionem, mira intercedit similitudo atque cognatio. Vbi ergo tanta similitudo est, quanta vis diuini amoris existet, cùm Deus, illos sic diligens, se in illis quodammodò diligere videatur.

Hæc cũ ita sint, quæro à vobis fratres, quæ opes, quæ regna, quę imperia cum hac tanta felicitate vlla ex parte comparanda sint? Si amoris est, summa infimis æquare, & sub vnum velut iugum deuincire: quæ felicitas maior, quàm tali ratione abiectissimos homines ad summam hãc dignitatem attolli? Si amoris est (vt Dionysius ait) dilectũ sibi vnire, & vnum secum efficere: quid diuinius, quàm hac ratione Deũ homini copulari, & vnum quodãmodò cum eo fieri? Si amicorũ omnia sunt communia: quid deesse ei poterit, qui rerum omniũ Domino amicus est? Hac enim ratione Philosophus quidam colligebat, sapientes esse rerum omnium dominos: quoniam (inquit) Deorũ sunt omnia: sapiẽtes autem Deorum amici sunt: quare necesse est, vt sapientum quoque sint omnia. Deniq; si vera & spectata amicorum fides in periculis & rebus afflictis maximè cernitur: quod, quæso, in hac calamitosa vita præsidium vel firmius, vel magis optandum, quàm omnipotentis Dei amicum esse? Itaq; quisquis eò dignitatis euectus est, vt in Dei amicis numerãdus sit, sciat se ad eam felicitatem peruenisse, qua nulla maior puro homini in hac vita cogitari potest. Dionys.

Sed dicetis forsitan, Rectè sanè: sed quî fieri potest, vt ego ista felicitate fruar, si me felicem esse haud sciam? Vt enim nescio an amicus Dei sim, ita nescio an ista ratio felicitatis in me cadat. Quomodo igitur de hac felicitate gloriabor, cùm me felicem esse ignorem? Ignoramus planè: sed non ita ignoramus, vt non multa subsint veræ iustitiæ, ac proinde huius tantæ felicitatis indicia. Inter quæ tamen præcipuum illud est quod Apostolus designauit, cùm ait: Tribulatio patiẽtiam operatur, Rom.5. patientia probationem, probatio verò spem. Laborum ergo & variarum calamitatum humilis tolerantia, magnũ diuinæ gratiæ, imò & Christianæ perfectionis argumentum est. Et ne à pastoris officio hac etiam in re discedamus, quisquis vera charitate præditus est, boni pastoris fidem ac diligẽtiam imitatur. Sicut enim boni pastoris esse Saluator ait, quòd lupis gregem inuadentibus maneat tamen in gregis custodia intrepidus, nec præsenti periculo frangatur: ita planè magnum non modò veræ pietatis & iustitiæ, sed etiam perfectæ vitę argumentum est, nullo siue metu, siue labore, siue honoris aut rei familiaris detrimento

trimento à virtutis & innocentiæ studio reuocari. Qua de causa Moses populo ait: Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atq; tentaret, vt nota fierent omnia quæ in animo tuo versabantur, vtrùm custodires mandata eius, an non. Ex quibus verbis apertè colligimus, inter cætera veræ pietatis indicia magnum esse, tentationibus non succumbere, laboribus non frangi, sed eandem semper animi firmitatem & constantiam retinere. Simili enim ratione aurum igne exploramus: quod enim purum & peregrini metalli expers est, idem prorsus citra vllam sui mutationem in igne perseuerat. Ensis etiã fidem hac ratione experiri solent homines. Etenim si eius cuspis violenter in arcum reflexa & incuruata, ac deinde remissa, pristinam rectitudinem seruat, ensis probitas ac vis laudatur; si verò falcis instar obliqua & recurua maneat, improbatur. Simili ergo experimẽto solida veræ pietatis firmitas spectatur; quæ si perfecta fuerit, adeò rebus aduersis non frangitur, vt interdũ etiam ipsis roboretur. Exiguus ignis leui flatu extingitur: magnus tamen, & magna nutrimentorum appositione maiorem flammam corripiens, adeò flatibus non cedit, vt vehementiùs etiam accendatur. Vasa quoq; figuli, quæ malè compacta sunt, in fornacem coniecta, vbi ignem sensêre, crepant: solida verò adeò non disrumpuntur, vt etiam ignis calore solidentur. Vnde Ecclesiasticus ait: Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis. Hæc autem omnia, fratres, eò pertinent, vt, qui verè Deo probari se cupiũt, nullatenus conquiescant, donec eò peruenerint, vt in tribulatione atque tentatione fideles inueniantur. Qua vrgente, non quidem angi, sed gratulari magis sibi debent, quòd occasio illis oblata sit, qua vel infirmitate sua cognita, humiles euadant; vel firmitate perspecta gratias firmitatis auctori agãt, quòd ad eũ statum perducti sint, in quo tentationibus explorati, in virtute & officio fideles perstiterint. Sic Lucilius apud Senecã sibi gratulatur, quòd in discrimen capitis propter amicitiæ fidem adductus, constanter se periculis obiecerit. Sic enim illum Senecaloquentem inducit: Pro amicis omnia timui, pro me autem nihil, nisi ne parum bonus amicus fuissem. Non mihi muliebres fluxêre lachrymæ, non è manibus vllius supplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis maior, paratus ire in ea quæ minabãtur; egi gratias fortunæ, quòd experiri voluisset, quanti æstimarem fidem. Nõ debebat mihi paruo res tanta constare. Hactenus ille. Si igitur homo Ethnicus in mediis periculis gratulabundus & lætus erat, quòd calamitas illa sui cognoscendi occasionem præbuerat; quomodo non multo magis Christianus homo simili oblata occasione gaudebit,

Deut. 8. Similia. Eccli. 27. Seneca in Epist.



gaudebit, vt vel infirmitate sua experimẽtis cognita, cælestem opem assiduè flagitet; vel firmitate & constantia sua perspecta, gratias (vt modò diximus) auctori suo agat? Ex hac autem forti & inuicta patientia, quæ probatũ hominem reddit, spes illa nascitur, quæ (vt Apostolus ait) non confundit, hoc est, nequaquã sperantem hominem pudefaciet atq. frustrabit. Spes igitur, quę virtutis huius fundamento nititur, quæ laboribus nõ vincitur, calamitatibus non frangitur, tentationibus nõ succumbit; quæ ita in Domino sperat, vt etiã viriliter agat, & manum operi admoueat; ea sanè est, quæ non confundit, sed æternæ felicitatis, atque bonorum omnium compotem facit. Quam nobis concedere dignetur Christus Dominus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

IN EADEM DOMINICA SECVNDA POST PASCHA, CONCIO SECVNDA: in qua de pastorali officio, quod Christus Dominus spiritualiter in piorum mentibus administrat, agitur. Ad quod is Psalmus cuius initium est, Dominus regit me; paulo fusiùs explicatur.

THEMA. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.* Psal. 22.



QVONIAM in lectione sancti Euangelij de boni pastoris officio agitur, quod Saluator noster, dũ apud nos versaretur, plenissimè executus est: libet in præsenti Concione de eodẽ officio, quod nũc in cęlis residẽs administrat, differere. Quod quidem regius Propheta in eo Psalmo cuius modò initiũ vobis proposui, apertissimè simul ac breuissimè describit: ideoq. operæ pretium me facturum puto, si vobis illum in præsenti Concione, Domino aspirante, paulo fusiùs explicauero. Sed priùs tamen Euangelicam lectionem, quæ huius doctrinæ caput & fundamentum est, paucis expediam. Ait ergo Dominus:

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis: Mercenarius autẽ & qui nõ est pastor, cuius non sunt oues propriæ, vidit lupũ venientẽ & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus, & cætera quæ sequuntur vsque in finem.

AVE

AVE MARIA.

RES planè inquisitione dignissima est, fratres dilectissimi, quid sit in causa, quòd cùm homo natura impellente vsque adeò salutis & felicitatis suæ sit auidus; salus autem & felicitas, & mercedis magnitudo, quam cultoribus suis diuina lex pollicetur, adeò ampla & magnifica sit; vix quisquam eorum, qui seculo seruiunt, ad pietatis & iustitiæ cultum tam magna proposita mercede adduci velit. De huius namque mercedis magnitudine sic D. Augustinus ait: Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. Nec hoc mirum aut incredibile erit ei qui diuinæ bonitatis & opulentiæ largitatem fuerit contemplatus. Hinc D. Bernardus illum Dauidis versiculum explanans, Eripiam eum & glorificabo eum, sic ait; Non glorificabit aliquem tanta immensitas, nisi in immensum. Magna enim glorificatio à magnifica gloria est. Dicitur autē magnifica gloria, quia magnificè glorificat. Cùm igitur tam ampla sit diuinæ mercedis magnitudo, meritò multorum hominum cæcitatem demiramur, qui ne hoc tanto proposito præmio ad pietatis & iustitię studium incitantur. Multas autem huius rei causas esse, Salomon insinuat, cùm ait: Occasiones quærit, qui vult ab amico recedere: omni tempore erit exprobrabilis. Ecclesiasticus item, Peccator homo, inquit, vitabit correptionem, & secundū voluntatem suam inueniet comparationem. Hoc est, nequaquam illi falsa solatia, & subfugia deerunt, quibus sana consilia respuens, in sceleribus suis secura mente permaneat. Sed inter hæc tamen improbitatis humanæ diuerticula (quæ multa & varia sunt) duo mihi præcipua esse videntur. Alterum, quòd diuinarum rerum imperiti, nimis asperam atq. difficilem virtutis viam esse causantur, vtpote qui eam non diuinæ gratiæ ope (quam non agnoscunt) sed solis humanis viribus metiuntur. Alterum, quòd virtutis prēmium atque mercedem non in hanc vitam, sed in alteram solùm reseruari putant. Hinc D. Ambrosius de improbis hominibus agens, Difficile, inquit, videtur hominibus, vt spem periculis emant, damnoque pręsentium futuræ locum mercentur ætatis. Improbi igitur omnes, serpentis antiqui fraude delusi, nulla alia virtutis præmia esse arbitrātur, quàm quæ in futura vita promittuntur. Quæ quoniam pręsentem illis vtilitatem non afferunt, quasi longè posita, nimiumq. à se distantia, fastidiunt, & pro nihilo ducunt: vel certè nolunt ea præsentium commodorum atque voluptatum iactura comparare, futurisque præsentia commutare.

[Margin notes: August. — Bernard. — Prou. 18. — Eccli. 32. — Ambros.]

Vt his

Vt his igitur ignorantium atque negligentium hominum excusationibus respondeam, singularia quędam piorum hominum priuilegia, quæ illis diuina bonitas in hac etiam vita concedit, hoc in loco mihi commemoranda sunt. Quemadmodum enim viri nobiles in Republica peculiaribus quibusdam priuilegiis gaudent, & quicumque etiam in Ecclesia sacris initiati sunt, priuatis quibusdam gratiis & immunitatibus fruuntur, quibus seculares homines minimè gaudent: sic diuina sapiētia, quæ cunctarum rerum, ac præcipuè piorū hominum curam & prouidentiam habet, peculiaria quædam dona & beneficia iustis hominibus, & in præsenti vita & in futura constituit, quæ illis pietatis & iustitiæ merito conceduntur. Quæ autē ea sint, diuina volumina vbiq; personant atq; decantant. Sed ne adeò latè per omnes diuinorum voluminum paginas vagemur, neque longiùs ab Euangelicâ huius diei lectione (quæ de pastorali Domini Saluatoris officio agit) recedamus, quintumdecimum Dauidis Psalmum, qui de hoc eodem officio mira breuitate agit, vobis in medium proponam: in quo Vates sanctus in persona sua duodecim piis hominibus beneficia constituta numerat: quorum vndecim ad hanc vitam, duodecimū verò ad futuram pertinet. Quæ tamen ita sunt beneficia, vt sint etiam maxima ad virtutis cultum adiumenta: quæq; diuinorū mandatorum viam (quæ alioqui humanis solùm viribus inaccessa erat) non modò planam, sed etiam facilem & iucundam efficiunt. Non erit igitur alienum, neque (vt ego puto) infructuosum, si hæc ipsa beneficia breuiter in præsenti Concione exponamus: hac enim ratione vtrique ignorantium hominum excusationi abundè (vt arbitror) satisfactum erit.

I.

Horum igitur beneficiorum & primum, & aliorum omnium fons & origo, est pastoralis cura & prouidentia, quā Dominus ouium suarum, hoc est, iustorum omnium, gerit: de qua initio statim Psalmi Vates sanctus gloriatur, cū ait: *Dominus regit me.* Quo in loco D. Hieronymi interpretatio proposito nostro magis suffragatur: sic enim vertit, Dominus pastor meus est. Similique ratione alibi, pro eo quod nos legimus, Qui regis Israël, intende: idē vertit, Pastor Israël ausculta, qui deducis velut ouē Ioseph. Hoc ergo nomine se Saluator frequentissimè in litteris sanctis appellat. Qua quidem appellatione pastoralē curam & prouidētiam, quam erga homines pios gerit, apertè demonstrat. Quemadmodum enim bonus pastor se totum ad ouium suarum custodiam atq; tutelam applicat, earum vitam, incolumitatē, & salutē omni ratione procurans: sic cælestis hic pastor ouibus suis conseruādis, pascēdis, regendis, & ab incursu ferarū tuendis

Psal. 57.

tuendis ita se impendit, quasi ab omnibus aliis rebus feriatus, huic vni curæ atque officio totus intendat.

Quæ autem bona ex hac pastorali cura & officio consequantur, breui deinde oratione complexus est, cùm subdit, *Nihil mihi deerit.* Quo vno verbo vtramque carnalium hominum excusationem, quam anteà commemorauimus, funditus euertit.

Ad cuius rei intelligentiam sciendum est, teterrimam quandam Pelagij hæresim D. Augustini tēpore Ecclesiā grauissimè infestasse. Pelagius namq; huius hæresis auctor, tantū humanę naturæ, liberiq́ue arbitrij viribus tribuebat; vt assereret, hominem sine vllo diuini numinis auxilio posse non solùm omnia diuinæ legis præcepta integra & inuiolata seruare, sed etiam ad summum Christianæ perfectionis apicem peruenire. Aduersus hāc autē hæresim D. Augustinus mirabiliter incēsus, clarissimis editis voluminibus, pro Dei gratia acerrimè dimicauit. Quo etiam tēpore Mileuitanum Conciliū, (cui idē Augustinus interfuit) coactum fuit, & Pelagianorum hæresis anathemate damnata: definitumq́; est, nullum mortalium solis naturæ viribus posse vniuersa diuinæ legis præcepta implere, nisi supernæ gratiæ virtute atq; beneficio adiuuetur, cùm Dominus ad discipulos suos dixerit, Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Sine me nihil potestis facere. Idem etiam illa Apostoli verba apertissimè testantur: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tāquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et iterū, Cū timore, ait, & tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Omnia igitur nobis à Dei gratia proueniunt, siue rectè cogitare, seu velle, siue etiam perficere. Omnia hæc & nos quidē operamur, & Deus etiam ipse in nobis operatur. Quam rem Theologi appositissimo naturaliū rerum exemplo confirmant. Nam ètsi rebus omnibus Deus Opt. max. eas vires facultatesq́; suppeditauerit, quibus secūdùm naturam agere muneribusq́ue suis fungi commodè possint (ignem enim vi sua calefacere, solem cuncta candentibus radiis illustrare, fruges denique, & reliqua quæ terra parit, occulta quadam naturæ vi, ac penitus insita, pubescere intuemur) tamen diuina virtus rerum omnium functionibus ita assidet, vt nisi cum rebus ipsis vnà ageret, & continenter illis agendi facultatem subministraret, nulla certè ratione munera sua exequi nec efficere quidquam possent. Ad hunc ergo modum idem Dominus, qui vt naturæ, ita gratiæ auctor est; quamuis piis hominibus & gratiam, & cum ea cæteras virtutes donauerit, quibus eos ad omnes præclaras actiones instructissimos reddit; tamen ipse piè agentibus vi & ope

sua

August. | Ioan. 15. | 2. Cor. 3. | Philip. 2. | Simile.

sua tanto magis adest, quanto præstantior finis est ille quò tendit gratia, quàm quò peruenire nititur natura. Hac igitur veritatis & fidei definitione constituta, sic vobiscum agere volo, fratres: Cùm Dominus sub æterni supplicij interminatione hominibus præceperit vt mandata sua custodiant, sciatq; solis humanis viribus legem suam impleri nullo modo posse: necessariò fatendum est, aut Deum esse iniustum, qui, quæ impossibilia nouerat, hominibus seruanda præceperit; aut illis cælestis gratiæ opem & virtutem (nisi per illos steterit) largiturum, qua instructi & confirmati, legem eius plenissimè seruare valeant. At Deum iniustum facere, teterrima blasphemia est, quam vel ipsæ aures audire perhorrescunt. Relinquitur ergo, legislatorem Deum infirmis hominibus cælestem virtutem, & gratiæ suæ auxilium larga & munifica manu præbiturum, quò plenissimè præstare possint, quod natura ægro & imbecilla per se non poterat. Hoc enim sensu Vates sanctus vbi de pastore Deo gloriatus est, addidit: *Nihil mihi deerit.* hoc est, nihil eorum quæ ad benè beateque viuendum necessaria sunt, ipso me regente, deesse vnquam poterit.

Hoc autem quod ad priorem illam improborum hominum excusationẽ euertendam valet, valet etiam ad alteram infringendam, quæ sola futuræ vitæ bona confitetur, & præsentia negat. Si enim in hac vita Deum in pastorem & custodem meum habeo, qui solicitus ad custodiam mei vigilat, meq; pascendum atque tuendum suscepit; quid, quæso, sub tali custode mihi nocere, quid deesse poterit? Si pastor meus omnipotens, si omniũ bonorum compos est, si eius neque sapientia cõprehendi, neq; bonitas circumscribi, neque largitas, & munificentia terminis vllis definiri potest; quid mihi formidandum, quídve aliud mihi optandum superest? Quid enim mihi deerit, qui bonorum omnium fontem iuxta me, imò intra me habeo?

Verùm non contentus Propheta hac breui oratione bona omnia, quæ à bonorum omnium fonte manant, complexum fuisse; pergit deinde sigillatim ea ipsa enumerare. Subdit enim: *In loco pascuæ ibi me collocauit.* Primum quidem boni pastoris officium est, fecunda & læta pabula ouibus quærere. Hoc autem cumulatissimè ouibus suis pastor noster prouidet. Pabula verò sunt omnia diuinæ gratiæ opera, inter quæ diuina beneficia & admirãda vitæ Domini Saluatoris gesta atq; mysteria, & æterna beatarum mentium gaudia præcipuè numerantur. Harum enim rerum contemplatione oues Christi mira suauitate reficiuntur & delectantur. Cælestium verò gaudiorum cogitatio mirum in modum eorundem animas oblectare solet. De hoc enim pabulo per Ezechielẽ Dominus de ouibus suis loquẽs, ait: Ezech. 34.

In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum. Ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Montes autem iſti quid aliud ſunt, quàm illi de quibus regius Propheta dicit: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi? In his porrò montibus cęleſtẽ Spõſum oues ſuas paſcentem videre Sponſa deſiderabat cùm diceret: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. In hac enim meridiana luce oues ſuas Dominus pleniſſimè ſatiat: cuius felicitatis contemplatione Sponſa quoq; in terris mirificè paſcitur & oblectatur. Quin etiam omnia ſanctarum ſcripturarum atque diuinorum eloquiorum volumina quid aliud quàm ſpiritualia animarum pabula ſunt, quibus piorum mentes in ſpirituali vita reficiũtur & ſuſtentãtur? Hinc D. Hieronymus diuina quędam ſcripta ab amico in epiſtola quadã poſtulãs, Noſti, ait, hoc eſſe animæ pabulum, ſi in lege Domini meditemur die ac nocte. Cùm ergo Dominus piorum hominũ oculos ſapientiæ ſuę collyrio vngit, cùm implet quod Propheta petit; Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua: tum verus animarum paſtor oues ſuas in iucundiſſima ſanctarũ ſcripturarum contemplatione recreat & paſcit. Ex his autem apertè liquet, quanto ſint piorum quàm Philoſophorum vberiora & fecundiora paſcua. Nos quippe pabula hæc omnia, quæ audiſtis, habemus: illis verò ſola naturæ opera, quæ in hoc mundo cernuntur, pabula erant. Hinc M. Tullius. Eſt, inquit, animorũ ingeniorumque noſtrorum naturale quaſi quoddam pabulum, conſideratio contemplatioque naturæ: doctoq; homini & erudito, cogitare eſt viuere. Hinc etiã Plinius iunior, Mirè, inquit, animus tenebris & ſolitudine alitur. Tunc enim mens noſtra clauſis ſenſuum feneſtris, velut à corpore ſecedens, ſpiritualia meditatur: qua quidem meditatione magnopere reficitur & delectatur. Si igitur ſapientes viri tantopere hoc ſolo contemplationis naturæ pabulo oblectabãtur; quanto, quæſo, pij homines feliciores ſunt, quibus ſummus ille paſtor tot pabula ſuauitatis atque iucunditatis pleniſſima ſubminiſtrat!

Pſal. 120.

Cant. 1.

Hieron. in Epiſt.

Pſal. 118.

M. Tul.

Plinius.

Poſt pabulum autem ouium ſequitur earundem adaquatio, de qua mox idem Propheta ſubdit: *Super aquam refectionis educauit me.* Quid autem aquę nomine hoc in loco intelligere cõmodiùs poſſumus, quàm illam aquam de qua Dominus Samaritanæ dixit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternũ? Hæc igitur aqua eſt cæleſtis ſapiẽtiæ ſuauitas, gaudium ſpiritus, & diuina conſolatio: quæ terrenorum deſideriorum ſitim ſedat: dum pro illis ſpiritualis ſuauitatis gaudia & Spiritus ſancti ſolatia ſubrogat. Vt enim rectè D. Bernardus ait,

Ioan. 4.

Bernard.

ait, dum ad Dominum conuersi, mundum relinquimus, non amittimus gaudia, sed mutamus. Pro carnalibus namq; gaudiis, quæ ad corporis voluptatem pertinent, & nobis cum pecudibus communia sunt, spiritualia accipimus, quæ ad animæ delicias spectant, atque angelorum propria sunt: ideoq. tanto sunt illis nobiliora, quanto rationalis anima corpori præstat. Hoc autẽ quale quantumque sit, nulla mortalis lingua, sed sola huius tantæ rei docet experiẽtia. Hinc idem Bernardus, Consolationes, inquit, quas suis Dominus in hac etiam vita largitur, solius spiritus, reuelat: frustrà consulis paginam; potiùs experientiam require. Sapientiæ huius nemo nouit pretium, trahitur de occultis: nisi gustaueris, non videbis. Manna est absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Non docet hoc eruditio, sed vnctio: non comprehendit scientia, sed conscientia. Hæc igitur diuina consolatio, est aqua refectionis, qua pastor noster oues suas reficit, & ita reficit, vt satiet, atque insatiabilem cordis humani sitim sedet. Vnde pro eo quòd nos legimus, aquas refectionis, alij iuxta hunc sensum clariùs vertegimus, aquas placidas, siue tranquillas, & aquas requiei: quod videlicet animabus nostris requiem & trãquillitatem præbeant, propterea quòd desideriorum nostrorum tumultus, angores, & sitim extinguant. Hinc D. Augustinus, qui hac aqua potatus abundè fuit, hoc de eius virtute & suauitate clarissimũ testimonium præbet: Qui biberit ex fluuio paradisi, cuius vna gutta maior est Oceano, restat vt in eo sitis huius mũdi extinguatur. Tanta enim huius cælestis aquæ dulcedo, suauitas, atque virtus est, vt vel vna eius gutta purgato animę palato suscepta, omnia huius mundi bona fastidire, & pro nihilo ducere faciat. Quæ cũ ita sint, licet nobis aduersus omnes mundi amatores exclamare: Quid agitis miseri? quò tenditis? quid quæritis? cur, veræ felicitatis fonte relicto, turbidis & feculentis Aegypti lacunis cordis vestri sitim extinguere properatis, quæ magis eã augere quàm sedare possunt? Quare (ait Propheta) appeditis argẽtum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Hoc est, cur tot impẽsis, tantoque labore & cõtentione perituras opes, fugitiuos honores, & carnales voluptates exquiritis, quæ sitim animæ vestræ extinguere nequeunt? Quis enim vnquam ambitiosus (quamlibet multis & amplis perfunctus honoribus) ambitioni suæ finem imposuit? Quis auarus, vt multas acquisierit diuitias, non plures etiam concupiuit? Quis voluptuosus, quis Sardanapalus libidinibus & prauæ cupiditati suæ modum statuit? Ea tamen stupiditas & cæcitas nostra est, vt fluxa & interitura bona cælestibus & sempiternis anteferamus. Sic enim antiquus ille serpens eorum quos obsidet animos dementauit,

Bernard.

August.

Esaiæ 55.

vt malint dæmonem verberantem, quàm Deum sequi blandientem; gratioraque illis sint vulnera persequentis, quàm suauissima oscula diligentis: tanta huius fraudulentissimi hostis potentia est. Sed quoniam satis de hoc beneficio dictum est, ad sequentia veniamus. Sequitur enim:

II.

Animam meam conuertit. Hæc autem verba non tam Dauidi quàm cuicumque verè pœnitenti cõueniunt. Vnusquisq; enim horum dicere verè poterit: Erat olim animus meus à Deo sic auersus, vt neque eius leges, neq; præcepta attẽderem, nec eius terrores, promissa, beneficia, & supplicia curarem. Omnis autẽ cura & cogitatio mea in fluxis huius mundi bonis posita erat; in illis amorẽ, in illis spes omnes opesq; meas, in illis gaudium & felicitatem meam collocaueram; illis acquirendis & augẽdis dies noctesque incredibili auiditate incumbebam: nec me vlla salutis, aut animæ meę cura, aut diuini iudicij metus angebat. Cũ igitur in his tenebris & caligine cęca versarer, vt nulla alia bona, quàm hęc terrena esse putarem, à quorum me complexu non ferrum, non ignis, non vis aliqua, sed sola separare mors poterat: immensa illa & infinita bonitas (quæ à se auersum & inimicum deserere meritò potuisset) auersum ad se conuertit; mortuum ad vitam reuocauit; vinctum plusquam ferreis cathenis, soluit; in tenebris agentem, lucis suę splendore illuminauit: dixitque, Fiat lux, & facta est lux, qua tenebras meas & vidi, & horrui, & oculos ad liberatorem meum extuli, qui nullis meis præcedentibus meritis, propter solam nominis sui gloriam, me ab hoc summo periculo liberauit. Hęc enim gratia qua Deus auersum hominem ad se conuertit (quę pręueniens gratia appellatur) solo Christi merito hominibus tribuitur: quandoquidem homo sceleribus alligatus, & inimicitias cum Deo gerens, nihil agere potest quo tantum hoc donum promereatur. Quam rem Propheta hoc in loco significauit, cũ propter nomen suũ, hoc est, propter immensam Dei misericordiam, hoc tãtum donum se percepisse confitetur. Est autẽ maximè prędicanda hęc misericordia, qua (vt D. Bernardus ait) Dominus pręuenit non solùm immeritos, sed etiam malemeritos: qua repellentibus & prouocantibus largitur Spiritum bonum. Quid autem illi dulce sapiat, cui hęc misericordia tanta non sapit?

Bernard.

Sed quid tamen prodesset auersum conuerti & mortuum ad vitam excitari, & per viam perditionis ingredientem ad viam salutis reuocari; si post hanc cõuersionem (quod multis hoc Paschali tempore cõtingit, qui post Quadragesimalẽ pœnitentiã ad priora peccata redeunt) ego quoq; ad pristinam perditionis viam rediens, deteriorem apud Deum causam meam facerem?

Tunc

Tunc enim de me verè propheticum illud dici posset: Qui congregauit merces, misit eas in saccũ pertusum. Idcircò post primam hanc misericordiam gratiæ præuenientis, alterã contulit gratiæ comitantis; de qua protinus subdit: *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.* Quo in loco illud primò obseruandum est, quòd cùm semitã iustitiæ, nõ viam dixit, arctã esse salutis viam insinuauit, & paucos item qui ambulent per eam: contrà verò adeò latam perditionis & iniustitiæ viam, vt Salomon infinitum esse stultorum numerum dixerit, qui per eam gradiuntur. Quod cùm ita sit, quanta, quæso, illa misericordia est, qua ego in tam multorũ mortaliũ naufragio (in quo tam multi iustitiæ & sempiternæ vitæ opes amittunt) cũ paucis ab hoc tanto periculo liberatus, ad salutis portum, fidamque litoris stationem peruenerim! Qualis ergo misericordia est, inter infinitum stultorum, hoc est, pereuntium numerum, cum paucis electis sempiternam cõsequi salutem! Vt autẽ beneficij huius magnitudinem intelligatis, fingite nũc animis ingentes hostium copias ciuitatem aliquam expugnare, & ferro ac flammis omnia vastare, nullumque afflictis ciuibus præsidium nisi in ardui cuiusdam montis vertice esse, ad quem vnica tantùm semita, & ea quidem rectissima ducat, quæ tamen paucissimis ciuibus nota sit, qua nimirum hi quidem celeri fuga saluti suæ consulunt; cæteri verò, quibus semita hęc ignota est, partim per præcipitia incautè currentes, ex alto ruunt, atque intereũt; partim in vadosa loca & cœnosa incurrẽtes, cœno infixi & immoti iacent; partim verò per deuia quęque gradientes, in ipsos hostes in insidiis positos incidunt, captiq́. ab eis & vincti abducũtur. Hac imagine vobis, fratres, humanæ vitę conditionẽ velut oculis spectãdam proposui. Omnes enim qui in hac vita degimus, in simili periculo & errore versamur. Vt enim ciues illi hostes fugiunt, & salutis præsidium quærunt: ita omnes nos, natura impellente, summo studio atque conatu & miseriã fugimus, & ad felicitatem properamus, hoc est, ad statum quendam bonorum omnium complexu & aggregatione perfectum, in quo ab omnibus curis atque miseriis tanquam ab insequentibus hostibus liberi, placidam atque tranquillam vitam agamus. Ad hunc autem felicitatis humanę montẽ quidam per carnis voluptates tendunt; qui tunc se felices futuros putant, cũ hanc animæ suæ sitim variis huius vitæ voluptatibus expleuerint. Hi autẽ sunt, qui in cœno libidinum & carnalium voluptatum perpetuò infixi & immoti iacent. Alij verò felicitatem suam honoris, & imperij, & sublimioris loci dignitate metiuntur: ad quam per mille pericula & incommoda tendunt, multis vitam discriminibus obiicientes, quò ad optatum honoris culmen perueniant.

Aggæi 1.

Hi autem sunt qui per præcipitia gradientes, per varia pericula ad maius periculũ proficiscuntur. Sũt alij rursus qui inexplebili cupiditate diuitiis inhiantes, tunc se beatos fore arbitrantur, cùm domos suas auro (quod intactum perpetuò seruãt) impleuerint. Hi sunt autẽ, qui in hostium manus incidentes, captiui in seruitutem abducuntur, quando hi non diuitiarum domini, sed serui, & cupiditate sua captiui, non sibi diuitias, sed ipsi diuitiis miseram seruitutem seruiunt. Omnes igitur qui rectam viam non tenent; neque id quod cupiunt assequuntur, & innumeris penè miseriis cruciantur. Soli igitur illi qui per semitam iustitiæ (quæ certa, plana, & rectissima est) gradiuntur, voti compotes fiunt: cæteri infinitis penè miseriis implicãtur. Ipsorum enim est illa vox: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Soli igitur pij recta via atque inoffenso pede ad verę felicitatis mõtem perueniunt. De hac enim Esaias ait: Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Rectam semitam appellat, quia videlicet sine vllo errore virũ iustum ad optatum felicitatis portum perducit. Eademque adeò plana & facilis ad gradiendum est, vt de illa diuina Sapientia dicat: Ducam te per semitas æquitatis: quas cùm ingressus fueris, nõ arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculũ. Quę cùm ita esse, vel ipsorum etiam reproborum testimonio cõstet; quanta, quæso, illa, quæ piis impenditur, misericordia est, quæ illos per semitas iustitiæ, Deo dirigente atque comitante, deducit! Auget autem doni magnitudinem, quòd gratis hoc tantum beneficium Dominus contulit: quod apertè significauit, cùm subdit, *Propter nomen suum*, hoc est, propter immensæ bonitatis & largitatis suæ abundãtiam. Sed ais: Quomodo gratis donat, qui per semitas iustitiæ gradienti ex debito iustitiæ Spiritum suum & gratiæ augmenta largitur? Ad hoc breuiter & argutè D. Bernardus respondet, dicẽs, Dominum gratis facere, ne gratis donet. Hoc est, quòd cùm nos & ad petendum inuitat, & gratiæ suæ auxilia & dona largitur, quibus excitati, bona opera molimur, tunc gratis facit, ne gratis donet; quandoquidem piis actionibus, quę excitante nos gratia sua operamur, gratiæ augmentum & gloriæ ex debito iustitiæ impertitur. Quo fit, vt bonorum operum nostrorum præmium partim quidem gratuitum, partim etiam debitum sit.

Sap. 5.

Esaiæ 26.

Prou. 4.

Bernard.

III.

Sequitur deinde sextũ beneficium, quod exponit Vates sanctus, cùm subdit: *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quid autẽ vmbræ mortis nomine intelligimus? Vmbra certè corpori, cuius est vmbra, con-

iunctissima est, & eius quidem imaginem, non tamen veritatem refert. Cùm verò totus hic sermo spiritualis sit, & ad animam referatur; satis constat animæ mortem esse peccatum, quod illi mortem infert. Huius ergo mortis vmbra tentatio ad peccatum prouocans, omnisque peccandi occasio & periculum est. Quocirca omnes dæmonum insidiæ, omnes carnis nostræ suggestiones & carnalia desideria, omnes hominũ persecutiones & iniuriæ, quibus alij alios iniustè & iniquè petunt, omnia improborum ac perditorum hominum cõsilia & exempla, ac omnes demum peccatorum laquei (qui tam multi sunt, vt Propheta dicat, Pluet super peccatores laqueos) meritò vmbræ mortis nomine significantur, quæ ad mortifera nos peccata instigant. Inter tot autem laqueos & pericula, nõ improbi modò, sed etiam pij versantur. Hac enim de causa Sponsus in Canticis de Sponsa sua loquens, ait: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quid autem spinarum nomine intelligatur, D. Bernardus exponit his verbis: Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. O candens liliũ! ô tener & delicate flos! increduli & subuersores sunt tecũ: vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mũdus spinis: in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Hactenus ille. Aduersus autem huiusmodi spinarum pericula, tutum sibi vir iustus refugium in Domini præsentia atq; tutela repositum habet; ideoque cum Propheta canit: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hanc enim præsentiam tuam mihi pollicitus es, cùm per Prophetam dixisti: Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: in igne non combureris. Hanc verò mirabilem tutelam ac prouidentiam latissimè idem Vates sanctus in Psal. 90. describit: in quo, variis huius vitæ periculis & laqueis expositis, inter cætera diuinæ protectionis beneficia sic ait: Scuto circundabit te veritas eius, nõ timebis à timore nocturno, &c. Rectè autem Dei veritatẽ appellat scutum, & impenetrabile quidẽ scutum, quia veritas est, nõ quidem infirmi hominis, aut parum amici, sed omnipotentis Dei, qui oues suas incomparabili amore prosequitur. Quo fit, vt quoniã infirmitas cadere in omnipotentẽ nequit, neq. obliuio in amantẽ, nec mendaciũ in ipsam veritatẽ, meritò hoc eius scutũ impenetrabile esse dicatur. Quod verò deinde ait; Nõ timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, &c. genera omnia & periculorũ & hostium cõplexus est, siue illi corporei, siue incorporei sint: siue nos aperto marte, siue ex insidiis adoriantur; siue sub imagine virtutis tecti, siue detecta malitię suę facie nos impugnẽt. Ab his igitur omnibus, hoc

Psal. 10.
Cant. 2.
Bernard.
Isaiæ 43.

hoc diuinæ veritatis, hoc eſt, diuinæ promiſſionis clypeo vallati, tuti & incolumes conſeruabimur. Auget autem beneficij magnitudinem quod deinde ſequitur: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autē non appropinquabit. Hoc eſt, videbis improbos mille incommodis agitari, cupiditatibus torqueri, odiis inflammari, liuore contabeſcere, auaritia & ambitione incendi, ita & furore præcipites agi, ac poſtremò calamitatibus variis ac mortibus charorum ſuorum fremere, & indigniſſimè de diuina prouidentia queri. Quæ omnia à piis hominibus, quos Deus in tutelam ſuam recepit, procul abſunt: à quo ſi quid ad eorum probationem & purgationem immittatur aduerſi, miti & patienti animo, Deo illis manū porrigente, ſuſtinent. Quiſquis igitur, fratres, ſic vitam ſuam inſtituit, vt inter pias oues Chriſti numerari mereatur, is neque inopia confici, nec malis intabeſcere, nec telis mortiferis ſauciari, nec clade aliqua & vaſtitate cōſumi poterit. Cùm enim eget, abundat: cùm corpore languet, valet animo: cùm extingui videtur, tum demum vita fruitur. Nullo igitur modo poteſt ſtatus hominis iuſti alicuius mali incurſione diſſipari. Cęlum enim concidet, terra incendio conflagrabit, omnis denique natura delebitur: at Dei veritas ſemper inuiolata permanebit. Sic enim
Iſaiæ 51. apud Iſaiam iuſtos alloquitur: Leuate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum; quia cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt: ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet. Si igitur ſaluti, quam Deus amicis ſuis affert, pernicies afferri non poteſt (vt ex hoc loco perſpicitur) ſi Dei iuſtitia, quæ fide illius & veritate continetur, ſempiterna eſt: ſequitur, vt, qui tam magnificum illius promiſſum conſecuti ſunt, tuti & incolumes in Dei tutela atque præſidio lateant.
Zach. 2. Qui enim illos tangit, tangit (vt Zachariæ verbis vtar) pupillam oculi Domini. Quæ cùm ita ſint, an non meritò Vates ſanctus dicere potuit: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es?* Ex his quæ hactenus dicta ſunt, fratres, liquet planè, hoc ſolum diuinæ tutelæ beneficium, vt nihil eſſet aliud, ſatis ſuperque eſſe, vt & improbi ad viam iuſtitiæ hac tanta ſpe illecti redirent, & pij in quauis fortuna placidam & tranquillam vitam ducerent. Sed nondum hîc miſerationum Domini finis. Sequitur enim:

Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga quidem ad correptionem, baculus verò ad ſuſtentationem deſtinatur. Vtrumque autem ouibus ſuis paſtor noſter adhibet, quos ſimul & virga caſtigat, ſi fortè paululū à via declinauerint; & baculo in ipſa caſtigatione fulcit atq; ſuſtentat, ne calamitatis pondere

fracti

fracti succũbant, Ipse namq; in Apocalypsi ait: Ego quos amo, Apoc. 3.
arguo & castigo. Et Apostolus: Quẽ enim diligit Dominus, corripit, & flagellat omnem filium quem recipit. Sed is tamen vbi nos vel corripuerit, vel tentari permiserit, facit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere: quæ res ad baculi officiũ pertinet, cuius est, imbecillũ sustentare ne cadat. Hic ergo baculus virgæ adiunctus, non dubiũ quin magnam piis hominibus cõsolationis materiam præbeat. Virga enim sine ope baculi, non cõsolationem, sed perniciem affert; sensit virgam Pharao, sensit & Sennacherib Assyriorum Rex: sed quoniã defuit baculus virgæ, periit vterque. Sensit item virgã Dauid, posteaquã populũ numerari præcepit; sensit & Nabuchodonosor, vbi superbia elatus fuit: sed quoniam diuinæ directionis atque sustentationis baculus affuit, vterq; salutem & incolumitatẽ, ac proinde consolationem adeptus est. Quæ enim maior solatij & lætitiæ materia piis hominibus esse poterit, quàm cùm apertè vident se à maximis periculis & calamitatibus Domini beneficio atque prouidẽtia liberari? Hoc enim idem Vates sanctus apertè significauit, cùm ait: Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso. Hoc est, cùm nos Dominus præsentię suæ beneficio ab instantibus periculorum fluctibus liberat, corda vtique nostra maxima lętitia exhilarat, & ora nostra in laudẽ & prædicationẽ nominis sui laxat. Hanc autem salutarem virgæ & baculi coniunctionem apertè Dominus per eundem Vatem pollicetur, cùm de viro iusto loquens ait: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quam quidem Domini promissionem magnificis verbis D. Bernardus amplificat & attollit dicens: Vnde scis quia nobiscũ Dominus est in tribulatione? Ex eo nimirum, quia nos in ea sumus, hoc est, quia nos in ea non deficimus. Quis enim sustineret, quis persisteret sine eo? Omne ergo gaudium æstimemus, cùm in tentationes varias inciderimus; nõ modò quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, sed etiã quia iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde. Agamus ergo gratias Patri misericordiarum, quia nobiscũ est in tribulatione. Quòd si ita est, quid ego aliud requirã, quàm tribulationem? Bonum mihi Domine tribulari, dũmodò ipse sis mecum, quã regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te, vel in cælo. Quid trepidamus? quid cunctamur? quid refugimus hunc caminum? Sæuit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Hactenus Bernardus. Ex cuius verbis facilè beneficij huius magnitudinem intelligere licet.

Hebr. 12. · Psal. 65. · Psal. 90. · Bernard.

Addit deinde beneficium aliud Propheta cùm subdit: *Parasti in con-*

in conſpectu meo menſam aduerſus omnes qui tribulant me. Quid autem huius menſæ nomine, niſi celeſte conuiuiũ, & Angelorum panem, & nouiſſimã illam cœnam, in qua paſtor noſter ſacratiſſimum corpus ſuũ in cibum, & ſanguinẽ ſuũ in potum, ouibus ſuis reliquit; quo refectæ & ſaginatæ, aduerſus omnes hoſtium aſſultus decertare ſtrenuè poſſent? Hic enim cibus non modò ſpiritualẽ animorũ vitã alit atq. ſuſtentat, ſed tantũ nobis roboris atque virium auget, vt D. Chryſoſtomus dicat: Vt leones ignem ſpirantes, ab illa menſa diſcedimus, terribiles dæmonibus effecti. Quamuis enim diuinũ hoc ſacramentũ virtutem eius referat qui in eo continetur, qui cùm ſit omnipotẽs, omnia præſtat, & ad omnia valet; præcipua tamen eius virtus, maximeque ad ſalutem noſtram neceſſaria, fortitudo eſt, quæ nobis in eo confertur. Quia enim in medio laqueorum poſiti ſumus, & à tot hoſtibus vndiq; circumſedemur, nihil nobis magis neceſſariũ erat, quàm hoc cæleſte robur & fortitudo, qua à tot hoſtibus tuti atque incolumes conſeruaremur. Sed quia huius beneficij magnitudinẽ nulla mortalis lingua explicare pro dignitate poteſt, ad alia tranſeamus: ſic tamen, vt, quod eloqui non poſſumus, adoremus, & veneremur, immortaleſq; gratias tanti muneris auctori perpetuò agamus. Sequitur autem:

Chryſoſt.

IIII.

Didymus. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Caput hoc in loco Didymus, magni nominis antiquus Theologus, quamuis oculis captus, pro mente accipit, quæ velut animæ noſtræ caput, hoc eſt, ſumma eius pars eſt. Oleum verò pro afflatu & vnctione Spiritus ſancti: quam de omnibus docere Ioannes ait. Vt enim oleum lucem nutrit ac fouet; ita hæc ſpiritualis vnctio intellectũ piorũ cæleſti doctrina erudit atque illuminat. Significat ergo Vates ſanctus, mentem ſuam copioſo diuini Spiritus lumine irradiari, vt ita demum voluntas ipſa, oculatiſſimum ducem nacta, in amore & æſtimatione rerum non aberret. Quæ ſit autem huius diuini luminis neceſſitas, vel ex eo patet, quòd totius vitę Chriſtianæ ſumma in eo præcipuè ſita eſt, vt & Deum ſuper omnia diligamus, & (quod eſt cõſequens) peccatum ſuper omnia deteſtemur. Vt hoc autem fiat, neceſſe eſt vt intellectui noſtro præſit ea cognitio diuinæ pulchritudinis & bonitatis, quæ nos ad illum ſuper omnia diligendum potenter alliciat; eaque deformitatis & fœditatis peccati notitia, quæ voluntatẽ noſtrã ad illud ſuper omnia deteſtandum inducat. Id adeò verum eſt, vt D. Thomas cum charitatis augmento, mentis quoque noſtrę lumen augeri, & intellectus donum (quod inter præcipua Spiritus ſancti dona numeratur) ſimul etiam cum illa perfici & creſcere doceat, vt videlicet æquabilis inter volũtatem noſtram & intel-

S. Ioan. 2.

D. Tho.

intellectum responsus, &, vt ita dixerim, proportio intercedat, dum voluntas tantum diligit Deum, quantum diligendum esse lumine intellectus illustrata cognoscit.

Sed huius tamen sacræ vnctionis oleum ad intellectus illustrationem præcipuè pertinet: quid igitur ad voluntatem? num ea ieiuna & inornata relinquēda est, cùm in ea præsertim veræ sanctitatis radix & fundamentum sit? Minimè gentiū. Ob hoc enim Propheta subdit: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Calix autem hic, qui piorum mentes inebriat, quid aliud quàm charitatis vinum est? Vini autem est, sanguinem accendere, cor lætificare, & vires atque robur corpori addere, ac postremò, si nimium fuerit (quòd videlicet naturalis calor concoquere non possit) mentem alienare, atque inebriare, hominemque sibiipsi eripere. Quæ quidem omnia charitati plenissimè conueniunt. Quid enim magis pectus hominis in amorem sui conditoris accendit, quid maiori ac puriori gaudio animam lætificat, cùm verè diligentis proprium sit, & absentem dilectum desiderare, & de eius præsentia gaudere? Quid verò maiores animo vires & fortitudinem suggerit, quàm virtus ea de qua scriptum est: Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio? Cæterùm quonam modo charitas inebriet, hominemq; sibi eripiat, neque sui iuris esse sinat, sed in Deū rapiat, hoc planè neque ad omnes pertinet explicare, ac multo etiam minùs experiri, quin & ipse Propheta explicare non est ausus. Illa quippe oratio, *Quàm præclarus est!* ab interprete claritatis gratia adiuncta fuisse videtur. In Hebræo namq; solùm habetur, *Calix meus inebrians.* in qua quidem concisa oratione diuinus Vates substitit, neque progredi vlteriùs potuit; partim quòd nullum satis idoneum verbum inuenit, quo tantæ suauitatis vim declararet; partim quòd spiritus eius, tantæ rei consideratione & memoria liquefactus & interceptus, in medio orationis cursu substitit, neque vlteriùs progredi valuit. Qua loquendi figura vehementem animi affectum & commotionē tacendo magis quàm loquendo expressit. Quale est & illud eiusdē in 6. Psalmo: Anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequò? Hanc autem sobriam ebrietatem, nō ad omnes, sed ad perfectos solū pertinere, illa ex lib. Cant. verba testantur: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Bibere ergo ad amicos, inebriari verò ad charissimos spectat. Talis planè D. Bernardus erat, qui de hac sancta ebrietate sic ait: Sæpè gratia perstringit sensum amātis, & eripit ipsum sibi, & rapit ad silētia gaudia, & fit homo ad punctū suo modo, sicut & Deus est. Hoc est, sicut Deus sui ipsius contēplatione felicissimus est: ita homo suo modo eadem contemplatione reficitur; & extra se raptus, suique & rerum omnium

Cant. 8.

Bernard. ad frat. de monte Dei.

omnium oblitus, diuinæ felicitatis particeps fit. Talis item D. Augustinus erat, qui cùm à se deficere, & in Deum transire vellet, orabat: Sileant animę meæ omnia, sileat anima mea ipsa sibi. hoc est, ita in diuinitatis abyssum absorbeatur, vt rerũ omnium quæ extra Deum sunt, & sui etiam ipsius sensum & memoriam deponat. Talis itẽ sanctus ille Anachorita erat, de quo Henricus Herpius, de eleuatione memoriæ in Deũ agens, memorat, quòd cùm alius monachus rem quandam ad vsum vitæ necessariam ab eo peteret, ille interiorem cellulam ingressus, vt petenti satisfaceret, in medio itinere, quid ille petiisset, oblitus est. Cumque secundò & tertiò hoc ipsum illi accidisset, petenti tandem permisit, vt is cellulam ingressus, quod volebat, acciperet, se id memoria retinere non posse asserens. Hoc autem, qui seculo seruiunt, incredibile iudicabunt. At isti de se ipsis veritatis huius coniecturam facere poterunt. Si enim impudicus quorundam amor adeò vehementer incendere amantis animum solet, vt homo non tam amare quàm insanire & furere videatur; quid mirum, si diuinus amor, omnipotenti Spiritus sancti virtute in sanctorum hominum mentes immissus, illos extra se rapiat, & sui quodammodò iuris esse non sinat?

August. in Meditat.

Herpius.

Additur autem his omnibus beneficiis extremum, sine quo nihil cetera iuuarent: quod Vates sanctus insinuauit cùm ait: *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Hæc autem misericordia summũ perseuerantiæ donũ cõtinet, quod supra omne meritum est: sine quo post tot huius vitæ turbines ac procellas ad optatum salutis & felicitatis portũ minimè peruenitur. Sicut enim euenire aliquando solet, vt naues quæ immensa marium spatia transmiserunt, cùm ad portum venerint, in ipso statim aditu naufragium faciant: ita nonnunquam accidere potest, vt qui varia iuuentutis pericula, & vitæ turbines euaserunt, in extrema ætate pietatis & iustitiæ naufragium faciant: quod Salomoni regi, & Asa eius nepoti legimus contigisse. Quibus sanè anteacta iustitia parum profuit, quia summo hoc perseuerantiæ dono, quod prædestinatorum proprium est, destituti fuerunt.

Quid verò post clarissima hæc beneficia cõsequi necesse est? Nimirum quod deinde sequitur, *Vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.* Domus hæc cæleste palatium est, in quo is singulari quadã ratione habitare, & electos suos beare, atque æternæ felicitatis pabulo satiare dicitur. De hoc igitur extremo & summo beneficio, nihil est quod in præsentia dicamus. Ad quod tamen cætera quæ audistis beneficia ordinantur, quæ & iter in cælum planum piis & iucundum efficiunt, & eos in hac vita miris modis reficiunt, adiuuant, & consolantur. Itaque quisquis



quisquis hæc duo incōmoda causabaris, quo minùs per hoc salutis iter ingredi velles, habes hîc (prȩter summū illud præmiū quod futuro seculo reseruatur) vndecim magnifica diuinȩ gratiæ dona, quæ tuos istos inanes & fallaces metus adimant. Si igitur credis has esse diuinas litteras; si his, quæ hactenus diximus, fidem habes; agnosce hos serpētis antiqui dolos, & ad hoc te iter salutis accinge: quo tantorum bonorum particeps effectus in hac vita, ad æternæ tandem felicitatis pabula, quȩ Sanctorum mentes plenissimè satiant, hoc cælesti pastore ducente, & viam tuam dirigente, peruenire feliciter merearis.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, CONCIO PRIMA: IN QVA vtriusque gaudij, piorum scilicet & improborum, collatione facta, facilè ostenditur, iucundiorem esse bonorum quàm malorum vitam.

THEMA. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ioan. 16.



ECTIO sancti Euangelij, fratres charissimi, pars quædam consolatorij sermonis est, quē ad discipulos Saluator pridie eius diei, quàm pateretur, habuit: quo mærorem, quem de suo abscessu & morte intimis animi sensibus conceperant, lenire paterna pietate curauit. Ad quod efficiendum, duplici potissimùm ratione vsus est; altera, quòd mæror ille nequaquam diuturnus esset futurus; altera, quòd maximæ & nunquam amittendæ lætitiæ materiam illis præbiturus esset. Ait igitur:

Modicum & nō videbitis me, & iterùm modicum & videbitis me, quia vado ad Patrē. Hȩc verba (vt D. Augustinus ait) obscura tūc discipulis fuerūt, antequam implerentur: quȩ vbi impleta sunt, & nobis & illis sunt aperta. Post modicum enim tempus passus & sepultus est, quo tempore illum nō viderunt: post modicum verò illum à mortuis resurgentem viderunt: atque ita illorum tristitia in lætitiam commutata est. His autem verbis appositissimè humanæ vitæ, rerumque omnium instabilitas & incōstantia, variaque rerum vicissitudo designatur: in qua nihil stabile, nihil fixum & immotum est, sed tristibus læta, & lætis tristia vbique permiscentur. Quòd si à me quæratis cur Dominus hac tanta rerum varietate vitam hominum respersam esse voluerit; multæ sunt causæ: quæ tamen omnes diuersis quidem

quidem rationibus ad piorum vtilitatem referũtur. Sicut enim temporum varietas necessaria est ad fecunditatem omniũ quæ terra marique generantur & aluntur (necesse est enim dierũ & noctium, hiemis & veris, caloris & ęstus vicissitudines esse, quibus terræ fruges partim radices agant, partim adolescant, partim etiam æstu torreantur, & ad maturitatem perueniant) ita planè easdem rerũ mutationes in spiritualibus rebus esse oportet: vt aliæ virtutes aliis atque aliis temporibus exercendi sui occasionem accipiant. Quomodo enim fortitudo, patiẽtia, atque constantia, nisi aduersis rebus premeremur, vim suã exererent? Iam verò qua ratione homo & virium suarũ imbecillitatẽ, & diuinæ prouidentiæ curam & benignitatẽ agnosceret, nisi illud in afflictis rebus, hoc in secũdis intelligeret? Hac enim rerum vicissitudine vel ipse sanctissimus Dauid, ad vtriusque rei pleniorem cognitionem erudiri se ostendebat, cùm ait: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori (siue monti meo) fortitudinem. (sic enim Hieronymus vertit.) Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Videte, quæso, quàm dissimilem de se, in hoc duplici rerum statu, vir sanctus opinionem conceperit: altèro enim immobilem se in æternum fore sperabat; altero verò se inopem, & infirmum, & variis perturbationibus obnoxium agnoscebat. Hac igitur de causa Dominus modico tempore nobis adest, & modico item consolationis suæ præsentiam subtrahit: vt quemadmodum sol vtroque tempore, cùm videlicet ad nos accedit, & cùm recedit, beneficus & salutaris est; ita verus iustitiæ Sol Christus simili ratione & præsentiam suam nobis largiens, & interdum subtrahens, salutem nostram operatur. Huius autem rei gratia beatus Iob, de homine cum Deo loquens, ait: Visitas eum diluculo, & subitò probas illum. Quem locũ D. Gregorius breuiter explanans ait: Vt homo & gratiæ dona habeat, & infirmitatem suã agnoscat, visitas eum diluculo, & subitò probas illum. Sic Elias & cælum aperit, & Iezabel fugit. Paulus quoque in paradisum rapitur, & carne tentatur. Hac igitur de causa Dominus variè pios homines, ad ipsorum tamen vtilitatem, versat ac voluit: partim vt in omni genere virtutis exerceat; partim vt infirmitatis humanæ ac diuinæ bonitatis pleniorem cognitionem illis tribuat. Hoc est igitur quod ait: *Modicum, & non videbitis me*, &c.

Psal. 29. Simile. Iob 7.

Sed cùm hanc cælestis philosophiæ partẽ rudes adhuc discipuli, nec propter ignorantiã assequerentur, nec propter summã erga magistrũ reuerentiam, quid ea oratio significaret, quęrere auderet: cęlestis Magister, eorũ desiderio satisfacere volens, nõ tam quid ea oratio significaret, quàm quò tenderet, explicat, dicens:

dicens: *De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum & non videbitis me, &c. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, &c.* His igitur verbis declarare voluit, breuem piorum hominum tristitiam ęterno gaudio commutandam; contraque momentaneam improborum lætitiam perpetuo luctu vindicandam. Cuius rei commodissimum subiecit exemplum: *Mulier*, inquit, *cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: postquam autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum: ita & vos nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hîc iam apertè Dominus pręsenti piorum gaudio æternum futuræ felicitatis gaudium adiungit, quod tollere nemo potest. Huiusmodi verò gaudium, hoc vel maximè à mundi gaudio distat, quòd hoc mille modis intercipitur & fugit. Nam & morbus, & casus, & aliorum inuidia, & iniuria, & mille dolorum & curarum examina illud nobis eripiunt, vt meritò poëtarum eximius dixerit,

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

At piorum gaudium, quod æternum est, nemo ab eis tollere potest: non mors, vbi immortalitas regnat: non morbus, qui inde exulat vbi mors non est: nõ casus aut fortuna, quæ illic minimè dominantur: non inuidia, vbi omnes germana charitate deuincti sunt: non diffidia & bella, vbi æterna pax & concordia viget: non hostis antiquus, qui inde cum satellitibus suis pulsus est: non mundus, qui superatus iam & subactus est: non caro, quæ spiritualis effecta, non iam rebellis & aduersa, sed obsequẽs & amica est. Quocirca nihil est quod illud gaudiũ aliqua ratione vel inficere vel auferre possit. Ideoque meritò Propheta beatas illas mentes, quæ in æterna patria hoc gaudio perfruuntur, ad laudes Domini inuitat, cùm ait: Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion. Cur laudare iubes? Quoniam, inquit, confortauit seras portarum tuarum, hoc est, quoniam felicitatem tuam in tuto loco posuit, firmissimisque præsidijs muniuit, ne in eum locũ aut hostis irrũpere, aut casus inuadere, aut calamitas aliqua ciuitatis eius gaudium intercipere queat. Ex huius verò gaudij æternitate illud etiam sequitur, quòd beatæ illæ mentes singulis momentis totius æternitatis gaudijs quodammodo perfruuntur: sicut contrà reprobi totius æternitatis pœnis consimili ratione cruciantur. Constat enim impendentium malorum comprehensionem vehemẽter animum cruciare. Quod vel sanguinei sudoris, qui ex corpore Domini effluxit, argumento comprobare licet. Futurorum quippe dolorum

Psal. 147.

dolorum suorum comprehensio hunc mirabilem ex toto eius corpore sudorem expressit. Cùm igitur damnati totam æternitatem (in qua sine fine torquendi sunt) cogitatione quodammodo apprehendunt: huius tam longi & nunquam finiendi cruciatus tormentum ipsa sua cogitatione antè capiunt, quæ ipsorum grauissima & acerbissima pœna est: quãdoquidem per eam toto, vt ita dicam, æternitatis põdere premuntur. Quo quid esse miserabilius potest? Simili verò ratione electi omnes dum se de sua felicitate securos animaduertunt, dum ab intuitu & complexu diuinæ pulchritudinis se nunquam esse diuellendos certissimè sciunt, dum totam æternitatem (quæ infinita secula complectitur) sibi ante oculos ineffabili iucunditate refertam proponunt, de tota ea singulis momentis plenissimè gaudent. Hoc ergo tantum bonum discipulis Saluator, atque adeò omnibus pietatis sectatoribus pollicetur, cùm ait: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad proposita Thematis verba redeamus.

Tractatio Thematis.

Antequam rem ipsam aggrediar, pauca mihi priùs, fratres, de concionatoris officio, quæ ad propositi argumenti tractationem pertinent, dicenda sunt. Cuius cùm multæ sint partes, multis quoque nominibus in litteris sanctis appellatur: inter
2. Cor. 5. quæ Legati etiam nomen recipit; sic enim Apostolus ait: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Sumus ergo quicunque loci huius auctoritatem contingimus, quamuis indigni & viles homunciones, Dei ad homines legati; cuius legationis munus est, suadere vobis, vt, rupto fœdere quod cum carne, cum mundo, cumque huius mundi principe habetis, nouum cum Deo fœdus percutere velitis. Est enim improborum
Esaiæ 28. omnium illa vox: Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Quicunque enim colla sua grauissimo peccatorum iugo subdiderunt, hi planè cum ipsa morte atque infe-
3. Reg. 15. ris pactum inierũt. Sicut igitur olim Asa Rex Iuda legationem ad Regem Syriæ misit, multis precibus & muneribus ab eo contendens, vt rupto fœdere quod cum Baasa Rege Israëlis percussérat, fœdus secũ iniret: ita vos Dominus per nos tanquã per legatos suos ad violanda mortis æternæ fœdera, & nouũ cum salutis & felicitatis vestræ auctore fœdus ineundum inuitat. Hoc igitur munus nostrum, hæc summa legationis & officij nostri, hoc dies noctesq; etiam cùm soli sumus, animo voluimus: hoc in omnibus concionibus, quãlibet variæ sint, perpetuò agimus, dũ noua & vetera de Scripturarũ thesauris proferimus, ad eundem videlicet portum varijs itineribus tendentes, & nullum non

mouentes

mouentes lapidem, quo vos ad hæc noua fœdera, hoc est, ad Dei amicitiam & honestatis studium (in quo salus vestra sita est) traducamus.

Sed dicet fortasse aliquis, Si nos ad salutem & felicitatem, si ad recti & honesti studium adhortaris; quid opus tot mouere lapides, tot machinas adhibere, vt, quæ honesta & salutaria sunt, persuadeas? Cùm enim voluntatis nostræ sit in bonum ferri (neque enim aliud velle potis est) cùm nihil virtute melius, vtilius, & honorificentius, nihilq. rationali creaturæ conuenientius sit; quid opus est tot machinis, vt voluntatẽ eò impellas, quò ea naturali impetu fertur? Rectè sanè: sed quoniam intellectus ipse, qui voluntatis ductor est, sæpe eiusdem voluntatis vitio & impulsu labitur; dum malum bonum, & bonum malum; amarum dulce, & dulce iudicat amarũ: ideò voluntas, quę cæcum ducem sequitur, cũ eo pariter hallucinatur: quod in hac re fieri quotidie cernimus. Mens enim nostra falsa rerum imagine delusa, vitiorum viam planam & iucundã, virtutis verò horridã, difficilem, atq. salebrosam putat; talemq. voluptati proponens, illam ab ea retrahit, & ad inhonesta tamquã voluptuaria & iucũda aduocat. Cùm autẽ error hic malorũ omnium seminariũ sit, contra illum nobis perpetuũ certamen indictũ est. Sicut enim cùm medicus noxij alicuius humoris abundantia morbum peccare intelligit, omnia aduersus illum medicamẽta comparat: ita nos cũ videamus errorẽ hunc malorũ omniũ veluti Lernam esse, omnẽ orationis nostrę vim aduersus illũ intendere oportet. Ad hoc autem efficiendum, vtramq. inter se piorũ & improborũ vitam cõferamus, hoc est, improborũ gaudia & gaudiorum onera; contraque piorum onera, & onerum atque laborũ solatia: quò facilè vtriusque rei imagine perspecta, de tota causa sententiam ferre possimus.

I.

Sua igitur seculi hominibus gaudia, qualiacumq. sint, concedamus; nẽpe edere, bibere, lasciuire, luxuriari, genio indulgere, cuticulã curare, diem in noctem dormiendo, & noctem in diem ludendo conuertere, & Alexãdrinis (quod aiunt) delicijs molliter carnem fouere atq. nutrire. Sit ita sanè. Nunc quale sit gaudium quod ab huiusmodi delicijs proficiscitur, expendamus. Primùm quidem (quod negari non potest) non perpetuum aut diuturnum, sed, quemadmodum ipsa vita, breuissimũ est. Quæ est autẽ vita nostra, nisi, vt Iacobus Apostolus ait, vapor ad modicũ parens, qui deinceps exterminatur? Iacob. 4. Videas enim aliquãdo densissimum fumi vaporem ex fornace prodeuntem, qui, quo magis supera loca petit, eo magis dilatatus attenuatur, donec tandem ita euanescit, vt ne vestigium quidem illius appareat. Quam Apostoli similitudinẽ quidam ex amicis Iob explanasse vi-

Iob 20. ſe videtur his verbis: Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorũ breuis ſit, & gaudiũ hypocritę adinſtar puncti. Si aſcenderit vſq. ad cęlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquiliniũ in fine perdetur; & qui eum viderant, dicẽt, Vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur: tranſiet quaſi viſio nocturna. Itaq. quam Apoſtolus vitam vapori fumi, hic pũcto & dormientiũ viſis, propter ſummam eius breuitatem comparauit. Si igitur tam celeri curſu vitę noſtræ ſpatia decurrunt, quæ tam longa voluptas in tam breui vita eſſe poteſt? Si vita ipſa quam viuimus, velut pũctus quidam & vapor eſt ad modicũ parens; quantum obſecro eius gaudium niſi inſtar puncti erit, qui adeò exiguus eſt, vt in partes diſtrahi nequeat? Adde quòd hoc ipſum gaudium in tam breui vita non eodem ſemper tenore decurrit, ſed gaudentes paſſim deſerit atque deludit. Quis enim ſemper ſecundo vento nauigauit? cui ſemper alea feliciter cecidit? cui ſemper idem aſpirauit ventus? cui fortunæ rota in deterius numquã reuoluta eſt? quis denique in hac ærumnoſa vita tam felix, vt omnia ei ad votum fluxerint? Vixdum enim noua aliqua lętitia oborta eſt, cùm ſuperueniẽte noua triſtitia intercipitur: adeò vt finis nondum expleti gaudij, noui mœroris initium ſit: hoc eſt enim quod Eccleſiaſticus ait:

Eccli. 18. A manè vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. Quibus verbis ſignificare voluit, non procul à lętitia mœrorẽ abeſſe: & nec vel integrum annũ, aut menſem, aut etiam diem in continua lætitia tranſigendum; ſed hæc omnia citatiſſima ſibi cõuerſione (Deo ita rerum vices variante) ſuccedere, eiuſdemq. diei ſicut partem nocti, partem lucis ſpatio tribuimus, ita partẽ lętitiæ, partem curis & mœrori tribuendam eſſe. Hodie filiam tuam matrimonio collocaſti; at vixdum finita lætitia nuptiarum, infelici aut immaturo partu è medio ſublata, funus eius cogeris apparare. Manè domus ac familia tua pacata eſt atque tranquilla, veſpere autem nouo tumultu, diſſidijs & clamoribus ardet. Denique vt neque roſa ſine ſpinis, ita

Simile. nec ſine doloris aculeo terrenæ voluptatis fructus percipitur.

Iam verò quis huius adeò breuis voluptatis vſuras & incommoda oratione percenſeat? Primùm enim voluptas carnis mentem atq. conſilium eripit, hominemq; omni penè munere rationis atque virtutis ſpolians, vitiorum ſeruum, iumentorum ſimilem, ac penè pecudem efficit. Hinc ſapienter quidam ait:

Nulla voluptate eſt res pernitioſior: aufert
Conſilium, mentemque premit, virtutibus obſtat,
Corrumpit mores, vitiorum maxima nutrix.
Debilitat corpus, ſenſus obtundit: amaro
Fine nocens, homini multorum cauſa malorum eſt.

Adde

Adde his intimum laniantis conſcientiæ morſum, qui continuus impuræ voluptatis comes eſt. Quãuis enim improbus homo nec iudicium Dei formidet, neq; ęterna malorum ſupplicia, quæ non cogitat, expaueſcat; mortem tamen ſingulis penè momentis ante oculos impendentem (ad quam ſe imparatum eſſe videt) non poteſt non horrere. Quo fit, vt quemadmodum ſancti viri mortem quidem habent in deſiderio, vitam autem in patientia; ita cõtrà improbi, vt vitæ huius amore flagrant, ita mortem tanquam deliciarum ſuarum finem, & dolorum initium perhorreſcunt. Cuius rei commodiſſimum exemplum pudica, & impudica vxor, abſente vtriuſque viro, nobis præbent. Cùm enim vir ſiue ad bellum, ſiue ad Indos peregrè profectus eſt, pudica vxor, cuius fortunæ omnes omniſq. vitæ iucunditas ex reditu viri pendet, tota in reditus huius deſiderio ſuſpẽſa, nullum diem feliciorem putat, quàm quo redeuntem virum in domum ſuam excipit. At quæ adultera eſt, ac malè audit, vtpote quæ pudore amiſſo thori fidem violauerit; quos in pectore ſuo æſtus ſuſtinet, cùm de viri reditu cogitat? Iam verò cùm nauis virum reddítura ad portum appellere nunciatur, quibus curis, quo metu angitur? quot fugas & latebras miſera in animo ſuo verſat ac voluit? Hac igitur imagine, fratres, piorum & improborũ mentes inſpicere vtcumque licebit: illorum pacem, horum terrores: illorum ſpem, horum metum: illorum ſecuritatem, horum ſolicitudinem. Illi enim cum Apoſtolo Domini aduentum auidè præſtolantur, hi autem ad ſolum eius nomẽ expaueſcunt. Quòd ſi quis adeò ſtupidus ſit, vt nihil hoc tam iuſto & neceſſario metu quatiatur, is certè maximè deplorandus eſt: quandoquidem, vt D. Bernardus ait, longiùs à ſalute membrum abeſt quod obſtupuit, & omnem vim ſentiendi amiſit. *Simile.* *Bern. ad Eugen.*

Adde his quoque turbulentos cæterorum affectuum motus, qui ex immodico voluptatis deſiderio conſequũtur. Cùm enim iraſcendi vis læſæ concupiſcentię vindex eſſe dicatur; quos quæſo, tumultus, quos irarum fluctus & procellas aduerſus eos, qui voluptatibus eius obſiſtunt, ſolet excitare? Hinc Plutarchus inter morales Philoſophos cum primis illuſtris, qui varia contra iræ morbum remedia excogitauit, hoc inter præcipua recenſet: vt videlicet ita vitam noſtram inſtituamus, vt neque multis rebus, nec admodum pretioſis, aut magno cultu & arte paratis egeamus; ita fiet, vt irarum radicibus amputatis, ipſam quoque iræ propaginem cum iſtis pariter amputemus. Additque commodiſſimum exemplum; quòd hac videlicet arte frequenter medici ægrotis membris medicamenta adhibere ſoleant, cùm propter oculorum ophthalmiam brachiorum venam ſcindunt, & claudicantia crura ſanant emplaſtro poſteriori capitis parti *Simile.*

(quod occipitium vocant) admoto; quòd inde nerui omnes, qui motum cient, deriuentur. Cùm ergo carnales homines & voluptuarij omnem hanc vitæ prudenter & rectè instituendæ curam abijciant, seque totos cupiditatibus & libidinibus suis regendos permittant; quid ex hac affectuum iactatione ac turbulentia, nisi tumultus, iras, & angores consequi necesse est? Vt enim in musices concentu nihil est auditu suauius, quàm cùm variæ voces certo quodam numero & proportione ita temperantur, vt ad vnum quendam numerum & ordinem redactæ harmoniam efficiant; nihilque contrà insuauius, quàm cùm eadem nullo adhibito ordine temerè iactantur: ita nihil ea mente placidius atque iucundius, in qua affectus non pro libidine sua, sed pro rationis moderamine præscriptis sibi muneribus funguntur; nihil verò insuauius & turbulentius, quàm cùm, spreto rationis imperio atque consilio, impetu cæco & furibundo incitatissimorum fluminum more rapiuntur. Hæ sunt, fratres, molestiæ, atque onera, quibus breuis illa ac futilis improborum lætitia implicata est, quæ tot modis vitam eorum non (vt illi somniant) placidam & iucundam, sed infinitis curis & mœroribus respersam efficiunt.

Simile.

II.

Nunc iam pioru onera, simul & solatia quę leuādis eorū oneribus diuina prouidētia constituit, expendamus. Onera sunt diuina pręcepta, quæ nobis seruanda tradūtur, ad quorū obseruationem necesse est carnem cū vitijs & cōcupiscentijs crucifigere, affectus sub rationis imperio cōtinere, linguę petulantiā, & oculorū cęterorumq. sensuum licentiam cōprimere, omnibusq. se hominibus, quamlibet infensis & improbis, placidū, amabilē, atq. benignum præbere. Hæc igitur atq. his similia piorū onera sunt; quę quāuis grauia multis & importabilia videātur, Christus tamen ea iugū suaue & onus leue esse cōfirmat. Sed dices: Si iugū, quomodo suaue? si onus, quomodo leue? Huic quęstioni D. Augustinus, hęc ipsa Domini verba explanans, plenissimè satisfacit. Ad quod efficiendū Apostolū inducit hæc verba proferentem: Momentaneū & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ecce, inquit Augustinus, quàm suaue iugum portabat, & quàm leuem sarcinam, qui leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto rerum temporalium pretio emenda sit futura vita, ab æternis impiorum cruciatibus libera. Secari enim & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturniores acriorum dolorum pretio redimantur, idque in morbida, incerta, & breuissima vita. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus annis in laboribus inquietus,

Matth. 11. August. 2. Cor. 4. Simile.

quietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quàm horribili & tremenda sęuitia cæli & maris quatiuntur mercatores, vt diuitias perituras acquirant, maioribus, quàm quibus acquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur: qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pati videntur. Omnia enim sæua & immania, prorsus facilia & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas faciet, quod ad miseriam, quantum potuit cupiditas fecit! Quàm facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur! Non immeritò ergo ille vas electionis cum ingenti lætitia, Non sunt, ait, condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ecce igitur vnde iugum illud suaue est, & sarcina leuis. Et si angusta esse videatur paucis eligentibus, facilis tamen est omnibus diligentibus. Hactenus Augustinus. Hoc est igitur primum piorum laborum solatium, quòd ipsos non tolerabiles modò, sed suaues etiam & iucundos illius æterni & magnificentissimi præmij spe efficit. Rom. 8.

Nec minùs charitas quàm spes animum ad diuinæ legis onera portāda roborat. Quod idem Augustinus in suprapositis verbis insinuauit cùm ait: Omnia sæua & immania prorsus facilia & propè nulla facit amor. D. quoque Hieronymus, Nil, inquit, amantibus durū, nullus difficilis labor in amore est. Amemus ergo nos Christum, & facile videbitur omne difficile. Quæ sit autem huius amoris vis, facilè declarat vehemens ille parentum erga filios à natura ingeneratus amor. Quid enim non facit, quid non sustinet in paruuli educatione sedula & officiosa mater? dum illum lactat, dum blanditur, dum lauat, dum vestit, dum à lachrymis compescit, & ad soporem, aut lusum, hilaritatemque inuitat? Quoties verò totas noctes insomnes libenter ducit, vt quemuis pueri dolorem leniat, & vagientem mulceat & lactet? Denique, si filium materno sanguine ali oporteret, non dubito materna viscera pro lacte sanguinem præbitura: quando ipsæ quoque aues quiddam simile facere perhibentur. Quamobrem, sicut diuina prouidentia, quæ patres voluit diligentissimam educandorum filiorum curam gerere, vehementissimum eorum animis erga filios amorem ingenerauit; quo vno naturæ beneficio omnia, quæ ad ipsorum commoda institutionemque pertinent, collata illis esse videntur: ita eadem prouidentia (quæ eundem ferè tenorem in operibus gratiæ retinet atque naturæ) similem dilectionis vim piorum mentibus infundit, qua eos ad omnes pietatis & iustitiæ labores mirabiliter incendit. De ea namque Apostolus ait: Charitas patiens est,

Margin notes: August. Hieron. Dissimil. Simile. 1. Cor. 13.

est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Itaq. vt D. Gregorius ait, cùm vna eademq. sit charitas, si mentem plenè ceperit, ad innumera opera multifor-miter accendit. Cùm enim charitatis sit, proximum tanquam seipsum diligere; omnia quæ sibi homo impendi vult, alijs exhibet: quo officio ad omnia se virtutum opera paratum exhibeat necesse est. Si igitur tam multa ac varia virtutum officia vna charitas subministrat, si tantum ad labores omnes perferendos animum addit, si virtutum omnium stimulus & calcar, vitiorum verò mors & interitus est; hanc verò Deus infundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: quis, quæso, labor, quod onus, quæ tanta esse in virtute contentio poterit quæ non hoc cælesti præsidio debilitata frangatur? Quia verò perditi homines, quæ sit dilectionis huius vis, ne per somnium quidem attigerunt; nihil mirum si difficilem Dei legem reputent, cuius adiumenta & solatia non agnoscunt.

Rom. 5. [margin]

Adde his etiam miras diuini Spiritus delicias, quæ charitatem consequuntur. Summa enim illa Dei bonitas & sapientia, quæ vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, animaduertens eos voluptatum amore illectos, deserta virtute, quæ asperitatem quamdam in fronte promittit, ad vitia deficere, hoc eodem suauitatis blandimento illos amabili ad se voce inuitat his verbis: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis, hoc est, à fructibus & muneribus meis, adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Mellis autem & faui nomine (quæ saporum omnium dulcedinem vincunt) omnia mundi oblectamenta significauit: quæ longo interuallo à spiritualibus delicijs superantur. Quo enim Spiritus ille cælestis, qui harũ deliciarum auctor est, rebus omnibus sublimior; eo etiam suauior atque iucundior est. Cui ergo hęc tam amabilis Domini promissio & inuitatio non sufficiat, vt, reclamãte etiam perditorum hominum sententia, suauissimum esse Christi Domini iugum credat? Vtri enim magis fides habenda est, mundo deliranti, an diuinæ veritati nos à mũdi errore & insania vindicanti? Si quis igitur voluptatem non quidem turpem & inanem, sed veram, solidã, & honestã sitienter appetit; toto quidem cælo errat, si eam aut in carnis delicijs, aut in mundo quærit; cùm ea sedem sibi in puris mentibus delegerit, quemadmodũ Propheta ait: Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Quã quidẽ lętitiam adeò copiosè viro iusto Dominus impartitur, vt exultationẽ & iucundi-

Eccli. 24. [margin] Psal. 96. [margin]

iucunditatem super eum thesaurizare dicatur. Quo verbo continuam iustorũ lætitiam non obscurè insinuauit. Sicut enim qui thesaurizat, aurũ auro, & nummos nummis addere non cessat: ita super iustos Dominus iucunditatem & exultationem thesaurizat: vt qui semper gaudia gaudijs, lucem luci, & delicias delicijs addere vix vmquam intermittat. Quocirca si quis iusti mentem voluptatis hortũ, siue paradisum (per illũ, qui mũdi initio plantatus à Deo est, adumbratum) appellauerit, nihil prorsus à vero aberrabit. Quis est enim alius voluptatis hortus quàm iusti animus diuinis virtutibus Dei ipsius manu consitus, & sempiternis fructibus onustus? Ab huius enim finibus summus ille cultor omnes cupiditatis furibundos impetus quasi bestias immanes arcet, ne vastitatem plãtis inferant, sicut per Ezechielẽ ipse ait: Et auferam malas bestias de terra: & qui habitant in deserto, se- Ezech. 34
curè dormient in saltu. Hunc item diuina lege sepit, & sanctissimis institutis quasi quodam muro circumdat: hunc Angelorum præsidio circumuallat: ad huius fecunditatem perpetua Spiritus sui munera tanquam perennes aquas inducit: hunc conserit arboribus in ordinem summum dispositis: hunc vestit frondibus: hunc exornat floribus: hunc auget fructibus: hunc diligentissima cultura amœnũ, & speciosum, & fructuosum reddit. Quæ quidem omnia satis constat non aliquam corporis speciem aut externa bona, sed ad solam animæ pulchritudinem, & internas eius opes esse referenda: cùm omnis sponsæ pulchritudo & gloria, sicut idem sponsus ait, non foris splendeat, sed intus in animo lateat. Ex his ergo quæ hactenus dicta sunt, satis constat, quantum inter spirituale bonum, & carnale mundi gaudium discriminis sit. Hoc enim terrenum est, illud cæleste; hoc pecudum, illud Angelorum; hoc mentem eripit, illud mentem diuini splendoris radijs illustrat: hoc cùm maximè videtur specie suauitatis blandiri, protinus euanescit; illud numquam animi sensibus illudit: hoc semper est fastidio finitimũ; illud ita explet animum, vt numquam iniucunditatem vllam efficiat: hoc postremò, cùm momento temporis effluat, nihil aliud quàm impressum & inustum dedecus, & grauissimam pœnitẽdi causam, & doloris insignem materiam relinquit; illud verò stabili iucũditate ita sensus nostros afficit, vt animum omnibus simul gloriæ ornamentis illustret. Quæ cùm ita sint, fratres; quid superest, nisi vt qui diuinis oraculis fidem adhibemus, communis erroris caligine discussa, & luce diuinæ veritatis instructi, terrenis omnibus delicijs abdicatis, ad has cęlestes aspiremus, & hanc melioris vitæ conditionem arripiamus?

III.

Sed contra ea, quæ hactenus dicta sunt, obijciet aliquis for- No:

fitan: quî fieri poſſit,vt,qui hæc omnia certiſſima & indubitata fide tenent, aliam viuendi rationem ſequantur, cùm hîc non modò honeſtatem & vtilitatem omnem, ſed ſummam etiam iucunditatem (qua homines præcipuè capiuntur) copioſiſſimè deprehendant? Huius rei cùm multę ſint cauſæ,duas tamen hoc in loco præcipuas aſſignare licet. Prior quidem eſt diaboli fallacia: qui cùm mendax ſit, & mendacij pater, virtutem horridam & aſperam, vitia verò blanda & ſuauia mentitur. Sicut enim à Deo Patre omnis paterna pietas in cælo & in terra nominatur: ita contrà mendacium omne ab hoc mendaciorũ omnium architecto & parente deriuatur. Hac autem mentiendi arte generis noſtri principes aggreſſus eſt,cùm illis vetitæ arboris eſu diuinitatis ſimilitudinem eſt pollicitus. Idemque mulieri arboris illius fructum, quem nunquam deguſtauerat, ſuauiſſimum eſſe
Geneſ. 3. mentitus eſt. Vidit,inquit, mulier lignum,quòd eſſet pulchrum viſu, aſpectuque delectabile, & ad veſcendum ſuaue. Rectè quidem ſcire poteras, mulier, lignum hoc aſpectu eſſe delectabile (hoc enim tibi oculi denuntiarunt;) quî autem ſcire hoc aſpectu potuiſti, eſſe etiam ad veſcendum ſuaue, quod nũquam deguſtaſti;niſi quoniam qui tibi diuinitatis gloriam falsò pollicitus eſt,quod nunquam guſtaras,ad veſcendum ſuaue eſſe perſuaſit? Sed quæ non apud homines mendacia finget,qui ipſum Dominum mendacijs illaqueare aggreſſus eſt, cùm illi omnia regna mundi promiſit? Idemq.modo vitiorum viam iucundam & planam; honeſtatis autem & virtutis, aſperam & difficilem eſſe fingit; quo nos à ſalutis & immortalitatis via ad turpitudinis & mortis æternæ præcipitium traducat. Hæc igitur prima huius erroris cauſa. Altera eſt,quę ab eodem etiam auctore proficiſcitur: qui non modò mentiendo, verùm etiam neceſſaria reticendo atque tegendo, iudicium de rebus inuertit.

In virtutibus namq. ea ſolùm quæ prima fronte aſperitatem quandam præ ſe ferunt,ante oculos ponit: nempe carnis macerationem, affectuum cohibitionem, voluptatum odium, & alia his ſimilia: cæleſtiũ verò donorum & paracleti Spiritus delicias atque ſolatia tegit & abſcondit. In vitijs verò contrà, ea tantummodo quæ cupiditatibus & ſenſibus noſtris aliqua voluptatis ſpecie blandiri videntur, improborum oculis ſubijcit; amariſſimos autem huiuſmodi voluptatũ fructus, & mœrores qui ex eis conſequuntur,abſcondit. Quod quidem fraudulenti oratores in cauſis efficere ſolent; qui ea ſolùm, quæ profutura putant, non modò referunt, ſed etiam amplificant, & quaſi oculis ſpectanda proponunt,& in eis diu commorantur: quæ verò nocitura ſunt,quamuis veriſſima ſint,ne attingunt quidem. Extat
Num. 24. in libro Num. pulcherrimũ huius rei exemplũ. Cùm enim Ba-

lac

Iac Moabitarũ rex ariolũ Balaam è Mesopotamia, vt Israëlitico populo malediceret, euocasset: ille in montis verticem conscendẽs, & fusum in vallibus Israëlẽ cernẽs, adeò nihil illi mali imprecatus est, vt benedictionibus quoq. illũ prosequeretur, dicens: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! &c. Quã rem cũ molestè admodũ rex Moabitarũ tulisset, (quòd qui ad malè precandũ hostibus suis vocatus esset, illis è cõtrario bene precaretur) ad aliũ locũ euocauit, vnde non vniuersum populũ, sed partem solũ eius videret, partem nõ videret. Hac enim ratione experiri volebat, an fortè mutata sentẽtia populo malè precaretur, cui antea fausta & lęta omnia postulauerat. Quid agis, insane Rex? Quid ad rem, si totũ ariolus populum videat, an non videat, cũ idẽ ipse qui antea populus perseueret? Fortasse demens iste Rex arbitratus est, ariolũ numerosę multitudinis spectaculo delectatum ea verba protulisse. Quare in aliũ eum perduxit locũ, vnde partem populi, non totũ populum cernens, aliud fortasse de illo iudicium esset habiturus. Quo igitur exemplo diaboli fraus atque fallendi ratio apertiùs demonstrare potuit? Hęc enim astutissimi illius serpentis ars est, vt, quo nostrũ de rebus iudicium pro causæ suæ ratione inuertat, nunquam totã rei faciem spectandã proponat, vt de tota ea pronunciare possimus: sed eam partẽ quæ fallere nos potest, oculis obijcit, & suis veluti coloribus depingit, ac modis omnibus amplificat; eam verò quę nos ab errore liberare, quę veritatẽ ostendere, quæ rectũ de ea iudiciũ præbere possit, omni ratione tegere nititur. Sic fit vt mala pro bonis, & bona pro malis; amara pro dulcibus, & dulcia pro amaris amplectamur. Hanc eandem vel serpentis antiqui fallaciam, vel deprauatæ mentis cæcitatẽ in querimonia filiorũ Israel contra Dominum, quòd eos solo manna, non etiam carnibus, cæterisque terrę fructibus in deserto aleret, apertè cernere licet. Sic enim queri cœperunt: Quis dabit nobis (Num. 11.) ad vescendũ carnes? Recordamur pisciũ quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ, & allia. Anima nostra arida est; nihil aliud respiciũt oculi nostri nisi manna. O stupidi & amẽtes homines! Hoc solùm ex anteactæ vitæ tempore vobis in mentem venit, quòd carnes, cucumeres, & pepones in Aegypto edebatis? Hoc solùm animo voluitis? & ob hoc vos Aegypti desiderium tenet? nec tamen in mentem venit Aegyptiorũ odium, qui ad amaritudinem perducebant animas vestras operibus duris luti & lateris, & dispersio vestra per totam Aegyptũ ad colligendas paleas, & consuetus laterũ numerus quotidie præbendus, & indigna pręceptorũ vestrorum verbera, & crudele Pharaonis imperiũ, & domus seruitutis, & fornax ferrea in qua detinebamini, &,

quod

quod omnem ſuperat immanitatem, maſculorũ filiorum interitus, quos à complexu & vberibus maternis auulſos miſerabili & inaudita neceſſitate in flumẽ proijcere cogebamini? Horum nihil vobis ſuccurrit, à quibus liberati ſummam felicitatem ducere deberetis, etiam ſi tota vita in triremibus & vinculis degenda eſſet. Hiſque omnibus ab animo penitus oblitteratis, ſola illa breuis & vilis illecebra gulæ vobis in mentem venit. O ſtolidiſſimum atq; peruerſum de rebus iudicium, in quo cæcus homo leuiuſculæ voluptatis dulcedine captus, ingentia & innumera mala, quę illam comitantur, non animaduertit: atque ita pro rebus nihili innumera penè mala atque incõmoda deuorare compellitur! Hoc autem exemplũ, fratres, ad viuũ nobis improborum hominum cæcitatem repræſentat: qui in carnali vita exiguam voluptatis illecebram ſolùm attendũt, ingẽtia verò mala, quæ illam ſequuntur, non conſiderant. Quo tandem fit, vt rem viliſſimam atque breuiſſimam cariſſimo pretio emant. Hac igitur hoſtis noſter arte quicquid in virtutibus difficile aut iniucundum eſt, mentis oculis affingit; diuini verò Spiritus auxilia & ſolatia tegit: contraque in vitijs ſuadendis, quidquid blandum & ſuaue eſt, ob oculos ponit; dolorum verò aculeos & curarum atq. laborũ moleſtias, quæ inde conſequũtur, prorſus abſcondit: vt hac ratione imperitos homines illaqueet. Itaq. auream calicis Babyloniæ faciem & ſplendorem oſtendit, amariſſimum autem venenum, quod in eo latet, ab aſpectu ſubmouet. Simili quoque ratione labia meretricis velut fauum ſtillantem oculis imprudentium obijcit: nouiſſima autem eius, quæ ſunt amara velut abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps, ab aſpectu ſubtrahit. Ob hoc enim non ſolam ſcorpionis faciem blandiẽtem, ſed caudam etiam aculeo armatam diligenter obſeruare monemur. Quę omnia eò pertinent, vt in ſententijs de rebus ferendis, non partem rerum, ſed totam à capite ad calcem vſque circumſpiciamus. An non hoc facit quiſquis ſiue equum, ſeu quoduis aliud iumentum empturus eſt? an non totum animal & omnes eius partes ad vngues vſque explorare ſolet? Quis verò in emenda domo, ſola fronte aut atrio inſpecto contentus eſt, niſi omnes eius angulos ad extremum vſque penetret oculis? Quàm multa enim ſunt, quæ aliud in receſſu, aliud in fronte promittunt! quàm multa geminas habent facies, quæ foris alba, intus verò nigra ſunt! Quocirca quiſquis in hac virtutum & vitiorum cauſa (quæ vitiorum omnium maxima eſt) rectam ferre ſententiam vult (omnes autem velle debent) non partem aliquam, ſed totam vtriuſque rei naturam cum appendicibus ſuis contempletur, ne diaboli dolis & impoſturis capiatur.

Vt igitur ad id, quod initio propoſuimus, recurrat oratio, hæ ſunt



ſunt cauſæ, quibus deluſi homines in pernicioſiſſimum hunc errorem à dæmone conijciuntur, vt aſperam atque horridam virtutum viam eſſe arbitrentur. Non abnuo quidem ſuis quoque laboribus hanc vitam eſſe implicitam (quid enim in hac ærumnoſa vita laboribus vacuum? quæ tota vel tentatio, vel militia eſſe dicitur) verùm illud aſſeueranter affirmare poſſum, improborum hominum vitam multo eſſe difficiliorem aſperioréque: quod non obſcurè rationes, quas ſuperiùs attulimus, probant atque declarant. Porrò autem quidquid in piorum vita difficile atque laborioſum eſt, id ſuperna diuini Spiritus gratia, charitatis ardor, atque diuina ſolatia (vt antè diximus) & futuræ mercedis ſpes miro modo mitigant atque molliunt. Hac igitur veritate patefacta, fratres, vias impiorum difficiles deſeramus, & viam mandatorum Dei alacriter curramus, quæ præter diuinæ gratiæ adiumenta, quæ nobis tribuit in hac vita, immortalem gloriam & ſempiternam felicitatem in altera pollicetur.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA, CONCIO SECVNDA: IN qua de duplici gaudio, duplicique ſorte piorum & improborum, agitur. In cuius explicatione, Euangelica lectio, quæ Diuitis & Lazari narrationem continet, explanatur.

THEMA. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Ioan. 16.



VM philoſophia tria bonorum genera ſtatuat, honeſtum videlicet, vtile, ac iucundum; quamuis poſtremum hoc inferioris ordinis ſit, adeò tamen ſitienter ab hominibus deſideratur, vt non defuerint Philoſophi qui voluptate ſummum hominis bonum definierint. Cuius ſententię auctor primus fuit Epicurus: quem multi poſtea ſecuti, tanti hanc ſententiam fecerunt, vt eius imaginem non modò in tabulis, ſed etiam in poculis & annulis impreſſam geſtarent, aſſeruerintque illum vidiſſe verum, maximiſque erroribus animos hominum liberaſſe. Denique Lucretius huius philoſophiæ ſectator nouum Solem mundo exortum fuiſſe in Epicuro ait; adeò eius impia ſententia delectatus fuit. Quam tamen cæteri deinde Philoſo-

phi

phi tanquam vitiorum errorumque omnium seminarium acerrimè confutarunt. Mahometes autem primogenitus Satanæ, & post eum Lutherus, eam velut ab inferis excitarunt, dum pestifera & detestanda eorum dogmata omnem virtutis & honestatis laborem pellunt, & voluptati carnisq. libertati frena laxant. Nos tamen cùm omnes hos errorum magistros, qui in cathedra pestilentiæ sederunt, ita detestemur, vt vel eorũ nomina horreamus; plerique tamen verbo tenus doctrinam & nomina detestantes, rebus ipsis & prauis moribus eos in vitæ suæ magistros elegisse videntur. Quicumque enim voluptatem vbiq. captant, qui genio suo indulgere omni ratione curant, qui delicias carnis vbique sectantur, qui vix vllam diei particulam sine aliqua voluptatis illecebra transire sinunt, qui (vt Apostolus ait) crucis Christi, hoc est, laborum omnium inimici, ventrem suum sibi Deum statuerunt, ad cuius obsequium & ipsi & tota eorum familia intenta est, totumque quamuis ingens patrimonium destinarunt; an non hi verbis tantùm Epicurũ, Lutherum, & Mahometem insectantur, moribus tamen & vitæ institutione sequuntur? Quia igitur tanta auiditate mortales dulcia & læta amplectuntur, cælestis Magister huic tanto errori mederi, & à carnali & mundana ad spiritualem & veram iucunditatem eos traducere cupiens, de veri falsique gaudij ratione in sacra huius Euangelij lectione differit. Ait igitur:

Philip. 3.

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: quia vado ad Patrem. Absente igitur ad tempus Domino, succedit mœror, & lætitia subtrahitur: eodem verò redeunte, mœror abit, & lætitia redit. Quia verò hoc per passionem & resurrectionem eius erat implendũ (in qua Christus Dominus præsentiam suam discipulis triduo subtraxit, eandemque protinus reddidit, cuius tamen ipsi resurrectionem minimè sperabant) ideo, quid sibi Dominus hac oratione significare voluisset ignorantes, cœperunt inter se de hac eius sententia dubitare. Quia verò Dominus de passione & resurrectione sua loquebatur, quorum alterum tristitia, alterum lætitia discipulorum animos afficere debebat; ex hac eorum dubitatione de vero & falso mundi gaudio disputandi occasionem sumens, ita exorsus est:

De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicũ, &c. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Itaque piorum gaudium à tristitia incipiens, in lætitiam nunquam finiendam terminatur. Contrà verò, mundi gaudium à lætitia initium sumens (quæ huius solùm vitæ terminis continetur) in sempiternam miseriam desinit; quemadmodum idem alibi: Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis. Et iterum: Væ vobis diuitibus,

Lucæ 6.

tibus, quia habetis hîc consolationem vestram. In libro quoque Iob 21.
Iob de vano improborum gaudio sic scriptum est: Tenent tympanũ & citharam, & gaudent ad vocẽ psalterij: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Contrà verò piorum gaudium parientis feminę gaudio simile esse Dominus ait; subdit enim: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: postquam autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum: ita & vos nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ex his ergo facilè liquet, quantum inter piorum & improborum gaudium discriminis sit: ac proinde qualis sit vtriusque vitæ sors & conditio. Piorum enim momentanea tristitia æterno gaudio; improborum autem breuissima lætitia sempiterno luctu cõmutanda est.
Huius rei velut imaginem quandam singulis annis natura in Simile.
arboribus & herbis spectandam proponit. Hiemis namque tempore frugiferæ arbores floribus & frondibus atque omni decore & ornatu spoliantur, quæ tamen latentem intus vitam retinent, quæ suo tempore detegenda est; contrà verò fœnum & viles herbulæ hoc ipso tempore virore atque nitore suo ornantur & vestiuntur, quæ tamen æstate redeunte exarescunt, & omnem cum vita virorem atque ornatum deponunt; at proceræ arbores quæ intermortuæ videbantur, tunc vel maximè reuiuiscunt, & floribus atque frondibus, suauissimisque fructibus onustæ vigent. Quis igitur non hîc videat, appositissima naturam similitudine dissimilem piorum & impiorum sortem adumbrasse? Ad pios enim Apostolus ait: Mortui enim Colos. 3.
estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Si enim sanctorum hominum vitas legeris, & externam illorum faciem contempleris, viles tibi & abiecti apparebunt: quorum tamen ornatus, & vita, & vera ac solida gloria in occulto latet, ab oculis mortalium abscondita. Aderit tamen vernum tempus, quando qui nudi & mortui putabantur, fulgebunt sicut Sol Matth. 13
in regno Patris eorum. Vtrumque autem pij hominis statum breuiter illa beati Iob verba indicant: Lampas contempta apud Iob 12.
cogitationes diuitum, præparata ad tempus statutum. Fulgor quippe iustitiæ à superbis hominibus in hac vita despicitur. (vbi deridetur iusti simplicitas) qui tamen suo tempore, is qui ab hominibus contemptus fuit, sempiternam à Deo laudem & gloriam consequetur. Quo tempore superbi iustorum contemptores, hanc tantam rerum commutationem cernentes, illa ex Sap. 5.
libro Sapientiæ verba mirabundi iactabunt: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &
finem

finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt! Contemplare mihi nunc (vt multos alios Sanctorum prętercam) beatum Alexium, qui in paternæ domus angulo deliteſcens, & emendicato pane victitans, graues & viles ſeruorum iniurias decem & ſeptem annis patienter & perſeueranter tulit. At quo die fato functus eſt, cæleſti voce proditur, & miraculis illuſtratur, ſanctumque eius corpus Arcadius & Honorius Imperatores, & ſummus Pontifex Innocentius Primus ad tumulum ſuis humeris deportarunt. Quòd ſi hoc honore homines ſancti viri corpus affecerunt; qua, quæſo, celebritate, quibus laudibus ſanctiſſimam eius animam Angelorum choros in cælum deduxiſſe credendum eſt? Quid igitur in præſenti vita abiectius? quid verò in morte glorioſius? An non erat ſplendor ille in vitæ hieme abſconditus, qui verno mortis tempore patefactus eſt? Subijciamus & aliud huius rei exemplum, quod D. Gregorius refert, cuius ipſe, cùm adhuc viueret, teſtis exſtitit, quo minùs de fide rei geſtæ ſoliciti ſitis. Narrat enim tres religioſiſſimas admodum feminas Romæ in paruo quodam domicilio habitaſſe, pauperes quidem opibus, virtutibus autem diuites. Harũ magiſtra vocabatur Redempta, altera verò diſcipularum Romula, tertiæ verò nomen ſe ignorare fatetur, quamuis eam de facie noſſet. Romula igitur, ea, quam Greco vocabulo paralyſim medici vocant, moleſtia corporali percuſſa eſt, multiſq; annis in lectulo decumbens, penè omnium iacebat membrorum officio deſtituta; nec tamen hæc eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipſa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tanto ſolicitiùs ad vſum orationis excreuerat, quãtò & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte igitur quadam eandem Redemptam quam præfatus ſum, quæ vtraſque diſcipulas ſuas filiarum loco nutrierat, vocauit dicens: Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius condiſcipula ſurrexit. Cumque noctis medio lectulo iacentis aſſiſterent, ſubitò cælitus lux emiſſa omne illius cellulæ ſpatium compleuit: & ſplendor tantæ claritatis emicuit, vt corda aſſiſtentium inæſtimabili pauore perſtringeret, atque (vt poſtea ipſæ referebant) totum earum corpus obrigeſceret. Cœpit namq; quaſi cuiuſdam magnæ multitudinis ingredientis ſonitus audiri, oſtium cellulæ concuti, ac ſi ingredientium turba premeretur. Quam lucem protinus miri odoris eſt fragrantia ſubſecuta: ita, vt earum animum, quem lux emiſſa terruerat, odoris ſuauitas foueret: ac deinde lux quæ fuerat emiſſa, ſubtracta eſt. Sed is qui ſubſecutus eſt odor, remanſit: ſicque dies ſecundus & tertius tranſijt, vt aſperſa fragrantia odoris remaneret. Nocte igitur quarta eãdem magiſtram

Greg. in Homil.

Hom 3

magiſtram ſuam vocauit: qua veniente, viaticum petiit, & accepit. Necdum verò eadem Redempta, vel alia eius diſcipula à lectulo iacentis diſceſſerat, & ecce ſubitò in platea ante cellulæ eiuſdem oſtium duo chori pſallentiũ conſtiterunt, dicebantque ſe ſexus ex pſalmodiæ cantibus diſcreuiſſe. Viri enim incipiebant, & feminæ reſpondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cęleſtes exequiæ, ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Qua ad cęlum ducta, quanto chori pſallentium altiùs aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia leniùs audiri, quouſque eius ſonitus & odoris ſuauitas elongata finiretur. Hactenus D. Gregorius; qui deinde ad diuites huius ſeculi conuerſus ſic ait: O vos qui in hoc mundo diuites vos eſſe creditis, aut eſtis, conferte, ſi poteſtis, falſas veſtras diuitias veris diuitiis Romulæ. Vos in huius mundi via omnia amiſſuri poſſidetis: illa nil quæſiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentione. Vos lætam vitam ducitis, triſtem mortem timetis: illa triſtem vitam pertulit, & ad lætam mortem peruenit. Vos ad tempus quæritis obſequia hominum: illa deſpecta ab hominibus, inuenit ſocios choros Angelorum. Hactenus Gregorius. Ex cuius verbis facilè liquet, fratres, quantum inter piorum & improborum vitam, & inter vtrorumque ſortem poſt hanc vitam interſit.

I.

Sed inter multa & varia exempla, quibus hoc probare licet, nullum extat neque cõmodius neque formidabilius, quàm diuitis & Lazari, quod cæleſtis Magiſter ad huius rei explicationem attulit. Quod quoniam cum ſacra huius Euangelij lectione appoſitiſſimè cohæret, eamque apertiſſimè declarat, in præſenti concione explanare conſtitui. Quod eo libentiùs faciam, quoniam hæc ſacra hiſtoria, quæ ad vitam noſtram inſtituendam maximè conducit, vix inter cætera totius anni Euangelia locum habet. Ait igitur Dominus:

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Apparet diuitem hunc è numero eorum fuiſſe, qui (vt Paulus ait) ventrem ſuũ ſibi Deum fecere: cuius obſequio tota vita addicti ſunt. Hic verò diues deum hunc præcipua religione colebat: non enim diebus feſtis modò (quod religionis proprium eſt) ſed quotidie illi feſtum celebrabat: quotidie enim ſplendidè epulabatur. Hic eſt enim cultus quo hic deus à ſuis colitur. Neque verò ventrem ſolùm, ſed totum corpus oblectare ſtudebat; qui molliter byſſo atque purpura induebatur. Quę autẽ ex hac ſplendida menſa & corporis cultu vitia conſequantur, facilè diuinare quiſque poterit. Vitæ namque luxum ſponte ſua ſequitur luxuria. Variis enim cibis atque potibus ingeſtis, caro accenditur, ſanguis feruet,

feruet, humores exundant: quorum exitum natura ipsa, quæ superfluum horret, quacunque via pateat, expellere conatur.
Hieron. Hinc D. Hieronymus, Venter, inquit, mero æstuans, citò spumat in libidinem. Et iterùm: Non sic Aetna flagrat ignibus, vt adolescentulorum medullæ vino & dapibus inflammatæ. Rursus etiam luxum sequitur inhumanitas. Vnde est illud
Amos 6. Prophetæ: Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph. Neque enim qui ita viuunt, illud Didonis dicere possunt: Non ignara
Heb. 4. mali miseris succurrere disco. Hinc Apostolus Saluatorē nostrum per omnia tentatum esse ait, vt experimento etiam mala nostra disceret, quo misericors fieret & fidelis Pontifex: adeò iuuat miseriarum experientia ad misericordiam in miseros excitandam. Qua cùm opulentus ac deliciosus hic diues careret, necesse erat, inhumanum & crudelem esse: adeò vitium vitio nectitur. Hinc quotidie mendicum ante oculos habēs, nulla misericordia flectebatur. Excusationem fortè mereretur, si mendicus abesset; si paratam & in promptu positam miserendi occasionem non haberet: sed cùm quotidie pauper & vlcerosus ante ianuam eius astaret, tot vocibus misericordiam petens, quot vlcera in corpore habebat: omnem videtur superasse in-
Prou. 12. humanitatē, qui tam tristi & quotidiano spectaculo numquam ad misericordiam flexus est. Vnde colligimus verissimè à Salomone dictum esse: Nouit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia.

Vbi & illud etiam aduertendum est, quòd qualis erat dominus, tales etiam seruos suos fecerat. Ille crudelis & inhumanus, isti quoque domino similes exstiterunt: de ipsis namque subditur, Nemo illi dabat. domini quippe crudelitatem famuli etiam imitabantur.

Hactenus diuitis sortem & impietatē didicimus; nunc pauperis sortem & pietatem exploremus. Erat, inquit, mendicus quidam nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus. In primis nulla ratione mysterio vacare potest, quòd Dominus, diuitis nomine suppresso, pauperis nomen exposuit: vt vel hoc indicio agnoscamus, quantum distent viæ Domini à viis nostris, & cogitationes eius à cogitationibus nostris. Diuites enim clari apud omnes nominis sunt; pauperes autem obscuri & inglorij: sed non ita apud sincerissimum omnium iudi-
Psal. 15. cem Deum. De improbis namque ait: Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Quia enim isti propter scelera sua de libro vitæ deleti sunt, ideò nescire dicitur Dominus eorum
Lucæ 10. nomina: contrà verò de electis dicitur: Gaudete & exultate,
Ioan. 12. quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Et iterùm: Proprias
oues

oues vocat nominatim, & educit eas. Et de quodam viro iusto ait, Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Hoc igitur modo mendicus noster Deo cognitus erat. Exod. 33.

Erat autem Lazarus primùm quidem pauper, nec quouis modo pauper, sed etiã mendicus: quod extremum & abiectissimum paupertatis genus est. Et sunt tamen multi mendici, qui famem diligenter mendicando non sentiant: at hic tam diram famem patiebatur, vt cuperet saturari, non quidem panibus, sed micis tantùm, quæ cadebant è mensa diuitis. Quo quid esse potest acerbius? Accedebat ad paupertatem morbus, quem paupertas grauiorem fecerat: qui remedia, quibus morbus leniri posset, non habebat. Vnde morbus idem tolerabilior sanè in diuite est quàm in paupere. At morbus & paupertas duo mala sunt, quorum alterum altero acuitur & cumulatur. Et morbus quidem fœdissimus erat, & qui fœtore & horrore suo homines à se abalienaret. Canes tamen ad illum accedentes, lingebant vlcera eius. Quod etiam credo non frustrà à Domino additum esse: vt hac ratione crudelitatem hominum designaret. Canis enim animal est natura immite, crudele, voracissimum, & inuidum, & qui furorem ac rabiem suam latratibus testetur. Homo verò natura ipsa animal est mite, mansuetum, sociale, & inerme, ad pacem & societatẽ natum. Et tamen cùm ita natura vtrumque animal finxerit, sic tamen homo, luxu & auaritia corruptus, à naturæ suæ indole degenerauerat, vt in hominum conspectu miserrimus homo positus, humaniores canes experiretur quàm homines.

Faciebat etiam (vt D. Chrysostomus ait) ad cumulũ miseriarum, quòd hæc omnia mendicus pateretur ante opulentã diuitis domũ. Si enim ad fores tẽpli alicuius cũ aliis mẽdicis & vlcerosis mẽdicans sederet, solatiũ aliquod ex sociorũ miseriis capere potuisset. At hîc nihil tale erat, sed mẽsa splẽdida ante oculos posita, variisque dapibus referta, in qua ipse videret alios cibo distentos, alios temulẽtos ac vino madidos, & vnguẽtis delibutos; se verò micas tantùm è mensa decidentes cupientẽ. Hoc sanè spectaculum non leuiter eius miseriam cumulabat: atque ita in tanta aliorum copia suam magis inopiam sentiebat. Chrysost.

II.

En, fratres, qualis vtriusque, diuitis & pauperis, vita fuerit; modò vtriusq. exitum & sortem videamus. Tandẽ enauigauit vterq; & portum attigit. Stat enim sua cuiq; dies & vitæ meta, quam prætergredi non licet: nec longum dici potest, quod certo fine circumscriptum est. Breues (ait Propheta) dies hominis sunt: numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et quis tandem mendici Iob 14.

 exitus

exitus fuit? Factum est, inquit, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. O admirandã rerũ commutationẽ! ex quanta miseria ad quantã gloriam pauper sublatus est! Sufficiebat ad summam gloriã vnius Angeli ministerium: sed nunc non vno, sed multis Angelis sociatus & honoratus, deducitur in locum quietis & pacis. Videte quos habet itineris sui comites, quos militũ atque ministrorum greges. Num Imperatorum aliquis talem etiam in triumphis suis gloriam & comitatum sortitus est? Angeli enim sunt deiformes Spiritus, diuinam faciem contemplantes, ante illum iugiter assistentes, mundum gubernantes, cælestium orbium motores. Hos ergo dignissimos spiritus itineris sui comites habet, qui antè ab hominibus despectus, lambentes canes dolorũ suorũ comites habebat. Quæ maior ergo rerum cõmutatio? Quibus, quæso, laudibus prosequeretur mẽdicus dolores & plagas suas, quæ tantæ illi gloriæ materiam præbuerunt? Felices plagæ, quæ sic à Deo sanatæ sunt: felices miseriæ, quæ in tãtam gloriam commutatæ sunt: felix paupertas atque mendicitas, quæ tantis opibus cumulata est: felix denique derelictio & solitudo, quæ Angelorum obsequio honoratur. Videtis ergo, fratres, impletum quod saluator in præsenti Euangelio ait: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autẽ contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Idẽ etiam Dominus per Prophetam ad vnum-
Isaiæ 54. quemq; electorũ ait: Ad punctum & in modico dereliqui te: & in misericordiis magnis congregabo te. In momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Cernitis ergo, quàm plena manu exhibita sibi obsequia persoluat Dominus, dum pro momentanea seruitute mercedem tribuit sempiternam? Sed cur momentaneum appellat totius humanę vitæ spatium? Nempe quia totum hoc, quamlibet longum sit æternitati comparatũ,
Psal. 89. adhuc momẽto minus est. Vnde est illud: Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ pręteriit. Sed quid mirũ, si tam breuis vita æternitatis gaudio cõparata momẽtum appelletur, quando etiã dolores partus cum nati filij gaudio comparati nihil esse puerperæ videantur? *Mulier* (inquit Dominus) *cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: sed postquam peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mundum.* Si ergo lætitia de nato filio vsque adeò matrem exhilarat, vt acerbissimos partus dolores obliuiscatur; quid faciet summa illa lætitia, quam de æterna suæ felicitatis gloria electi omnes habituri sunt? Quàm leues & momentaneos labores & dolores omnes existimabunt, pro quibus ad tantam felicitatem peruenerunt! Hoc quamuis possit vtcumque cogitatione comprehendi,

prehendi, verbis tamen explicari non potest. Quo enim maior est beatarum mentium quàm puerperæ lætitia, eo leuiores & breuiores illis apparent labores, quos pro ea adipiscenda pertulerunt. Hæc igitur fuit mendici sors felicissima. Nunc qualis fuerit diuitis, expendamus.

Mortuus est, inquit, diues, & sepultus est in inferno. Hæc fuit diuitis auari portio; quàm longissimè ab illa distans, quam Propheta exquirebat, cùm diceret: Portio mea Domine sit in terra viuentiũ. Cur verò dicitur in inferno sepultus? An nõ etiã corpus eius terræ commissum fuit? Fuit sanè. sed hîc de anima tantùm sermo est: corpus enim humi, vt alia mortuorum corpora defossum est: illa quidem miseria maior, hæc tamen silentio pretereunda non est. Nam quo illud corpus molliùs ac delicatiùs enutritũ est, hoc acerbior est finis eius, atq; exitus miserabilior. Deo eo namq; scriptũ est: Gloria eius stercus & vermis. Hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terrã suã, & cogitatio eius peribit. Ecce quò perueniunt epulæ, deliciæ, cupediæ, dapes exquisitæ, mẽsæ opiparæ, vina pretiosa, odorifera vnguẽta, lecti aurei, domus marmoribus & pario lapide stratæ, deniq; purpura & byssus, & omnis vitæ huius opulentia. Omnia vermis, omnia cinis, omnia fœtor & horror, vmbra atque somnium. Ad hunc vsque tumuli locũ famulorum & amicorum greges perueniunt: solusque homo ante Deum sistitur, perinde ac si dicas: Ecce homo, & opus eius. Vbi ergo nunc fastus? vbi tumor? vbi superbia? vbi comitatus gloriosus? vbi phalerati equi? vbi mulæ auro ostroq; insignes? vbi sceptra? vbi diademata lapillis & gemmis redimita? vbi thesauri ingentes? vbi immensa agrorum iugera? vbi aulæa & varia domus supellex? tot coqui? tot famuli? tot pincernæ? tot pistores? Transierũt hæc omnia velut vmbra volans, & nuncius celeriter currens: omnia in cinerem, omnia in fauillam redacta sunt. Iam verò si ipsum hominis cadauer inspicias, quid eo vel fœdius, vel deformius, vel etiam horribilius? Quid enim magis humani sensus horrent, vel filiorũ etiam atque parentum? Oculi enim auertũtur, nares horrent, tactus refugit, imaginandi vis trepidat, & ipse etiam proximus aër inficitur & pestilens redditur. Hic est igitur, fratres, humani corporis finis. Apparatur autem diuitibus marmoreus tumulus, & tituli inscriptio, vanitatis & superbiæ index, quæ ne in morte quidem inter puluerem & vermes finem accipit. Itaque (vt eleganter Poëta quidam ait:)

——— *Tunc fabula restat:*
Hic fuit, hic fecit, pugnauit, vicit, amauit,
Composuit libros, gentes, populosq; subegit.
Quid mihi cùm fuit, aut erat, aut erit? Est, valet vnum

Psal. 141. 1. Mach. 2

Plusquam mille, fuit. Verum hoc, est, vtitur alis,
Auolat, & secum nostros abducit honores.

Sed omissa iam corporis sepultura, ad animæ tumulum veniamus. Mortuus est, inquit, diues, & sepultus est in inferno. Grauissima erat illa pœna quam Dominus impio cuidam Regi minabatur, nempe quòd sepultura asini sepeliendus esset, quia videlicet eius cadauer insepultum esset relinquendum, auibus & canibus lacerandum. Si tantum ergo malū est, sepultura asini sepeliri; quid erit inter stridentes gehennæ flammas sepultura diaboli animam condi? Videtis ergo, fratres, quàm dissimilis, tum in vita tum in morte, diuitis & Lazari sors fuerit? Hanc autem tam variam rerum commutationem quidam commodissimo accipitris & gallinæ exemplo exprimere solent. Accipiter enim dum viuit, in magno pretio habetur, & Regum manibus gestatur; qui tamē mortuus, in sterquilinium proijcitur: contrà verò gallina dum viuit, longè à palatio & ab hominum conspectu ad sterquilinia relegatur; vbi tamen mortua fuerit, argenteis patinis Regum mensis infertur. Eadē igitur piorum & improborum conditio est: quod apertè satis diuitis huius & Lazari exempla declarant; quorum alter ad inferos è splendida illa sua mensa detruditur, alter verò à sordibus paupertatis ad sinum Abrahæ Angelorum manibus deportatur. Sic igitur impleri videmus quod Salomon insinuauit, cùm dixit: Diues & pauper obuiauerunt sibi; vtriusque operator est Dominus. Hoc est, supernus ille mundi arbiter pro voto suo aliis quidem in hac vita diuitias, aliis paupertatem tribuit, & hūc quidem humiliat, illum verò exaltat: sed quæ inæqualitas videtur in hac vita, in altera frequenter commutata sorte pensatur; vt pauper hinc ad opes & requiem, diues autem ad miseriam & inopiam transeat. Quod quidem obuiandi verbo non incommodè designatur. Quid enim aliud est, duos sibi homines obuiàm ire, quàm vt alter ad alterius locū, vnde profectus est, pergat? Hoc igitur modo sibi diues & pauper obuiare dicuntur: quoniam pauper ad opulentiam & requiem diuitis, diues autem ad sordes & miseriam pauperis frequenter pergit. Hāc autem rerum vicissitudinem in duobus filijs Ioseph adumbratam cernimus: quos cùm pater ad eorum auum Iacob morti iam proximum adduxisset, & Manassem natu maiorem ad dexteram eius, Ephraim verò natu minorem ad sinistrā collocasset, ille commutatis manibus, dexteram super iuniorem, sinistram verò supra seniorem (patre etiam eorum reclamante) posuit: quòd intelligeret, hoc diuinæ sapientiæ atque prouidentiæ decretum fuisse. Ad hunc ergo modum frequenter eos Dn̄s, qui maiores in hoc mundo putantur, in fine vitæ cum hœdis ad sinistram, mino-

Simile.

Prou. 22.

minores verò ad dexteram cum ouibus suis collocat. Sed ad historiam redeamus.

Eleuans autem diues oculos suos cùm esset in tormentis, &c. Animaduertite, fratres, hoc in loco mirabilẽ Dei prouidentiam atque iustitiam. Quoniam mendici fames & inopia incrementum capiebat ex eo quòd præsentem diuitis mensam contemplaretur; iusto Dei iudicio extremam sitim diues ante mendici felicitatem sustinet, vt eius pœna comparatione illius gloriæ acrior redderetur. Neque hoc solùm huic diuiti contingit: sed (vt D. Gregorius in Homilia huius sacræ lectionis ait) credendum est, quòd ante retributionem extremi iudicij, iniusti quosdam in requie iustos aspiciant; vt eos vidẽtes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiam de illorũ bono crucientur. Iusti verò in tormentis semper intuentur iniustos; vt hinc eorũ gaudium crescat, quia malũ cõspiciunt, quod misericorditer euaserunt. Quid autẽ mirum, si dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc illis eueniat in obsequium gaudiorum, quo & in pictura niger color substernitur, vt albus & rubeus clarior videatur? Tanto ergo bonis gaudia sua crescũt, quanto eorũ oculis damnatorum mala subteriacent quæ euaserunt. Et quamuis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia qui creatoris sui claritatem vidẽt, nihil in creatura agitur quod videre non possint. Hactenus Gregorius. Hac igitur de causa diues Lazarum, & Lazarus diuitem, hoc est, vterque alterum vidit: vidit damnatus beatum, ad damnationis suæ cumulum; vidit & beatus damnatum, ad maius gloriæ suæ incrementum. Grego.

Eleuans, inquit, oculos suos, cùm esset in tormentis. Tormenta numero multitudinis posuit; vt intelligeremus, non vno aliquo tormento, sed multis, iisdemq. variis, miseros in gehẽna cruciari. Vt enim Christi martyres in iis membris, in quibus potissimùm pro fide torti fuerunt, singularem quemdam decorem & venustatem retinebunt: ita cõtrà impij in gehenna grauiùs in iis membris cruciabuntur, quibus grauiùs deliquerunt. Cuius rei gratia D. Gregorius diuitis huius linguã peculiariter torqueri ait, cui refrigerandæ guttam aquæ postulabat, quòd per eam grauiùs deliquisset. Loquacitatis quippe vitium voracitati atque ebrietati adiunctum est. Vt enim feruens in vase mustũ, omnia quæ in imò latent, foras protrudit: ita vinum in ventre æstuans, quæcunque in imo pectore condita sunt, per os effundit. Hinc Salomon nullũ secretũ esse ait, vbi regnat ebrietas. Hinc etiam prouerbium illud manauit, Odi memorem compotorem: quasi ea quæ à temulentis dicuntur & fiunt, non tam homini, quàm vino imputanda sint. Gregor. Simile. Prou. 31.

 Cùm

Cùm ergo esset diues in his tormentis, vidit à longè Abraham, & Lazarum in sinu eius, & ait: Pater Abraham, miserere mei. Patrē modò vocat in miseria, qui in prosperitate positus, nec patrem agnouit, neque illum moribus exprimere curauit. Si enim esset Abrahæ filius, opera vtique Abrahæ fecisset; qui inter alia virtutum insignia hospitalitatis merito maximè cōmendatur, dum abeuntes hospites in domum suam compulit, & conuiuio humanissimè accepit: cùm tamen diues hic in ipso domus suæ limine iacentem pauperem ne aspiceret quidem. Ideoque patris fauorem non meretur, qui patris charitatem & officium imitari detrectauit.

Pater, inquit, Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. O miseram & sterilem petitionē! ô miram diuinorum iudiciorum æquitatem! Non petit calicem aquæ, non vt manum intingat in aqua, nō vt ipsum etiam digitum, sed extremum, inquit, digiti sui intingat in aqua, vt refrigeret linguam meam. Animaduertite, quæso, ex quanta copia & opulentia in quantam deciderit sterilitatem & inopiam! Quia enim pauper Lazarus micas è mensa eius decidentes toties desiderauit, nec accepit; ideò miser iste guttam aquæ in æternum desiderabit, nec accipiet. Hoc enim diuinæ iustitiæ ratio exigebat, vt par pari referretur, & auarus diues talionis pœna plecteretur, vt, qui panis micam non concesserat, guttulam aquæ non acciperet. Quid tunc quæso, animi diues ille haberet, quando micis è mensa decidentibus cęlestes epulas mereri potuisset, quas tamen erogare noluit? Hinc enim præcipuè materiam arripit immortalis ille vermis, qui damnatorum animas incessanter lacerat & exedit.

Cui dixit Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Vehementer admirādum est, nullam aliam hoc in loco tantæ miseriæ, tantæque felicitatis causam, nisi diuitis opulentiam, & pauperis inopiam atque miseriam designari. Quam rem Basilius & Gregorius hoc in loco diligenter annotarunt: quòd videlicet hic diues non ideò damnatus sit, quòd aliena surripuerit, sed quia propria largitus nō est. Nemo ergo, fratres, tutum se esse credat, dicens: Ego aliena non rapio, non occido, nō alienam vxorem concupisco; meis opibus sine vllius iniuria fruor. Hoc enim fortasse potuit diues hic dicere, qui tamen non ideò à gehennæ cruciatu liber euasit.

Simul & illud mihi considera, quo in periculo versentur, qui in deliciis corpora sua enutriunt: quantumque ex spe salutis æternæ solatium capere debeant, qui in miseriis degunt, & in

diem

diem viuunt,& vix cibario pane rugientem satiare ventrē possunt. Via enim in cęlum regia,crux Christi est:qua Lazarus ingressus est. Via verò perditionis, luxus & opulētia: qualis huius diuitis fuit. Quòd si hoc ita est, vel hoc vno argumento licet nobis intelligere periculi magnitudinem, in quo mūdus degit. Commune enim cunctis ferè mortalibus est,opulentiam, delicias & bona huius diuitis concupiscerę,& inopiam atque miseriam Lazari detestari: cùm tamen per hanc iter nobis in cælum pateat, per illam verò salus nostra in discrimen vocetur. Quam,quęso,spem haberet medicus de ęgri salute,si is omnia, quæ illi erant salutaria,vehementissimè fastidiret, contrà verò nocitura omnia auidissimè concupisceret. Quisquis autem in hoc statu esset, non dubium quin à medicis penè desperaretur. Periculum autem est,ne nos in eodem salutis discrimine versemur,qui tanto studio diuitis huius opes captamus,tantaq; contentione labores & Christi crucē fugimus. Itaque vt quid hac in re sentiam,exemplo demonstrem,multi persimiles mihi esse cuidā Eucrito videntur,quem ferunt à quodam interrogatum, vter esse mallet,Crœsus an Socrates;respōdisse: Viuēs,mallem esse Crœsus;è vita verò discedēs,Socrates.Indicauit is beatam esse bonorum post hanc vitam conditionem: diuites autem licet bonis omnibus in prȩsenti vita abundent, post mortem tamen ob iniquè partas opes,& malè etiā collocatas, cruciandos dęmonibus tradi. Ad hūc ergo modum existimo multos nunc, si illis optio daretur, responsuros, velle se in præsenti quidem vita diuitis huius fortunam & opulentiam; in morte autem, Lazari felicem exitum sortiri. Hāc autem sortem nemini contingere posse,omnes diuinæ scripturæ paginæ testantur. Nemo enim geminam felicitatem in hac vita simul & futura obtinere,nemo de deliciis ad delicias trāsire se posse speret. Quocirca qui diuitis luxum & opulentiam ambit, eundem cum diuite miseriarum exitum pertimescat. Qui verò Lazari patientiam & humilitatem fuerit consectatus, eiusdem quoque felicitatis & gloriæ particeps cum eodem Lazaro erit.

Simile.

Simile.

Adiecit etiam Abraham: Et in his omnibus,chaos magnum interpositum est inter nos & vos,vt neque hinc possint transire ad vos,neque inde huc transmeare. En,fratres,summa felicitas piorum, & summa item infelicitas improborum : quòd videlicet post mortē vtrique inuenient,quod in æternum mutare nō poterunt. Hoc est autem quod piorum gloriam maximè attollit,quia intelligunt se de sua felicitate perpetuò esse securos. Quam rem Dominus in extrema huius Euangelij parte discipulis suis pollicetur, cùm ait: *Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum,& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Cùm ergo infelix diues à ſpe ſua decidiſſet, de fratrũ ſalute ſolicitus ait: Rogo ergo te, pater, vt mittas illum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Reſpondit Abraham: Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos. Ait ille, Non, pater Abraham; ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Infelix diues de ſe fratres æſtimabat. Sicut enim ipſe audiendis Legis & Prophetarum oraculis nihil profecerat, ita fratres ſuos nihil hac eadem docẽdi ratione profecturos credebat. Dicere itaq. potuiſſet: Ego, pater Abraham, Prophetas & Cõcionatores frequenter audiui, qui mihi ſępè tonare ac fulminare videbãtur: & tamẽ iis tonitruis atque fulminibus ita aſſuetus eram, vt nihil de priſtinis moribus & vitæ inſtitutione mutauerim: partim quippe vſu & cõſuetudine, partim etiã curioſitatis ſtudio concionibus intereram. Magis enim ad docẽtis gratiam & eloquentiam, quàm ad vulnerum meorum medicinam quærendam intentus eram. Simili ergo modo fratres mei audient, nihiloque meliores eadem audiendo euadent. Si verò quis è mortuis reſurrexerit, & horrendam tormẽtorum atrocitatem, qua in hoc tenebrarum loco cruciamur, oculis eorum ſpectandam propoſuerit, non poterunt non timore maximo concuti, & ad pœnitentiam flecti. Cui Abraham, Si Moyſen, inquit, & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Hoc ipſum, fratres, nobis quoque dictum putemus. Nam Chriſtus ipſe Dei Filius ſurrexit à mortuis, eademque dogmata, quæ anteà prædicauerat, confirmauit: neque tamen hoc ſatis eſt, vt multi ex noſtris à peccato reſiliant. Quid igitur alium reſurgentẽ quærimus, qui maiori fide dignus habeatur? Si hunc non audimus; neque ſi quis alius ex mortuis reſurrexerit, audiemus. En, fratres, ante oculos veſtros Dominus poſuit ignem & aquam, vitam & mortem; iter quo in cęlum, & quo ad gehennam itur. Si per hoc ingrediamur, mors ſine dubio æterna nos manet: ſi verò, hoc deſerto, per illud incedamus, patiẽter & humiliter incommoda vitæ cum Lazaro perferentes, legibuſque diuinis obtemperantes, ad eumdem felicitatis portum, eandemque cum illo immortalitatis gloriam Angelis comitantibus perducemur.

Præfatio in Conciones ſequentes.

Conſtat planè, amice Lector, Eccleſiaſticum Doctorem velut quendam populi Chriſtiani ductorem & aurigam eſſe, qui eum in Chriſtianæ vitæ curriculo erudire ac dirigere debeat. Cùm autem eo tempore quo ſequentia Euangelia in Eccleſia leguntur, fideles ad Spiritus ſancti feſtũ, quod iam inſtat, præ-

præparari debeant (quò donorum eius cũ Apoſtolis participes effici poſſint) officij noſtri ratio exigere videtur, vt eos in concionibus noſtris ad huiuſmodi præparationem hortari debeamus. Quod ergo in concionibus quæ paulo ante natalem Domini diem præcedebant, conſilium ſecuti ſumus, vt fideles ad tanti feſti præparationem exhortaremur, quò Chriſtus Dominus ſpiritualiter in mentibus noſtris naſceretur; hoc idem ferè in ſequentibus concionibus ſecuti ſumus, quò videlicet Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes ad nos venire, & in nobis requieſcere dignetur. Quo nomine de eius officiis & cõſolationibus dicendum ſæpè fuit, vt illum fideles & auidiùs deſiderarent, & ad illum excipiendum ſeipſos diligẽtiùs præpararent. Quod quidem eo libentiùs fecimus, quòd Euangelicæ lectiones, quæ ſequuntur, hiſce de rebus præcipuè tractent. Quocircà nemo nobis ſuccenſeat, ſi eadem de re frequenter dicimus: hoc enim conſultò fecimus, vtpote qui non eruditorum curioſitati, ſed piorum vtilitati (vt par erat) ſeruire voluerimus.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA, CONCIO PRIMA: IN QVA lectio Euangelica ac præcipuè verba Thematis explanantur.

THEMA. *Cùm autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio.* Ioan. 16.


V o ſunt, fratres chariſſimi, quæ in omnibus operibus ſuis captare præcipuè Dominus ſolet; nempe nominis ſui gloriam, & vtilitatem atque ſalutem noſtram: nec enim alterum ab altero diuelli vnquam patitur. Quòd ſi homines ita ſe gerant, vt ſalutem ſibi oblatam reſpuant; hoc tamen ſemper aſſequitur, vt nominis ſui gloria integra & illæſa permaneat, dum per illum non ſtat, quo minùs homines ſalutem ſuam, ſi animum intendere voluiſſent, conſequerentur. Hoc propoſitis exemplis aperiemus. Commeritus quidem erat mundus, quo tempore aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram, vt hoc naufragio interiret: ſed antequam pœnam hanc ſceleribus eius debitam Dominus inferret, octauum Noë iuſtitiæ præconem deſtinauit, qui imminentem Domini iram ipſa inſoliti operis fabrica hominibus nunciaret: & centum & viginti annorum

ſpatium

ſpatium agendæ pœnitentiæ conſtituit, ſi qua fieri poſſet, vt homines ad meliorem mentem redirent. Quod vbi non ſucceſſit, omnes ob flagitia ſua debitas ſcelerũ pœnas perſoluerũt. Dei tamen gloria, hoc eſt, iuſtitia eius & miſericordia in hoc opere claruerũt: iuſtitia, quòd ſontes quidẽ puniuit; miſericordia verò, quòd eos opportuno tempore periculi ſui admonuit. Simili modo cùm Hieroſolymorum ciuitas propter varia eius crimina ferro ac flammis vaſtanda eſſet, Hieremiam Prophetam ab ipſis materni vteri viſceribus ſanctificatum deſtinauit, qui multis antè annis, variis prædictionibus & figuris impẽdentis mali calamitatem, & iram Domini nunciaret, eo quòd ciuitati & templo ſuo parcere vellet: nec tamen his tantis monitis ac minis, vt ſaluti ſuæ proſpicerent, ab illis potuit impetrare: donec tandem Chaldæis vaſtantibus, adultera ciuitas perfidiæ & rebellionis ſuæ pœnas dedit. Culpa igitur ſua ciuitas interiit, Domini tamen gloria integra & illibata permanſit: qui tam diu eorum ſcelera pertulit, quique tam multis modis ad ſalutẽ indignos homines paterna pietate vocauit. Ad eumdem modum cæcitatem & prauitatem mundi miſeratus, diſcipulos ſuos miſit, qui vbique locorum, pœnitentiam & regnum cælorum annunciarent: quos tanquam agnos inter lupos ad hoc munus deſtinauit. Quibus tamẽ in mandatis dedit, vt cùm alicubi auditi aut recepti non eſſent, pùluerem calceamentorũ, in teſtimonium oblatæ & neglectæ ſalutis, ſuper rebelles proiicerent. Quorſum hæc? Nimirum vt hac cærimonia teſtatum eſſet, eos opportuno tempore à Deo per legatos ſuos ſalutis & vitæ ſuæ monita percepiſſe, & diuinæ ſeueritatis atque futuri iudicij admonitos fuiſſe, vt ſi oblatam ſalutem repuliſſent, non Deo, ſed ſibi ſceleris ſui pœnam imputarent. Hoc eſt igitur quod in omnibus operibus ſuis Dominus præcipuè intendit: & hoc item quod in præſentis Euangelij lectione, ac præcipuè in verbis à me propoſitis agit, cùm ait: Spiritum ſanctum arguere debere mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio: hoc eſt, de peccato commiſſo, & de iuſtitia neglecta, ac de iudicio iam facto, quo videlicet mundi princeps è medio ſublatus fuit. De his igitur ita Spiritus ſanctus per os omnium Sanctorũ arguet mundum, vt facilè oſtendat, nihil à diuina prouidentia, quod ad eorum ſalutem pertineret, fuiſſe prætermiſſum: ideoq; ſceleratos & impios homines ipſos ſibi perditionis ſuæ cauſam, nõ Deum exſtitiſſe. Sed quoniam tria hæc valdè ad explicandum difficilia ſunt, cùm ſint tamen maximè ad intelligendum neceſſaria; ideò ad ſolita beatiſſimæ Virginis ſuffragia confugiamus.

Matth. 10 (margin, beside "annunciarent")

AVE

AVE MARIA.

Pridie eius diei quem Dominus ac Saluator noster destinarat vt passionis suæ calicem hauriret, hoc est, eo ipso die quo in manus impiorum, duce apostata discipulo, tradendus erat, multa cum discipulis ad salutem nostram maximè necessaria egit. Agnum enim Paschalem iuxta legis ritum cum illis cœnauit, pretiosissimique corporis & sanguinis sui Sacramentum instituit, pedes discipulorum in memorabile altissimæ humilitatis suæ exemplum lauit, dulcissimis verbis de abscessu suo mœrentes consolatus est, & ad futuros labores animauit. Huius autem sermonis pars quædam præsentis Euãgelij lectio est, in quo Dominus & de præparatione ad Spiritum sanctum excipiendum, & de officio quod per eos in mundo exercere debebat, apertè disserit. Ait igitur:

Vado ad eũ qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Hac forma loquẽdi mortem suam significare Dominus voluit, quo verbi huius acerbitatẽ leniret, minusque amantissimorum discipulorum pectora, illata mortis mentione, feriret. Sed quamuis hoc verbo mortis suę horrorẽ texisset, discipuli tamẽ qui illum impensè diligebant, quiq; spes omnes & opes suas in vno illo repositas habebant, grauiter hoc verbo sauciati sunt. Quod apertè Dominus indicauit cùm subdit: *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Magnum certè doloris solatium, quòd ea ipsa res, quæ vos dolore afficit, ad felicitatem & profectum vestrum maximè conducat: vt facilè hac ratione intelligatis, hanc meam perfectionem nõ mœroris, sed lætitiæ magis causam vobis allaturam. Proficiscor enim, vt appaream vultui Dei pro vobis, & Paracletum, hoc est, consolatorem, monitorem, magistrum, & sermonum meorũ interpretem vobis è cælo demittam, qui suggerat vobis omnia quæcunque dixero vobis. Cur igitur hunc meum abscessum lugeatis, qui vobis tantorum bonorum causa futurus est?

Cùm autem venerit ille, arguet mundũ de peccato, de iustitia, & de iudicio. Quorsum hęc? Quoniã hoc in loco & sæpè aliàs, Spiritũ paracletum Dominus (quod consolatorem pręcipuè significat) appellauerat, ne quis nominis huius occasione deceptus, hoc solũ Spiritus sancti munus esse arbitraretur, addidit etiam illũ (qui omniũ est artifex, & omnem habet scientiam) non modò consolandi, sed etiam arguendi & obiurgandi munus exercere: sed illud tamen ad pios, hoc ad improbos pertinere: pios enim consolatur, arguit verò improbos. Cùm autem ex improbis alij fideles, alij infideles sint, vtrosque sanè arguet: infideles quidem de infi-

de infidelitatis peccato, fideles autem de iustitia atque iudicio: quæ protinus à nobis explicanda sunt.

Nunc, quomodo infideles de infidelitatis crimine arguat, videamus. Quáuis enim omnia infideliũ peccata coarguat, præcipuè tamen infidelitatis peccatũ, quod aliorum omniũ seminarium est, per Apostolos, Apostolorumq; successores arguere dicitur, dum clarissimarũ virtutum, signorum, & donorum suorum operibus (quibus Catholica fides cõfirmatur) inexcusabilem incredulorum perfidiam ostendit. Catholica enim fides (vt
Hebr. 2. Apostolus ait) ab iis qui audierunt, in nos confirmata est: contestante Deo signis, & portentis, & virtutibus, & variis Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem.

Fidem igitur primùm Spiritus sanctus maximè illustrauit, quando tanta cælestium donorum atque virtutum affluentia in
Actor. 2. Apostolica pectora effusus est, vt homines abiecti & illiterati admirabilem illã scientiam, eloquentiã, & linguarũ omniũ peritiã, & fidei cõstantiam subitò fuerint cõsecuti. His enim tam magnificis donis instructi, totũ orbẽ peragrantes, mirãda opera, & omnem humanã virtutem excedentia patrauerũt. Falsas enim deorum religiones exterminarunt, aras eorum & templa euerterunt, auitamq. & ab ipsa penè origine mundi natam superstitionem demoliti sunt, hominesque vitiorum atque voluptatum omnium seruituti addictos, ad veræ pietatis & iustitiæ cultum ita reuocarunt, vt, seculi honoribus, diuitiis, & voluptatibus corporis abdicatis, se totos cælestium rerum studio & cõtemplationi addixerint, & pro hac fide ac pietate mille mortis genera alacri & constanti animo subire non recusarint.

Hinc etiam factum est, vt totus mundus choris Virginum, Martyrum, & Confessorum compleretur, & ipsa etiam deserta psallentium Monachorum cœtibus, cęlestẽ in terris vitã medi-
Isaiæ 35. tantium, frequentarentur. Denique in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, exortus est viror calami & iunci: quando videlicet gentilitas, quæ instar deserti omni virtutum cultura destituta erat, germinare cœpit, & florere quasi lilium. Per hos igitur paucos piscatores, litterarum rudes, principes po-
Isaiæ 46 pulorum congregati sunt cum Deo Abraham: & ex durissimis
Matth. 5. lapidibus noui surrexerunt Abrahæ filij, petræque conuersæ
Psal. 113. sunt in stagna aquarũ, & rupes in fontes aquarũ; hoc est, corda saxis duriora, pietate & pœnitẽtia veteris vitæ in lachrymarum fontes soluta sunt: ac denique tota mundi facies nouæ religionis nitore instaurata est; & Deus Israël, qui in angulo Iudææ solùm notus erat, Deus omnis terræ vocatus est. Cùm igitur hæc omnia Spiritu sancto cooperante fierẽt (quæ quidem veritatem & fidem Christi mirificè cõfirmabant) quis, quæso, per-

fidiæ

fidiæ locus esse poterat? Quæ tanta hominum cæcitas & obduratio, quæ non tam magnis diuinæ veritatis argumentis conuicta cederet? Meritò ergo his omnibus Spiritu cooperante impletis, infidelium perfidia coarguitur, dum nihil habet quod meritò prætexere possit, & quo se valeat excusare. Hac igitur miranda ratione Spiritus sanctus mundum, hoc est, infideles homines, arguet de infidelitatis peccato: quod apertè Saluator indicat cùm subdit, *Quia non crediderunt in me.*

II.

Nunc videamus quomodo fideles improbos de iudicio arguat & iustitia. Ad huius autem loci explicationē, illud primò aduertendū est: nempe inter clarissima beneficia, quæ Saluator noster aduentu suo mundo collaturus erat, illud præcipuè numerari, quòd iter in cælum, quod asperum anteà & difficile ad ingrediendum erat, ipse opera & virtute sua planissimum esset effecturus. Hoc enim illa Esaiæ verba pollicentur: Erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Hanc autem mandatorum Dei viam duo potissimùm difficilem reddebant: alterum, diuinæ legis pondus, quod grauissimū erat (vt suo loco referemus) alterum, hostis nostri potentia & immanitas, qui nos summa contentione à diuinæ legis cultu auocabat. Atq. ita quod per se satis graue & laboriosum erat, suoq. pondere à se homines alienabat, longè grauius dæmonis astu & potētia efficiebatur, qui nos ab eo studio reuocabat. Quo factum est, vt quàm paucissimi essent qui eo tempore iustitiam & pietatem sincera mente colerent. Hæc igitur duo maxima itineris huius impedimenta Saluator noster perfectissimè sustulit; qui (vt Hieremias ait) fecit iudicium & iustitiam in terra: quorum altero hostis nostri potentiam fregit, altero legis onus grauissimum leuigauit. De hoc igitur iudicio priùs, deinde de iustitia (quæ paulo à nobis latiùs explicanda est) disseremus.

Isaiæ 40.

Hier. 23.

De iudicio ergo primùm Spiritus sanctus mundum arguet, *Quia princeps*, inquit, *huius mundi iam iudicatus est.* Scitis principem huius mundi diabolum appellari. Est autem princeps, non quidem iure, sed tyrannide, hoc est, non legitimi dominij potestate, sed praua se illi subijcientium voluntate. Scitis etiam hunc principem ante Christi aduentum in vniuerso mundo (præterquam in exiguo Iudææ angulo) à cunctis Regibus & principibus, atque adeò ab vniuerso penè mortalium genere coli & adorari. Hic ergo impius Babyloniæ, id est, huius mundi Rex, hic magnus Leuiathan, & cete magni huius maris, hic potentissimus draco genus hominū fraudibus suis decipiebat, viribus subigebat, armis atq. ministris suis à veritatis & salutis via reuocans, in regnum suum, hoc est, ad inferos pertrahebat.

Arma

Genef. 3. Arma verò eius erant, primùm quidem intra nos caro veneno peccati infecta, & sibilo serpẽtis afflata, quæ nos semper ad peccatum allicit, ad quod prona est ab adolescentia sua. Sicut enim is olim mulieris operâ ad supplantandum virũ vsus est: ita modò carnis nostræ infirmitate ad spiritũ illaqueandum abutitur. Extra nos verò præcipua eius arma erãt idololatria, & idololatriæ comites, hoc est, vitia vniuersa: quandoquidem (vt in libro Sap. 14. Sapientiæ scriptum est) infandorũ idolorum cultura, malorum omnium causa est, & principiũ, & finis. Arma quoq. eius erant Reges omnes ac Principes terræ, qui omnibus tormentorum atque suppliciorũ machinis idololatriæ pestẽ, hoc est, sui principis honorem tuebantur. Hæc enim sunt illa draconis capita Apoc. 17. septem, & cornua decem, quæ Ioannes in Apocalypsi vidit, quibus videlicet draco ille magnus, & sanctorum Martyrum sanguine rufus, regnum suum per mundi principes tuebatur. Ad hoc igitur vnigenitus Dei filius in mundũ venit, vt ab hac tam dira tyrannide mundum liberaret, & mundi principem extra mundum profligaret: quod planè per crucem & mortem suam effecit; sicut ipse ante passionem suam futurum prænunciauit his verbis: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi Ioan. 11. huius eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra (hoc est, in crucem sublatus) omnia traham ad meipsum, hoc est, tyranno extra mundi regnum detruso, legitimus mundi Dominus sedẽ eius occupabit. Per mortem igitur suam destruxit eũ qui mortis habebat imperiũ: atq. ita liberauit eos qui metu mortis per totam vitam obnoxij fuerãt seruituti. Hoc autem ita futurum Esaiæ 27. esse multis antè seculis Esaias prænunciarat his verbis: In illo die visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetũ qui in mari est. Vectem autem appellat, quasi oblongum, vt latissimum eius imperium, quod ad fines vsque mũdi porrigebatur, significaret: tortuosum verò, propter varias, quibus vtitur, nocẽdi artes. Hunc ergo tam potentem aduersarium, qui in hoc mari magno omnia vastabat, pollicetur se Dominus fortissimo gladio suo, hoc est, vi & potentia Spiritus sui, è medio sublaturum & occisurum.

Lucæ 11. Eundem verò in Euangelio fortem armatum appellat, contra quem superueniens longè fortior Dominus Iesus, illum à statione propria deturbauit, regno pepulit, spolia eius cepit, arma, quibus confidebat, abstulit, atque de eo magnificum moriens triumphum duxit. Per mortem enim suam præcipua eius arma fregit ac debilitauit: quando vetus homo noster, quo ille aduersus nos vtebatur, simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Hac enim ratione per

per virtutem sancti Spiritus, & gratiam quam nobis moriendo promeruit, carnis potentiam superauit, & diaboli latissimè patens regnum euertit. Quod quidem ipse dæmon sancto viro Antonio (quemadmodum in vita eius refert Athanasius) confessus est. dæmoni enim ad Antonium dicenti; Cur me infestantur & persequuntur monachi: sanctus Pater respõdit: Meritò hoc faciunt, quoniam tuis tentationibus infestantur. Cui dæmon, Ipsi, inquit, suis se cupiditatibus impugnant: ego enim ad nihilum sum redactus, quia iam in cunctis partibus regnat Christus. In cuius rei argumentum Iustinus martyr ait, Exorcistis in Ecclesia commissum esse, vt ab obsessis corporibus dæmones pellerent. Exorcistarum autem ordo inter Ecclesiæ gradus infimus est: vt hac ratione appareat, adeò hostis antiqui potentiam Christi virtute fractam, vt pueris in Ecclesia supra illum potestas concessa sit.

Quam eius imbecillitatem Procopius & Eucherius verbis illis quæ aduersus serpentem Dominus initio mundi protulit, testatam esse volunt. Sic enim ad serpentem Dominus ait: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quia enim dæmon serpentis imaginem induerat, vt mulierem & mulieris posteros euerteret, ideò sub imagine serpentis maledictio in illum coniecta est, qua prædicitur, illius potentiam atque triumphum, quo victor exultabat, euertendã esse, quando ex muliere semen esset egressurum, quod caput eius, hoc est, tyrannidem ac potentiam eius contereret. Quod quidem mulieris semen non modò Christus Dominus est, sed omnes etiam in quibus Spiritus eius cõmoratur, & in quorum mentibus hoc cæleste semen manet. Dæmoni ergo nihil iam superest, nisi vt humi repens, vestigiis nostris, hoc est, affectibus & cupiditatibus insidietur, vt per eas nobis laqueos & tendiculas paret, nec aliud humi iam deiectus atque prostratus moliri possit. Rectè ergo Dominus ait: Genes. 3.

Cùm Spiritus sanctus venerit, arguet mundũ de iudicio, quia videlicet *princeps huius mundi iam iudicatus*, atq. damnatus *est*: hoc est, arguet eos qui dæmonis potentiam in improbitatis suæ excusationem afferunt, quando iam eius vis atque potestas, crucis Christi baculo contrita est. Sibi ergo iam homo perditionis suę causam imputet, se accuset, in se prauitatis suæ culpam referat, qui suo se vitio illi subiicit. Non enim illum fortitudo sua, sed ignauia nostra potentem facit.

III.

Hac igitur ratione Spiritus sanctus mundum arguet de iudicio. Arguet etiam de iustitia. Quid hîc iustitiæ nomine intelligimus?

gimus? Certè cùm iustitiæ nomē latiùs pateat, hoc in loco eam iustitiā intelligimus, quam Christus Dominus attulit in mundum, quæ iustitia fidei, siue Euangelij, nuncupatur; de qua in
Dan. 9. Daniele scriptū est: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. Videtis ergo hîc nouam aliam à iustitia legis promitti iustitiam? Iustitia enim legis iam dudum adducta erat in mundū, quando videlicet lex lata fuit: noua verò supererat iustitia per Christum adducenda. De qua
Psal. 97. etiam Psalmista cecinit: Notū fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiā suam. Vt autē huius nouæ iustitiæ, quæ in Euangelio continetur, dignitatem intelligatis, libet eam cum antiqua lege (quæ ad iustitiam quoq. homines erudiebat) cōparare: vt vtriusq. rei collatione facta, & quid Christo Domino iustitiæ huius auctori debeamus, & quanto nostra, qui sub Euāgelij gratia degimus, quàm illorum, qui sub lege viuebāt, felicior conditio sit, intelligere valeamus. Ad hoc igitur sciendū est, Deum, cuius est res omnes paulatim ab imperfectiori statu ad perfectiorē deducere, ante aduentū Christi rudi adhuc mundo nondū perfectam legem pro illius temporis ratione tulisse, operâ tamen & aduentu Christi perficiendam.

Tria autem potissimùm erant, quę tunc homines sub ea lege constituti, aduersus illam causari poterant. Primùm quidē præceptorū multitudinem, quæ in lege plurima & ea quidem grauissima, & seuerissimis pœnis præscripta erant. In cuius rei ty-
Exod. 17. pum scriptum est, manus Moysi graues fuisse: quia videlicet tale erat legis iugum, quod ipse per legem populo imposuerat: ideoque Petrus Apostolus præcepta omnia legis nimiùm per-
Act. 15. tinaciter tueri volentibus, Cur, ait, tentatis ponere super ceruices fratrum iugum quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Adde etiam, quòd in hac tam numerosa serie pręceptorum ne vnum quidem erat, quod ex sese, hoc est, ex opere
Galat. 4. operato (vt loquuntur) gratiam conferret. Ideoque Apostolus præcepta illa vocat egena atque vacua elementa: quia Spiritum & gratiam nec in se cōtinebant, nec obtemperantibus dabant; nisi quam illi ex charitatis affectu mererentur. Tertiò denique lex illa cultoribus suis bona terræ pollicebatur: quoniam aditus in cælum eo tempore sanctis etiam hominibus præclusus erat, suo tempore reserandus.

Hæc ergo tria multùm homines à diuinarum legum obseruatione deterrebant. Si enim onus ipsum legis adeò graue & multiplex erat; si vires hominis, gratia deficiente, imbecilles & infirmæ; si præmium ipsum, quod acuere homines ad laborem

solet,

ſolet, tam diu differebatur: quid mirum, ſi tam pauci eo tempore diuinæ legis cultores eſſent? At hæc omnia in Euangelio per Chriſtum Dominũ mirabili ratione cõmutata ſunt. Nam vt ab hoc poſtremo incipiam, ipſum præmium, quod præcipuè ad laborem incitat, & maximum, & protinus retribuendum in Euangelio proponitur, nempe cæleſtis regni beatitudo. Animę enim piorum corporis contubernio ſolutę (niſi quid ſubſit purgatorio igne abſtergendum) ſtatim euolant in cęlum. Cuius rei gratia de Domini Saluatoris aduentu ſcriptũ eſt: Ecce merces eius cum eo, & opus illius, id eſt, operis merces coram illo. Non enim quinque millium annorum ſpatio exſpectandum eſt, ſed in promptu & ad manum cæleſtis hæc bonorum operum merces parata eſt. Præterea omnis illa legaliũ præceptorum, Chriſti aduentum adumbrantium, multitudo per mortem eius mortua atque ſublata eſt, & in vno dilectionis præcepto comprehenſa, dicente Apoſtolo; Qui diligit, legem impleuit. Plenitudo enim legis eſt dilectio. Et rurſum; In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.

Isaiæ 40. Rom. 13. Galat. 5.

Quę res vehementer homines ad diuinę legis cuſtodiam incitauit: quemadmodum Eſaias teſtatur, cùm ait: Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. Hoc eſt, conſummatio totius diuinæ legis, quæ ad vnum dilectionis præceptum reuocanda eſt, in cauſa erit, vt per totum mundum longè lateque regnet iuſtitia: dum facilè homines, leuigato iam legis onere, humeros ſuos libenter illi ſubiiciunt.

Iſaiæ 10.

Tertiò denique (quod verè ſummum & maximum eſt) præcepta Euangelij non ſunt vacua & egena elementa, ſed gratiæ plena & fecunda (qualia ſunt ea quę de Sacramentis data ſunt) quæ & continent & cauſant gratiam, eamque dignè ſuſcipientibus conferunt: cuius rei gratia, Chriſti Euangelium, lex gratiæ nuncupatur: quoniam (vt præclarè D. Thomas ait) res omnes ab eo præcipuè nominantur, quod in eis potiſſimum eſt. Potiſſimum autẽ nouæ legis eſt, diuini Spiritus & gratiæ collatio, quæ per eius Sacramenta datur. Iam verò ſi, quid gratia ſit, requiras, quidve in piorũ mentibus operetur, certè, vt multa dicam, nũquam eius virtutẽ exhauriam. Præcipuũ autẽ eius opus eſt, mentẽ hominis Deo gratam, & amabilem, atque adeò diuinæ naturæ cõſortem efficere. Quod verò ad pręſens attinet inſtitutũ, duo eius ſingularia officia numerantur: alterum, intellectum circa ea quæ ad ſalutem pertinent illuminare; alterum (quod ſanè mirabilius eſt) ad id agendum languentem & infirmam voluntatẽ impellere. (Quod quidẽ D. Auguſtinus de verbis Domini ſic exponit: Gratia ſola homines liberãtur à malo,

D. Thom. 1. 2. August.

ſine qua nullum prorſus ſiue cogitando, ſiue volendo, ſiue agẽdo faciunt bonũ: vt nõ ſolùm monſtrante ipſa, quid faciendum ſit, ſciant: verùm etiam præſtante ipſa, faciant cum dilectione
Hier. 31. quod ſciunt. Idem etiam non minus apertè per Hieremiã Dominus pollicetur his verbis: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iuda pactum nouum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, &c. ſed dabo leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas. Itaque pa-
Exod. 32. ctum illud priùs ſcriptũ fuit in tabulis lapideis, hoc verò in ipſis fidelium cordibus exaratum & impreſſum fuit. Animaduertens enim diuina Sapientia (cuius perfecta ſunt opera) non ſatis ad ſalutem hominum fuiſſe, iter in cælum velut digito indicaſſe, cùm legem illis digito ſuo deſcripſiſſet, quoniam infirma & ægra natura per hoc iter ingredi detrectabat: ideò addidit nouam legem, quæ non ſolùm docet ignorantem, ſed etiam ſanat roboratque languentem; & quæ non modò intellectum erudiat, vt, quid facto opus ſit, ſciat; ſed etiam voluntatem moueat, vt, quod rectè intellexit, efficiat.

Videtis ergo fratres, quàm multis modis Chriſtus diuinæ legis onus leuigauerit, quando & multitudinem mandatorũ minuit; & pręmium laborantium auxit: & quod maius erat, vires etiam per gratiam ad laborem contulit, dum naturam per eam ſanauit? Hęc eſt ergo iuſtitia, quam per mortem ſuam Chriſtus attulit in mundum, qua, quidquid in veteri lege deſiderabatur, cumulatiſſimè præſtitit: vt iam nihil prorſus habeat ignauus homo quo inertiam ſuam tueri poſſit.

III.

Quæ cùm ita ſint, meritò Spiritus ſanctus mundum arguet non ſolùm de iudicio, ſed etiã de iuſtitia ab improbis hominibus neglecta, quã Chriſtus attulit in mundũ, quamq́. ipſi facilè conſequi potuiſſent. *Quia ego*, inquit, *ad Patrẽ vado, & iam nõ videbitis me.* Ad Patrem ire, eſt ad mortem ire; cuius merito noua hæc iuſtitia in mundum importanda erat: hoc enim verbo ſolent Euãgeliſtæ mortẽ Chriſti deſignare. Arguet ergo Spiritus ſanctus mundum de iuſtitia: quam ego iam iam per mortem meam in mundum allaturus ſum. Hac enim morte & lex abolenda, & ianua cæleſtis regni exulibus aperienda, & gratia hominibus conferenda, & princeps etiam huius mundi foras eiiciendus eſt: quibus impletis, quid habẽt improbi quod arguenti Deo reſpondere, quídve amplius expectare queant? *Ego enim ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Antequam à Patre in hunc mundum miſſus eſſem, ſpes omnis ſalutis in aduẽtu meo conſtituta erat. Hunc Iudæi, hunc etiam Samaritæ expectabant: vnde ne femina quidem illa

Samari-

Samaritana hac spe destituta erat, cùm diceret: Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. A me igitur omnia ad salutem necessaria & annuncianda & præstanda erant. Iam igitur Messias venit, iam omnia salutis adiumenta atque promissa hominibus exhibita sunt, nihilque aliud superest expectãdum. Ego enim, salutis & redemptionis opere in cruce consummato, ad Patrem vado, & iam non videbitis me. Si ergo hac tanta salute in mundũ allata, mundus adhuc lethali somno depressus, nondum hac noua lucẽ excitatur: quod aliud malorũ suorum remedium expectare, quídve in socordiæ atque impietatis suæ excusationem obtendere iustè poterit?

Veniet igitur, veniet illa dies, in qua huius tantæ vecordiæ exigenti iudici rationem homo redditurus sit. Idem autem erit vitæ nostræ iudex, qui fuit salutis ac libertatis vindex. Qui enim tantũ dedit, scit quãtum reposcere debeat. Quid tunc igitur causari, miser homo, poteris? Num Mosaicæ legis pondus? At iam in leue onus & iugum suaue commutatum est. Querebaris egena & vacua esse elementa quibus seruiebas, quæ onus imponebant, & gratiam minimè conferebant? At ea nunc tibi proponuntur, quæ ita onerent, vt subleuent, & gratiã laboranti conferant. Formidabas dæmonis astus & potentiam? At princeps huius mundi iam iudicatus est. Sed carnis tuæ, hoc est, domestici & familiaris hostis vim pertimescebas? At vetus homo noster simul cum Christo crucifixus fuit. Si adhuc quereris de vilitate præmij, quòd parum acuat animos ad laborem, dum sola tibi terræ bona in lege promittebantur: ecce iam regnum cælorum tibi non solùm promittitur, sed etiam exhibetur. Denique si preceptorum Mosaicæ legis multitudinem causabaris, iam tibi omnia in vnius dilectionis compendium redacta sunt. Dic ergo mihi, si aliquid præcipi hominibus à Deo iustum erat, quid blandius ac suauius quàm amor præcipi potuit. Rursumq́. si expiandis sceleribus remedium aliquod instituendum erat, quod facilius & expeditius, quàm sine vlla pecorũ strage atque sanguine eorundem detestatio atque confessio? Iam verò ad diuinæ gratiæ auxilium consequendum quid facilius aut suauius, quàm sacram Eucharistiam, hoc est, Angelorũ panẽ, omne in se habentẽ delectamentum, omnemq; saporis suauitatẽ, piè & religiosè percipere? Nihil in his non blandissimum & lenissimum vides. Quid igitur homo habes, quod pro te quærenti iudici respondeas? Certè, qui omnia contulit, nihil nobis, quo ignauiam nostram tueri possemus, reliquit. Quod intelligens Apostolus, magna voce clamat? Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audimus, ne fortè pereffluamus. Si

 enim

enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accipit mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quasi dicat: Si illi qui tam intolerabili iugo legis premebantur, & Sacramentorũ nostrorũ virtute ac robore destituebantur, grauissimas neglectæ legis pœnas dabant: quæ pœna manebit eos qui sublato iam iugo, & collata gratia, leuissimum Christi onus à se excutiũt? Si illi qui vix aliud salutis adiumentum, quàm legem lapideis tabulis incisam habebant, sic plectebantur: quid, quæso, nos qui tot Sacramentis, tot beneficiis, tot exemplis, tot mysteriis, tot salutaris doctrinæ monitis, tanta denique cęlestium donorum & gratiarum abundantia, ad salutem iuuamur, expectare possimus, si adhuc in pietate & officio delinquimus? Iterumq; idem in eadem Epistola eandem penè sententiam repetit his verbis: Irritam quis faciens legem
Hebr. 10. Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quãto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamẽti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit!
Rom. 12. Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuã. Qualis ergo illa vindicta erit? hoc est, qua sententia feriendi sunt qui oblatam salutem tam caro emptam pretio, nempe sanguine Testamenti, hoc est, vnigeniti Filij Dei morte & sanguine partam, nefariè & impiè contempserunt?

Finem ergo iungamus principio, fratres. Audistis quid disci-
Matth. 10 pulis ad euangelizandum missis Dominus præceperit: nempe vt cùm alicubi recepti vel auditi non essent, puluerem calceamentorum in testimonium oblatæ & neglectæ salutis super eũ
Matth. 11 locũm inijcerent. Nunc audite, quæ illos pœna maneat, qui hãc veritatem & salutem repudiarunt. Dico vobis, inquit, quia Sodomis remissiùs erit in die iudicij, quàm ciuitati illi. O tremenda vox! ô sententia maximè formidanda! Quid agimus, fratres? Quid cogitamus? quę nos fiducia in hoc tãto salutis discrimine consolatur? Si illi semel oblatam salutem respuentes, Sodomitis ciuibus deteriores sunt, acerbioribusque suppliciis apud inferos puniendi: quid eos timere par est, quibus tot annos tot concionatorum & Ecclesiæ vocibus lux eadem, eademque salus & gratia annunciata & oblata est? Aduersus illos puluis supra eos iniectus in iudicio clamabit: aduersum nos autem templi huius parietes atque saxa tot concionantium clamoribus penè disrupta, impietati & socordiæ nostræ testimonium ferent. Quòd si Moyses cælum & terram aduersus Iudæorum inobedientiam & rebellionem testes citat, qui tot diuinis legibus & beneficiis acceptis nihil profecerant; an non
Christus

Christus Dominus tot frustrà conciones auditas, tot cælestia promissa, tot salutis adiumenta exhibita, tot præstita beneficia, tot plagas, vt resipiscamus, immissas, (quodque his maius est) sanguinem suum in cruce pro nobis effusum, contra nos testes citabit? Nemo igitur se, fratres, seducat: nemo de sceleribus admissis rationem sibi solùm reddendam esse putet. Non enim de peccatis solùm quæ admisimus, sed de beneficiis etiam & salutis adiumentis quæ percepimus, & salutaribus monitis quæ toties audiuimus, exactissima ratio exigenda erit. Non enim adeò mirum est, si in iniquitatibus conceptus homo iniquitatem pariat: sed illud tamen maximè mirabile & indignum est, quòd tot salutis nostræ medicamentis & remediis adhibitis (quibus facilè pietatem colere, & officium tueri possemus) diuinis præceptis obsequi noluerimus. Hoc est enim quod causam nostram in supremo illo examine maximè premet. Ideoq; opportunè nos Paulus admonet, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ne frustrà postmodum de ea neglecta serò conquerarmur. Simili quoque nos Dominus argumento ad se vocari præcepit, cùm Euangelij ministris ait: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Non vos ad crucem, non ad labores, sed ad nuptias, hoc est, ad cælestes epulas, ad festum lætumq. conuiuium voco. Cur ergo subterfugitis? quare negligitis? Quòd si à me, quid hìc facto opus sit, quæratis; facilem vobis ad salutem viam ostendam: nempe, vt hæc ipsa quæ de diuinis beneficiis, de morte Christi, deque ratione reddenda, siue in morte vestra, siue in extremo iudicio, diximus, in secreto & silentio cordis vestri velut animalia munda ruminetis; & hanc insuper noui Testamenti gratiam assiduis clamoribus à Domino postuletis, qua & sanctissimas eius leges obseruare, & ab omni lethali crimine abstinere possitis. Hac enim cura & studio non dubium quin, summus ille misericordiæ parens vobis petentibus tribuat, pulsantibus aperiat, & quærentibus gratiam simul & sempiternæ gloriæ hæreditatem, in noua lege singulari ratione promissam, clementer impartiatur.

1. Cor. 6.

Mat. 22.

IN EADEM DOMINICA QVARTA POST PASCHA, CONCIO SECVNDA: in qua post Euangelicæ lectionis explanationem verba Thematis explananantur.

THEMA. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ioan. 16.



NTER præclara sanctarum litterarum officia (quibus cælestis philosophiæ doctrina continetur) præcipuum munus esse, mœrentia corda in spem erigere & cōsolari, Apostolus testatur, cùm ait: Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Hanc autem in dicendo facultatē sanctus ille Propheta assecutum se esse gloriabatur, cùm diceret: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo. Habebat & ille de quo scriptum est, Nutantes cōfirmauerunt sermones tui, & genua debilia roborasti. Nemo tamē officium hoc cumulatiùs prǽstitit, quàm Dominus Iesus, qui ad hoc munus exequendū se à Patre missum esse testatur, vt videlicet consolaretur omnes lugentes; & poneret fortitudinem lugentibus Sion, & daret eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Omnia siquidē dicta, facta, vita & mors, ac omnia denique gesta Domini Saluatoris, pauperes, afflictos, variisque calamitatibus pressos, partim dictis, partim clarissimis laborum atq; dolorum suorum exemplis miro modo cōsolantur. Quis enim illum in cruce pendentem, plagis liuidum, morte pallidum, toto corpore saucium, & riuis vndique sanguinis exundantem, piis oculis contemplatus est, qui non maximum inde dolorum suorum leuamen hauserit? Hoc igitur munus in præsentis Euangelij lectione exequitur, dum mœstissima discipulorum pectora ob dilectissimi Magistri abscessum multis rationibus consolatur. Qua in re miranda Christi Domini charitas elucet, qui eo ipso die, quo in manus hostium discipulis fugientibus tradendus, excarnificandus, & mille modis cruciandus erat, sui quodammodò oblitus (qui hoc magis solatio, quàm illi, dignus erat) de discipulorum mœstitia solicitus, eam multis modis lenire curauit. In quo sanè apparet, veram & germanam charitatem magis alienis incommodis quàm suis angi & solicitari. Inter hæc verò solatia, Spiritus paracleti promissio præcipuum

Rom. 15. Isaiæ 50. Iob 4. Isaiæ 61.

cipuum

cipuum atque maximum fuit: de cuius virtutibus & officiis, quibus salutem nostram operatur, in sacra præsentis Euangelij lectione luculenter disserit. De his igitur nos quoq. hodie apud vos sermonem habituri, cælestem opem, sacratissimæ virginis interuentu, communibus votis suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

TANTO discipuli mœrore propter dilectissimi Magistri abscessum affecti erant, vt nihil aliud quærere, nihil loqui, nihil cogitare possent, nisi hoc solùm, quod eos vehementissimo dolore cruciabat. Quod enim consilium, quod vitę genus sequi poterant, qui omnia propter dulcissimi Magistri cõtubernium disciplinamq. reliquerant, cùm eo discedente bona simul omnia se perdidisse arbitrarentur? Hac ergo de causa eos Dominus in præsenti lectione his verbis incipit consolari: *Vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Implendi verbo vehementem animi tristitiam atque consternationem significare voluit. Quo ergo solatio, Domine, charissimorum filiorum tuorum pectora consolaris? Magno certè: quòd videlicet vestrum hoc meo discessu negotium agatur: *Expedit enim vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Quoniam autem in singulis sanctarum litterarum verbis mysteria latent, non possumus hoc in loco Paracleti nomen silentio præterire. Paracletus autem consolatorem significat. Quod quidem nomen Spiritui sancto Christus Dominus tribuit: quoniam inter alia eius officia hoc maximè hominibus salutare, amabile, & iucundum est. Erit autem operæ pretium explicare cur hic diuinus Spiritus hoc consolandi officio præcipuè fungatur. Huius autem rei causam (si meministis) sæpè aliàs reddidimus. Constat enim, seculi homines ob hoc vel maximè à virtutis studio deterreri, quòd eam asperam atque insuauem esse arbitrentur; cùm vitia contrà dulcia & iucunda eis appareant. Nam quo ad alia omnia, satis constat virtutem esse rebus omnibus anteferendam; est enim honestior, vtilior, pulchrior, laudabilior; imò nihil aliud præter vnam virtutem laudabile est. Nec hoc ipsum seculi homines, quamlibet rudes & improbi, diffiteri possunt. Vna est ergo voluptas atque suauitas (cuius humana mens auidissima est) quæ improborum iudicio virtutem vitiis inferiorem facit: qua vna ratione ab eius studio & amore reuocantur. Vt ergo huic tanto incommodo consuleretur, Spiritus sanctus piis hominibus donatur: cuius singulare munus & officium est, spiritualibus eos deliciis reficere & cõsolari, ne in hac parte voluptuosis hominibus inferiores sint,

néve terrenarum voluptatũ amore à recto virtutis tramite deducantur. Quia enim (vt D. Gregorius ait) esse sine delectatione animus nō potest (nā aut in infimis delectatur, aut in summis) diuina prouidentia (quæ nemini ad salutem deest) cælestibus spiritualibusque deliciis piorum mentes recreat & consolatur: quò iis inescati atque refecti, omnes alias carnis mundiq́; delicias fastidiant, & pro nihilo ducant. Rectè enim D. Bernardus: Cui Christus incipit dulcescere, necesse est vt amarescat mundus. Quantũ verò spirituales istæ deliciæ omnes alias mũdi delicias superent, ex ipsa causarũ præstantia colligi facilè potest. Ex nobilioribus enim causis nobiliores consequi effectus necesse est. Ideò enim infusa diuinitus scientia præstantior esse dicitur acquisita, quoniā à nobiliori causa, nempe ab ipso Deo, manat. Sic enim pictura illa perfectior est, quæ magistri, quàm quæ discipuli operâ absoluitur. Gaudiũ porrò mundi à mundo & à carne proficiscitur: gaudiũ verò Dei, de Deo & à Deo manat. De quo sic D. Augustinus in Confession. ait: Est gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colũt, Domine; quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est alia. Ex his igitur præcellentibus causis quale gaudium in purgatis mentibus consequetur! Neque ex causis modò, sed ex effectibus etiam huius gaudij magnitudinem colligere licet. Quid enim aliud sanctos illos Anachoritas solitariā in deserto vitam sine vllo hominũ commercio & solatio degentes, solisque herbarum radicibus victitantes, nisi diuini Spiritus gaudia tā diu sustentabāt? Quomodo enim infirmi homines fragili carne circumdati, nobisq́; per omnia similes, adeò rigidum vitæ institutum perferre tam diu sine huiusmodi solatio potuissent; præsertim cùm homo natura ipsa animal sit politicum & sociale, innumerisque necessitatibus & morbis obnoxium? Atque vt cæteros prætermittam, magnũ illum Antonium in medium proferam, quem D. Athanasius in eius vita memorat viginti annis in cellula quadā sine vllo hominum contubernio perdurasse, solaque aqua & pane, eoq. arido, victitasse. Post vigesimum autē annum inde egressum, pulcherrimam oris speciem atque habitum retulisse, perinde atque delicatissimis semper cibis vsus fuisset. Quid verò hoc antiquiorem Paulum primũ eremi incolam referam, qui octoginta annos in quodam specu cunctis mortalibus incognitus latuit? Quî ergo fieri potuit, vt fragiles homines, similes nobis, passibiles, sine cælesti consolatione perpetuam hanc solitudinem & inediam perferre potuissent? Quæ cùm ita esse nemo nostrũm negare possit; qualis, quæso, illorum insania est, qui propter vnam voluptatem iter in cælum deserunt, & per

Gregor.

Bernard.

August. in Confess.

vias perditionis incedunt: cùm constet tum ex sanctorũ exemplis & testimoniis, tũ ex ipso Paracleti nomine, maiores in via Dei, quàm in via mundi, esse delicias? Hæc igitur ignorantia, fratres, totius humanæ prauitatis causa est. Si enim voluptatũ amatores huius Paracleti delicias experti essent; haud dubium, quin protinus, voluptatibus cunctis seculi contemptis, totos se ad diuina conuerterent.

Sed fortè dices: Si tanta cõsolationis huius vis est, si hoc est præcipuum Paracleti Spiritus officium; quomodo plerique nostrûm, qui Christi nomine censemur, huiusmodi delicias experti non sumus? Ad hoc facilè respondeo, fieri quidem posse, vt, qui tantarum deliciarum suauitate carent, diuini huius Spiritus præsentia careant. Qua enim ratione mihi persuasum sit, te consolatorem accepisse, qui nullam vnquam eius cõsolationem expertus es? Hoc enim nomẽ Spiritui sancto nõ ex natura, sed ex officio cõuenit: quia videlicet hoc officio fungitur, vbicũque manet. Si tu igitur nec orando, nec legendo, nec diuinis officiis & laudibus assistendo, nec ipsa etiam Sacramenta percipiendo, vllam diuinæ dulcedinis scintillam expertus es, quónam pacto credam in te Paracletum habitare? Quàm diu in corpore vita manet, aliquo sese indicio prodat necesse est. Vitalem enim calorem (quãuis extremæ corporis partes rigeant) in pectore palpitare sentimus. Sic igitur nullibi Paracletus erit, quin aliquo saltem indicio & coniectura se prodat. Nũquid (ait Salomon) Prou. 6 potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? Hæc enim ignis similitudo in hoc etiam cælesti igne locum habet. Quocircà valdè timendum est, ne hoc Spiritu destituti sint, qui nullo indicio eius intra se virtutem perceperunt. Qui autem eo carent, illud Apostoli fulmen timere debent: Si quis non habet Spiritum Christi, hic non est eius. Rom. 8. Sed iam Paracleti nomine exposito, cætera eius officia explicare incipiamus. De his enim subdit continuò Dominus:

I.

Cùm autem venerit ille, arguet mundum de peccato, de iudicio, & de iustitia. Iam nũc quid Apostolis Spiritus sanctus præstiturus, quidq; per eos effecturus sit, incipit aperire. Primùm enim arguet mundum. Arguere aliquẽ, est ita illum obiurgare, vt apertissimis etiam rationibus patrati sceleris conuincas. Hoc igitur modo Spiritus sanctus per Apostolos mundum tribus de rebus arguet. Primùm quidem de peccato. Quod autem illud peccatũ sit, declarat protinus, cùm ait: *Quia nõ crediderũt in me.* Quomodo autem de hoc peccato per Apostolos mundum arguet? Nimirum quia talia per eos signa & prodigia edet, adeoq. magnifica opera, & omnem naturæ vim superantia patrabit, vt, quisquis

quisquis incredulus fuerit, nullũ incredulitatis suæ velamẽ prę-
Ioan. 14. tendere valeat. Ad illos namq; Dominus dixit: Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.
Act. 5. Quam quidẽ promissionẽ in Apostolorũ ptincipe impletã videmus, qui sola corporis sui vmbra languentes sanabat: quod de Domino Saluatore non legimus. Talibus ergo signis iure mũdum, hoc est, infideles incredulitatis arguet, qui veritatẽ cælesti testimonio, diuinisq. operibus cõfirmatam recipere noluerũt.

Secundò *arguet mundum de iudicio: quia* videlicet *princeps huius mundi iam iudicatus est*: hoc est, iam per Christi mortem regno suo, quod in mundo obtinebat (in quo ab vniuerso penè mortalium genere colebatur) spoliatus, & in tartara detrusus & re-
Apoc. 20. legatus est. Quã quidẽ victoriã Ioannes in Apocalypsi describit his verbis: Et vidi Angelum descendentẽ de cælo, habẽtem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat ampliùs Gentes. Quo in loco Angeli nomine Christum Dominum designat,
Mal. 3. quem per Malachiam Dominus Angelum testamẽti appellat: qui videlicet nouum testamentum multo aliud à veteri in aduentu suo erat conditurus. Hic igitur Angelus per mortem suam destruxit eum qui mortis habebat imperium, euertitque potentiam diaboli, inuasitque claustra inferni, vbi & ligauit insatiabilem homicidam, ne seduceret ampliùs gentes, quas à veri Dei cultu auocabat, & ad sacrilegum sui cultum inducebat. Hac ergo ratione Dominus huius mundi principem iudicauit: dum & illũ regno suo (quod vi & fraudibus occupauerat) pepulit, & potestatem nobis calcandi super omnem eius virtutem contulit. Quæ cùm ita sint, meritò Spiritus sanctus arguet mundum, id est, improbos homines, de iudicio: quia videlicet cùm iam passionis Christi merito ab hostis huius tyrannide erepti sint, ipsi tamen sponte sua se illius seruituti vilissimæ voluptatis pretio subdiderunt. Indignissimum autem est, quòd cùm vnicus Dei Filius vitam suam libertate tua viliorẽ habuerit (quando illam pro te in libertatem asserendo profudit) tu interim, qui tam caro pretio emptus es, adeò eam vilem repu-tes, vt te iterùm pro te nihili venalem exhibeas, turpissimæque
August. dæmonis seruituti addicas. Quanto rectiùs Diuus Augustinus, qui ait: Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolui me ampliùs exhibere venalem. Idemq. alibi ad fideles omnes, Si vobis, inquit, ex terrena fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite. Meritò ergo Spiritus sanctus istos arguet qui magis diaboli serui, quàm Dei filij esse volue-

voluerunt, qui magis duram seruitutem, quàm dulcem libertatem amplexati sunt: quique magis sub principe diabolo, quàm sub regio Christi vexillo, militare decreuerunt.

Nec de iudicio solùm, sed de iustitia quoque per Christum in mundum inuecta, & ab improbis hominibus neglecta, Spiritus sanctus arguet: vt qui tantum bonum eis à Christo Domino oblatum repudiauerint. Hoc in loco, quid iustitiæ nomine intelligamus, explicandum est. Sed quod ad præsens attinet institutum, duplicem in litteris sanctis iustitiam reperimus. Iustitia quippe appellatur diuinorum obedientia mandatorum: quæ qui diligenter implet, verè iustus est. Iustitia quoque appellatur diuina gratia, quæ nos ante Deum verè iustos & gratos efficit, cuiusque ope & virtute diuinæ legis mandata seruamus, dicente Augustino: Lex præcipit, fides impetrat, gratia complet. Gratiæ enim opus est, ægram naturam sanare, & vires homini per virtutes ab ea manantes præbere, quibus diuinæ legis mandata implere valeat. Vtramq. verò hāc iustitiam Christus Dominus attulit in mundum: dum piorem illam, sublatis veteris legis oneribus, leuigauit, & gratiam deinde cōtulit, qua legem ipsam seruare possemus. Ipse namque huius nouæ iustitiæ doctor, ipse iustitiæ auctor exstitit. Quam enim homines docuit iustitiam, ipse quoque, vt eam præstare possent, per Spiritum & gratiam suam efficit. Sic olim Ioseph senem parentem ad se è terra Chananæorum accersiri iussit, & alimenta in viam plaustraque ad portandum senem, cæteraque ad illud iter conficiendū necessaria misit. Hoc igitur modo verus Ioseph Christus Dominus, quando nos ad se per viam mandatorum suorum venire iubet, omnia quæ ad hoc iter conficiendum necessaria sunt, per Spiritum & gratiam suam plenissimè subministrat. Ipse enim velut plaustrum, quo vehamur, Angelos suos mittit, qui nos in manibus suis portent, ne offendamus ad lapidem pedem nostrum. Ab illo lucem accipimus, qua iustitiæ disciplinam agnoscamus: ab illo vires & robur habemus, quo omnia iustitiæ contraria & inimica repellamus: ab illo denique spiritum haurimus, quo ad diuinę puritatis & sanctitatis similitudinem aspiremus. Qua in re (vt hoc obiter admoneamus) admiranda Dei nostri bonitas atque benignitas apparet; qui cùm ipse nobis omnia largiatur, & omnia opera nostra operetur in nobis, sic tamen eadem præmiis afficit, vt si de nostro, non de suo illi sacrificiū offerremus. In quo mirum inter Reges terrę & Regem cęli discrimen intercedit: quòd illi quidem gratum habent quod ciues eis de peculio suo, nō de fisco Regis offerunt. Contrà verò gratum Deo non est quod ei de nostro solùm (cùm gratia eius destituti sumus) offerimus: illud autem

solùm

Marginalia: August. (beside "mus, dicente Augustino"); Dissimiles (beside "non de suo illi sacrificiū offerremus")

solùm ipsi acceptum est quod illi de suo, hoc est, de Spiritu & gratia sua exhibemus. Vnde illud Augustini manauit: Cùm Deus prçmiat opera nostra, coronat munera sua. Quæ quidem sententia nequaquam nostra opera excludit, quæ ad salutem prorsus necessaria sunt, sed vnde præcipuè ea manent, & vnde meriti valorem habeant, declarat. Sed vt ad institutum redeamus: singularis huius diuinæ gratiæ atque iustitiæ, quam Christus Dominus in mundum attulit, effectus est, Spiritum nobis atque vires præbere, quibus diuinæ legis iustitiã implere valeamus, qua ad diuinæ similitudinis imaginem, quam per peccatum amisimus, reformemur. Per Christum namque (vt Petrus Apostolus ait) Pater cælestis maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt efficiamur diuinæ cõsortes naturæ. Proprium enim cælestis huius doni est, hominẽ, diuino iam Spiritu actũ, supra naturæ conditionem attollere, & ad diuini & supernaturalis esse dignitatem eleuare. Sicut enim aqua igni admota, nõ modò ignis calorem, sed etiam motum & agilitatem participat (vnde salit, & sursum more ignis agitur) ita homo Christi Domini Spiritu hausto, in eam dignitatis excellentiã supra naturę suæ conditionem attollitur, vt diuinæ puritatis & sanctitatis particeps efficiatur. Quod vt clariùs percipi possit, celebris illa Dionysij sententia ad memoriã reuocanda est: nempe tria esse in vnaquaque re, quæ sibi inuicem eadẽ mensura respondeant: videlicet essentiam, potentiam, & operationẽ. Hæc enim inter se ita nexa & colligata sunt, vt dignitatẽ essentiæ sequatur magnitudo potentiæ, operationis autem dignitas potentiæ magnitudini respondeat. Quod quidem (vt alia prætermittamus exempla) in beatis illis mentibus videre facile est: quarum quæ præstantior est, eadem maiorem ad operandum facultatẽ habet, & maiora item edere prodigia potest. Cùm ergo maximè proprium diuinæ gratiæ sit, diuinum quoddam & supernaturale esse homini conferre: consequens est etiam, vt facultas operandi, & operum dignitas, huius diuini esse dignitati respõdeat. Quare necesse est, vt, quisquis hoc cælesti beneficio afficitur, diuina virtute fulgeat, diuina opera edat, diuinam puritatem & sanctitatem imitetur, diuinaque potestate fretus, caput conterat serpentis antiqui. Quæ cùm ita sint, an non meritò Spiritus sanctus improbos homines arguet, quòd hanc illustrem noui Testamenti iustitiam tot modis leuigatam & ornatã repudiauerint? Quid igitur hi habent quod diuino Spiritui eos arguenti respondeant, cùm nihil ab auctore salutis nostræ prætermissum sit, quod ad cõmunem omnium causam cõduceret? Certè nihil aliud, quàm vt ipsi cum perditis hominibus errorem suũ serò deplorantes, illa Prophetę verba repetãt: Transiit messis,

Augus. [margin: Augusti.] Simile. [margin]

messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus. Quæ verò alia messis hoc in loco accipienda est, nisi donorum cælestiũ abundantia, quæ Christi meritis in mundum ad hominum salutem inuecta est? Quam qui socordia sua neglexerunt, has Prophetę voces, damnationis & negligentiæ suę indices, nequicquã posteà fundent. Qualis ergo erit illorum anxietas & perturbatio, cùm in extremo illo atq; horrendo examine apertè videant, se facilè tantam gloriam adipisci potuisse, quàm turpissimæ voluptatis aut vilissimi lucri pretio amiserunt, & in acerbissima illa ac nunquam finienda supplicia se ipsos præcipitarunt! Quid igitur miseri tunc facient? quò se vertent? quid consilij capient? cuius opem implorabunt? cùm omnes illis aditus salutis & misericordiæ interclusi sint? O nos, inquient, miseros, ô infelices, qui tantam salutis occasionem vltrò oblatam, & nunquam iterùm redituram amisimus! Hac igitur ratione Spiritus sanctus mundum arguet de iustitia. Christus enim Dominus, constituta iam in mundo iustitia, & salutis nostræ opere consummato, ad Patrem abiit: nec Saluatorẽ rursus expectare licet, quẽ iam venisse & rediisse confitemur. Hæc sunt igitur officia quæ Spiritus sanctus per Apostolos in mundo editurus est. Nunc quid in ipsis Apostolorum, cæterorumq. piorum pectoribus moliatur, videamus. Sequitur enim:

II.

Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. En primus Spiritus sancti fructus: quòd videlicet ea quæ propter mẽtis vestræ imbecillitatem, aut doctrinæ obscuritatẽ, capere modò non potestis, ille, qui omnium est artifex, omnem habens scientiam, opportuno tempore vobis tradet. Ex quo facilè aduersus hæreticorum temeritatem colligimus, multa alia fuisse quæ ex Spiritus sancti traditione Apostoli didicerunt, quę nondum à Christo Domino fuerant propalata: quandoquidẽ post hæc verba nihil ferè apud Euangelistas traditum ab eo inuenimus: quod quidem ipse testatus est, cùm in hoc ipso sermone ait: Iam non multa loquar vobiscum, &c. Supererant ergo alia quæ portare tunc discipuli minùs poterant; quæ tamen posteà Spiritus sancti magisterio discere, & nobis tradere deberẽt. Sed hæreticos missos facientes, ad ea, quæ profectui nostro deseruiunt, orationem conuertamus. Sequitur enim:

Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Anteà illum vocauerat Paracletum, quod (vt vidistis) cõsolatorem significat; qui videlicet mœrentem animum consolationis suæ visitatione lætificat: modò autem Spiritum veritatis appellat, qui mentem erudiat, & veritatis luce perfundat.

Nihil

Nihil ergo est in interno homine nostro, quod cælestis huius beneficij expers sit: quando & voluntas nostra spirituali lætitia, & intellectus veritatis splendore complentur. Vt igitur lætitia illa propter continuas huius vitę calamitates indigemus, ne doloribus victi, per immodicam tristitiam aut impatientiam concidamus: ita veritatis luce egemus, ne, tetris spiritualis huius Aegypti tenebris oppressi, in varios errores & præcipitia incidamus. Constat enim, illo cõmuni naturæ lapsu omnes interni hominis vires labefactatas, & ab illa integritate, in qua primùm conditæ fuerãt, deiectas. Voluntas enim imbecilla, liberum arbitrium infirmũ, cogitandi vis instabilis & vaga, irascendi verò crudelis & atrox, cõcupiscendi autem in affectibus suis effrenata, & habenarum impatiens relicta est. Sicut igitur omnes hæ animæ nostræ vires læsæ & sauciatæ fuerũt: ita princeps earũ ratio & intellectus ab hac cõmuni strage nõ omnino immunis fuit, sed tetris etiam tenebris obscurata, & ad veritatis lucem non minùs caligans, quàm ad clarissimũ Solis splendorẽ noctua. Huius ergo cæcitatis depellendæ gratia, diuini Spiritus luce (qui veritas prima est) egebamus, qui tenebras nostras discuteret, caliginẽ ab animo pelleret, & veritatis suæ luce omnia interiora nostra collustraret, sine cuius ope & magisterio ad veram sapientiam pertingere nemo poterit. Quam quidẽ sententiam (quò magis miremini) gentiles Philosophi Aristoteles & Plato assecuti sunt, quos ceteri Philosophi duo mundi lumina appellant. Aristoteles namque initio Metaphysicæ Dei munus esse sapientiam testatur; sine cuius numine mortalibus contingere non possit: causamque reddit, quòd humana natura variis curis, affectibus, & necessitatibus obnoxia sit: ideoque tot modis distracta atque impedita, sese totam sapientiæ studio tradere non potest; quod ad eam assequẽdam necessarium erat: ideò sine diuini numinis auxilio neminem illam consequi posse ait. Plato autem veram sapientiam in diuini numinis participatione atq; illustratione positam esse, longa oratione declarat. Primum enim ad sententiam suam explicandam discrimen inter oculos cæterosque sensus corporis assignat. Cæteri namque sensus sola egent obiecti præsentia, vt officio suo fungi possint. Fauces enim admoto cibo, eius saporem diiudicant: aures editam vocem protinus audiunt: tactus autem proximum ignem cæteraq. corpora, siue calida siue frigida, siue dura, siue mollia, vbi primùm tetigerit, sentit. At oculis hoc ipsum minimè sufficit. Quamuis enim corpora quæ videri possunt, oculis obiecta sint, nisi tamẽ externũ Solis aut lucernæ lumẽ adsit, nihil omnino cernere possunt. Sicut ergo corporeũ lumen oculis corporis, ita diuinum lumen mentis oculis, hoc est, intellectui nostro, vbi

Aristot.

Plato lib. de Repub.

vbi ad rerum cæleſtium contemplationem veramq́.ſapientiam nititur, neceſſariũ eſſe Plato ſentit. Niſi enim Dei luce extrinſecus adueniente illuminetur, ſalutarẽ ac veram ſapientiã conſequi non poterit. Hæc illi, quamuis Ethnici philoſophi: quæ magis ex Chriſtianorum, quàm ex Philoſophorum ſchola videntur eſſe deprompta. Quæ ideò retuli, vt vel ipſorum teſtimonio intelligatis, fratres, quantum mens noſtra hoc Spiritu veritatis indigeat, quò ad veram ſapientiam aſpirare queat.

Sed dicetis forſitan: Quónam modo tu mihi tenebroſum eſſe ais intellectum, qui tam multas variarum rerũ diſciplinas adinuenit, tam multa de cælorum & aſtrorum motu, ac de tota rerum natura diſſeruit, tótque ad humanæ vitæ vſum artes excogitauit: vt ea quæ arte & hominis ingenio conſtant, cum naturaliũ rerum multitudine ac varietate penè certare videantur? Fateor hæc ita ſe habere. Et quidem eſt hæc maxima humanæ vitæ miſeria: quòd cùm homo tam multa ſciat quæ parum ad veram ſalutem referunt, ſeipſum tamen neſciat; neque quò illi eundum, & quà ſit eundum, hoc eſt, neque vitæ ſuæ finẽ, neq; iter quo ad illum itur, niſi alieno magiſterio doctus, agnoſcat. Illud igitur hoc in loco aduertendum eſt, inter ea quæ intellectu comprehendimus, alia eſſe quæ ad ſolam cognitionem (in quibus nulli affectus dominantur) pertinent: alia, quæ ad mores, ac rectæ vitæ inſtitutionem ſpectant: in quibus turbulenti cupiditatum motus nobis obſiſtunt. Vbi igitur cupiditas dominatur, ingens caligo mentis oculis obfunditur: quandoquidem cupiditas velut quædam Babylonis fornax nõ modò variorum deſideriorum flammas, ſed atrum etiam denſiſſimumque fumi ex ſe vaporem exhalat, quo mentis noſtræ ſerenam lucem & ſplendorem obſcurat. Hinc tot vulgi errores & prauæ opiniones, hinc corrupta hominum iudicia, hinc tam falſa rerum omnium pretia, hinc tam multa ementita rerum nomina quibus virtutibus vitiorum, contraque vitiis virtutum nomina indiderunt. Hinc malum bonum, & bonum malũ; dulce amarum, & amarum dulce; lucem tenebras, & tenebras lucem appellant. Ex his autem corruptiſſimis iudiciis quales rerum electiones eſſe poterunt? Niſi igitur Spiritus ille cæleſtis, qui noſtros animos effinxit, eoſdem ſuæ lucis radiis accendat, in tenebris & caligine verſabimur: neque vera, recta, ſimpliciaq; videre poterimus: ſed inanibus quibuſdam viſis pulſi & agitati, & vmbris atq. imaginibus eluſi, pro veris & ſolidis bonis vaniſſima ſimulacra virtutis & honeſtatis amplexabimur. Mentis enim noſtræ lux Spiritus ille diuinus eſt, in quo ſolo tota veritatis ipſius claritas, omniſque beatæ vitæ ratio cõſiſtit. Vt igitur abſceſſu Solis neceſſe eſt oculis caliginẽ offundi, rerumq́. aſpectũ adimi, ita diuinæ

diuinæ lucis absentia mentes nostræ tetris tenebris obruuntur, aspectumq; veritatis amittunt. Mortifera igitur suis capitibus intenta tela non vident, vmbras autem extimescunt: puras & liquidas voluptates aspernantur, noxias & pestilentes adsciscũt: opes sempiternas negligunt, in falsis coaceruandis omne vitæ studium consumunt: verissimæ gloriæ dignitas quanta sit, ne suspicione quidem attingunt, temerariæ & insanæ multitudinis omnes rumusculos aucupantur. Vis enim dirę ac furibundæ cupiditatis præcipitem post se & intellectum, & liberum infirmi hominis arbitrium adeò potenter allicit, vt voluntas nostra eò feratur, quò affectus rapit; & intellectus sic in cupiditatis naturã degeneret, vt rationes etiã inueniat, quibus id, quod iniustè cupiditas appetit, iustissimum esse decernat. Vbi enim tot olim Pharisæorum errores, quos Dominus in Euangelio sæpè recenset, nisi in cupiditatis, hoc est, auaritiæ & voluptatis officina conflati sunt? Hinc illa Prophetæ querela: Caupones tui miscent vino aquam: qui videlicet austeritatem & acrimoniam cælestis doctrinæ carnalium interpretationum aqua diluebant. Vnde igitur hæc tanta peruersitas, nisi ab hoc eodem cupiditatis fonte manauit? Huius ergo rei gratia, fidelis quisque hoc cęlesti præceptore & veritatis magistro indiget, ne in tot pestilentissimos errores seductricis cupiditatis fallacia dilabatur.

Isaiæ 1.

Ad stabilitatem quoque & firmitatem perceptæ veritatis, cęlestis huius magistri auctoritas necessaria est; ne (vt Apostolus ait) circumferamur omni vento doctrinæ, sed illã magis stabilitatem sectemur, quam nobis Ecclesiasticus cõmendat cũ ait: Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia. Cùm autem sensum nostrum nominat, non humanum sensum intelligit, sed quem Spiritu suo nobis Deus cõtulit; de quo idem Apostolus ait: Nos autem sensum Christi habemus. Idem quoque rursus admonet dum ait: Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. Est enim stabilis & prędicanda humilitas: est rursum leuis & accusanda, quę populari auctoritate & opinione ducta, rectũ animi sensum deponit; & leuis vulgi iudicium sequitur. Quæ res quãtum moribus nostris & rectæ vitæ institutioni noceat, eleganter Seneca docet his verbis: Nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur; optima rati ea quæ magno assensu recepta sunt, quorumq; exempla multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Versatque nos & pręcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modò separemur à cœtu. Nunc verò stat contra rationem defensor mali sui populus. Cùm de beata vita agitur, non est quòd mihi illud discessionum morę respondeas: Hæc pars maior

Ephes. 4.
Eccli. 5.
1. Cor. 2.
Seneca de vita beata.

maior esse videtur. Ideò enim peior est. Non tam benè cum rebus humanis geritur, vt meliora pluribus placeāt. Argumentum pessimi turba est. Quæramus quid optimum factu sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis ęternę constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgus autem tam chlamydatos, quàm coronatos voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, aspicio: oculis de homine non credo. Habeo melius certiusque lumen, quo à falsis vera diiudicem. Animi bonum animus inueniat. Hactenus Seneca. Ceterùm ad huius tanti Philosophi consilium amplectendum, vulgique auctoritatem cōtemnendam, naturæ nostræ vis minùs sufficit, nisi diuini Spiritus auctoritate fulciatur: qua aduersus mundanæ auctoritatis torrentem (in quo tot sceptra, tot fasces, tot seculi sapiētes numerantur) ineluctabili eius veritate fulti consistere valeamus: quomodo Caleb & Iosue aduersus sexcenta hominum millia, huic ipsi veritati firmiter adhærentes, sese opposuerūt, quodque mirabilius est, solus Noë aduersus totius orbis consensum iustitiam colere & retinere potuit. Quæ enim alia vis aduersus totius generis humani sententiam, nisi cælestis auctoritas, stare immota potuisset? Hunc igitur veritatis Spiritum assiduis precibus & lacrymis petamus, fratres; vt eius virtute roborati, eam in pietatis & iustitię proposito constantiam retineamus, quam nec mundi potentia infringere, nec manes inferorum euertere, nec vllæ carnis nostræ illecebræ labefactare, nec vlla denique terrenæ prudentiæ argumenta deducere à mente possint; vt ita demùm ad finem vsque vitæ perseuerantem in Dei famulatu animum conseruantes, cælestem illam coronam, quæ fideliter perseuerantibus à Domino promissa est, ipso donante percipere mereamur.

IN EADEM DOMINICA QVARTA POST PASCHA, CONCIO TERTIA: IN qua, quibus potiſſimùm virtutibus ad Spiritus ſancti aduentum præparari debeamus, exponitur. Ad quod ſententia verbis Thematis comprehenſa paulo latiùs declaratur.

THEMA. *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ioan. 16.



N omnibus ferè lectionibus quæ his Dominicis diebus, qui inter reſurrectionem Domini aſcenſionemque fluxerunt, aduertere, fratres chariſſimi, potuiſtis, mentionem ferè vbique de Spiritus ſancti aduentu fieri. Vt autem intelligamus, quo conſilio hoc ab Eccleſia factitatum ſit, annotandũ priùs eſt, commune eſſe omnibus cauſis efficientibus, nihil niſi in materia apta atque præparata efficere poſſe. Hinc medici à noxiis humoribus ægrotantiũ corpora purgaturi, quibuſdam priùs potionibus humores ipſos exagitãt, & velut à ſedibus ſuis auellere ſtudent; fruſtrà cætera, niſi hoc antè præceſſerit, tentaturi. Quamuis autem naturæ conditor in operibus gratię his legibus aſtrictus minimè teneatur (facilè enim in oculis eius Eccli. 11. Matth. 3. eſt, vt Eccleſiaſticus ait, ſubitò honeſtare pauperem, & ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ) ferè tamen hoc loco ipſo ordine nõ modò naturã vniuerſam, ſed Eccleſiã quoque ſuã admini-Sap. 11. ſtrat: vtpote qui ſuauiter omnia in numero, pondere, & mẽſura diſponat. Hinc Prophetarum chorũ ante Chriſtum Dominũ præmiſit, qui eius aduentum hominibus prænuntiantes, eos ad illum dignè excipiendum præpararent. Inſtante verò iam aduentu ſuo, præcurſorem ſanctiſſimum ab ipſis materni vteri Matth. 3. Lucæ 2. viſceribus Spiritu ſancto plenum deſtinauit, qui (vt Zacharias pater eius cecinit) prę iret ante Dominum parare vias eius. Ipſe verò Dominus à præcurſore nuntiatus, velut quidam Spiritus ſancti præcurſor extitit, qui & paſſionis ſuæ ſacrificio eius aduentum promeruit, & clariſſimis doctrinæ inſtitutis ad eius gratiam percipiendam homines præparauit. Inter præcipua enim Chriſti officia hoc in primis numeratur, quòd diſcipulorum ſuorum corda ad Spiritum ſanctum excipiẽdum aptauerit. Ioannes igitur præcurſor Chriſti; Chriſtus verò præcurſor fuit Spiritus ſancti. Quòd ſi ex dignitate Ioannis Chriſtũ prę-

nuntian-

nuntiantis, Christi dignitatem agnoscimus: qualis erit Spiritus sancti dignitas, qui ipsum Christum Dominum, totius sanctitatis auctorem, habuit præcursorem?

Hoc igitur animaduertens Ecclesia, singulis anni temporibus nititur nos ad diuina mysteria conuenientibus initijs præparare. Ad Natalē enim Domini diē quatuor antè hebdomadibus, toto videlicet Dominici Aduentus tēpore, nos præuenit, quo ad Festum illud ita præparemur, vt, cùm in mūdo nascitur Christus, in mentibus quoq; nostris misericorditer renasci dignetur. Ante eius verò Resurrectionē quadraginta diebus, toto videlicet Quadragesimæ tempore, ieiunijs, orationibus, sacrisq́ue concionibus pectora nostra purgare cōtendit, vt, resurgente Domino, nos quoque cum illo pariter resurgamus: hoc est, vt nostra quoq; cum illo resurgat vita, pietas, atque iustitia. Ad sacratissimū verò festum Pentecostes (quod modò instat) quo Spiritus sanctus in discipulorū corda delapsus, eos sui similes, hoc est, spirituales fecit atq. diuinos (ad quod omnia alia Christi beneficia atque mysteria destinantur) quinquaginta diebus præparat nos, vt cū discipulis ipsis aduētū huius diuini Spiritus exspectātes, ac desiderantes, assiduisq. votis & precibus eius opē flagitantes, cū illis tandem eodem dono potiri mereamur. Hoc est igitur hisce diebus Ecclesiæ propositum atque consilium. Vt hoc autem piè & religiosè præstare possimus, cælestē opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quoniam in hodierna sancti Euangelij lectione (vt dicere cœpimus) discipulos suos Dominus ad Spiritus sancti (quem toties promiserat) aduentum preparare studet, de eius primùm donis & officiis, deque animi nostri præparatione ad ea dona percipienda, disserit. Quia verò hæc sacra lectio multis maximisq́ue mysteriis referta est, neq; omnibus explicandis aut facultas nostra, aut temporis angustia sufficit, duas solū insignes eius sententias explicare aggrediar. Primùm enim qua ratione Spiritus sanctus veritatis Spiritus esse dicatur, excutiā. Deinde cur is, nisi abeunte Christo, ad discipulos venire non debebat. Priùs tamen quàm hæc ipsa tractare incipiā, lectionis Euangelicæ textum quàm breuissimè percurram. Ait igitur Dominus: *Vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrū. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos,* & cætera quæ sequuntur vsque ad finem.

I:

Iam nunc, quod promisimus, exequi incipiamus. Et primùm quidem

quidem qua ratione Spiritus sanctus veritatis spiritus esse dicatur, expendamus: hoc est, qua ratione clarissimus hic veritatis doctor ab aliis veritatis doctoribus distinguatur. Ad hoc igitur respondemus, quòd quamuis sapientes homines docere possint veritatem, & eam quidem veritatem, quæ ad pietatis & iustitiæ cultum spectat: lōgè tamen aliter Spiritus sanctus, atq; eruditi etiam homines, veritatem docet. Isti enim intellectum solùm erudiunt, volūtate ieiuna & arida permanente. Præuolat enim intellectus, & sequitur tardus aut nullus affectus. At diuini huius Spiritus doctrina æternū Patris Verbum imitatur: quod quidem mira & ineffabili fecunditate spirat amorem. Quo fit, vt non modò intellectum illuminet, sed voluntatem etiam afficiat, & incendat, & in eum affectum rapiat, quē traditę veritatis cognitio postulat. Hinc summus virtutis amor, quòd eam hic Spiritus pulcherrimā depingat: summū verò peccati odium quòd illud maximè deforme ac detestabile esse doceat. Quid
Dan. 13. enim in causa fuit, vt sancta illa femina Susanna, morte & extrema infamia ante oculos posita, nullo modo ad peccatum potuerit induci, nisi quia cælestis hic Spiritus ita mentem illius ad detestabilem sceleris deformitatem agnoscendam illuminauerat, & ita in eius odium accenderat, vt mortis supplicium longè vilius habuerit, quàm peccati deformitate maculari? Libet hoc in loco, fratres, carnalis hominis personam sustinere, & cum hac sancta femina sic agere: Animaduerte, quæso, mulier, nisi horum senum voluntati consentias, mortem tibi iam iam imminere, quam Philosophi omnium terribilium extremum esse dicunt; & quidem non quoduis mortis genus, sed atrocissimū: omnium quippe manibus lapidanda es. Id quidē (inquiet illa) non ignoro. Vide etiam nominis & famæ tuæ dedecus, quòd videlicet ab omnibus adultera iudicanda es, quæ anteà pudicitiæ nomine apud omnes celebrabaris: qui tunc admirari incipient, quòd tam diu sub sanctitatis imagine inclusas domi libidines occultaueris. Et id quidem (dicet illa) probè teneo. Considera etiam dilectissimi viri tui publicum dedecus, & filiorum tuorum ignominiam: quos infamiæ tuæ hæredes relinques: qui tanquam adulteræ matris filij omnium contumeliis expositi erunt. Et id quoque (inquiet) satis compertum habeo. Quid tibi ego rursus familiæ tuæ labem, quid dolorem patris, quid matris, quæ te genuit, non vnius diei, sed totius vitæ lacrymas, commemorem, quorum miserabilem canitiem immatura mors & infamia tua deducet cum mœrore ad inferos? Nihil horum (respondere illa poterit) me latet: & quidem ista omnia, quæ retulisti, animum meum vehementer cruciant. Neq; enim fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ęnea est. Verumta-

rumtamen aduersus ista omnia vnam peccati deformitatem oppono: cuius tantũ apud me odium ac detestatio est, vt omnia ista, quę retulisti, mala & si qua sunt grauiora, subire parata sim potiùs, quàm tantũ in Deũ nefas admittam. Sic, fratres, sancta hæc fæmina peccatum detestabatur: quæ à Spiritu sancto erudita, eius malitiam ac deformitatem agnouerat, parique odio prosequebatur. Quid ad hæc nos miseri dicemus, qui leuissimis de causis ad quæuis lethalia crimina patranda inducimur? Quibus verò lacrymis, quibus lamentis hanc peccandi facilitatem prosequemur? Hæc enim res coniecturã facit, nondũ hanc diuini Spiritus lucẽ cordibus nostris illuxisse. Quod cuius periculi sit, vobis cogitandum relinquo. Hoc igitur modo Spiritus sanctus afficit, quos erudit. Quod alia huius loci versio non obscurè indicat, quæ pro eo quod nos legimus; *Docebit vos omnem veritatem*, habet, Ducet vos in omnem veritatem: nõ enim docere contentus (quod minùs esse videbatur) mentẽ etiam interno motu suo ducit in hoc ipsum quod docet. Hac ergo ratione cælestis hic veritatis Magister docere pios homines solet.

Cæterùm quam is veritatem siue doctrinam doceat, sequẽtia Domini verba insinuare videntur: *Non enim*, inquit, *loquetur à semetipso: sed quæcũque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annũtiabit vobis.* Hunc locum veteres quidem interpretes ad diuinarum personarum processionem non incommodè referunt: recentiores tamen, qui nimiùm litteræ adhærent, sic exponunt, vt dicant, Spiritum quidem sanctum non aliam doctrinam aliáve dogmata, quàm quę Christus Dominus docuit, hominibus traditurum: sed eãdem ipsam magnificis signis & miraculis confirmaturum. Hoc enim Dominus significat, cùm ait, *De meo accipiet* (hoc est, de doctrina mea) *& annũtiabit vobis.* Hoc autem Spiritus sancti officium in maximam Christi Domini claritatem & gloriam redundabat: quando quæ is inter homines agens docuit, Spiritus sanctus, hoc est, omnipotens Deus, rata, firma, stabilia & diuina esse Apostolorum testimonio, & mirandis operibus comprobabit. Idemque Spiritus diuinitatem & gloriam Christi eorundem Apostolorum operâ mirificè illustrabit. Quod enim aliud Apostolorum munus fuit, quàm hanc gloriam prædicare? & portare nomen eius coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël? Quid aliud omnes Pauli epistolæ, quàm Christi gratiam, benignitatem, humanitatem, sanctitatem, & immensam erga genus hominum charitatem (quę supereminet omnem scientiam) & imperuestigabiles eius opes atque diuitias spirant?

II.

Hactenus priorem, quam polliciti sumus, sententiam de Spiritus

ritus sancti magisterio explicauimus. Nunc alteram quam verbis Thematis comprehendimus (quæ maiorem parit difficultatem) tractare aggrediamur. Ait namq. Dominus: *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cur, quæso, Domine, non veniat Spiritus hic te præsēte? Quid præsentia tua Spiritus sancti præsentiā impedire potest? Si enim puritas & innocentia homines ad hunc Spiritum excipiēdum præparat, quid magis ad hanc ipsam puritatē & innocentiam consequendā iuuare poterit, quā doctrina tua, præsentia tua, & custodia tua? Ad hanc autē quæstionē vno ferè consensu sancti Patres respondent; hoc nimirum diuino cōsilio statutum ac decretum fuisse, vt non essent duo simul in hoc mundo cōsolatores, alter visibilis, alter inuisibilis; sed vt visibilis subtraheretur, quò inuisibilis mitteretur: vt hac ratione pij omnes intelligerent, quàm magnū voluptates & cōsolationes seculi, & lauta vita, ad cælestis huius Spiritus cōsolationes percipiendas impedimentū præstarent: quando illa visibilis consolatio, quæ ex sanctissimæ humanitatis Christi consortio manabat, pleniorē diuini Spiritus fructum (qua ratione, infrà declarabimus) impediebat. In ea siquidem hærentes ac defixi semper discipulorum oculi, nihil aliud quærebant, quia illud solùm sibi sufficere credebant. Itaque sicut Petrus in monte gloriā Domini cōtemplatus aiebat, Domine, bonum est nos hîc esse, nihil aliud expetens quàm quod tūc oculis vsurpabat: ita discipuli, pulcherrima illa Domini Saluatoris præsentia contenti, nihil aliud sibi esse optandum putabant. Ideoque ab hoc lacte depellendi erant, quò solidiori diuinitatis eius cibo alerentur. Sacræ enim humanitatis contemplatio hoc nomine potissimū commēdatur: quòd per eam mens nostra ad diuinitatis cognitionem assurgat. Nullibi enim magis quàm in ea diuinæ bonitatis, charitatis, misericordiæ, & iustitiæ splendor elucet. Discipuli verò adhuc rudes, sola præsentis Domini specie contenti, vlteriùs minimè procedebant. Hac igitur de causa Saluator ait, *Expedit vobis vt ego vadam.* Hoc est, expedit, vt forma serui vestris subtrahatur aspectibus, vt amor diuinitatis altiùs vestris infigatur mentibus.

Prima ratio.

Mat. 17.

His etiam adde, quòd ad illos potissimùm Spiritus sanctus venire solet, qui, omni humano auxilio destituti, spem omnem suam in sola eius misericordia posuerunt, qui ab vno illo pendent, quique illius opem & auxilium semper implorant. De his enim dicitur: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Pauperes verò atque orphanos appellat eos qui omni humano præsidio destituti sunt, quales pueri esse solent parentibus orbati. Hinc sæpè idem sanctus Propheta hanc orbitatē & so-

Secunda ratio.

Psal. 11.

& solitudinem suam Domino repræsentat, quò eum ad misericordiam flectat. Erue, inquit, à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicã meã. Pro quo semper D. Hieronymus ex Hebr. vertit, solitariã meam, hoc est, omni humana ope destitutam, ab omnibus derelictam, tibique vni reseruatam.

Hanc autem solitudinem nunquam discipuli præsente Domino Saluatore experirentur: nec se tales ante conspectũ Domini præsentarent, cùm sub tali custode ac parente securi & intrepidi vitã agerent, sicut ipse ad Patrem ait: Cùm essem cũ eis ego seruabam eos. Ioan. 17. Hoc ipsum tamen eo abscedente cumulatissimè præstiterunt. Tunc enim cùm se magistro (cui omnis eorum salus & fiducia innitebatur) orbatos vidissent, seque orphanos in medio nationis prauę ac peruersæ relictos esse intellexissent, neque quicquam omnino præsidij & spei, nisi in solo Spiritus sancti aduentu repositum haberent, toto mentis affectu ad illius opem confugientes, dies noctesque vnanimiter in orationibus cum Maria matre Iesu, sanctisque mulieribus tãto maiori studio perseuerabant, quanto se magis omni humano auxilio destitutos esse intelligebant: quæ quidem maxima ad Spiritus sancti dona percipienda præparatio fuit. Quocircà magno diuinæ prouidentiæ consilio factum est, vt Christus Dominus ab eis discederet, quò maiori donorum plenitudine Spiritus sanctus in eos descenderet.

Hoc autem exemplum illos potissimùm consolatur, qui variis calamitatibus, morbis, & inopia premuntur: præsertim cùm hæc incommoda æquo animo ferunt. His enim finitima certè Paracleti Spiritus consolatio est, qui per Salomonem præcipit: Prou. 31. Date siceram mœrentibus, & vinũ his qui amaro sunt animo. Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & dolorum non recordentur ampliùs. Apertè enim his verbis vinum illud, quod lætificat cor hominis, non voluptate dissolutis, non diem in ludis & fabulis traducentibus; sed iis qui amaro sunt animo, propinare Dominus iubet: Bibant, inquit, & obliuiscantur egestatis suæ, & laborum non recordentur ampliùs. Dulcedinis enim & suauitatis huius magnitudo laborũ omnium sensum ac memoriam delet. Quàm magnum verò est hoc diuinæ miserationis indicium quòd illa suauitas, illa iucunditas, illa serenitas, in qua nihil inquinatum incurrit, animæ laboranti gratiam suæ visitationis impẽdat, & omnia mentis eius claustra penetrans, eius labiis quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, atque ineffabili suauitate sua blandiatur mœrenti, cunctantem alliciat, animet desperantem! Hanc autem diuinæ consolationis dulcedinem Daniel Propheta, sese propter Deũ affligens, expertus est, cui ab Angelo dicitur: Noli timere Daniel, quia ex Dan. 10.

die primo quo posuisti cor tuum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. Præmiserat enim paulo antè Daniel dicens: In diebus illis ego Daniel lugebam triũ hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum. Hos ergo qui ita lugent, qui ita à se carnis abdicant oblectamenta, Spiritus hic diuinus visitat, reficit, consolatur, mirisque deliciis recreat, quibus cum nullæ huius mundi deliciæ comparari possunt. Quid enim putida caro & sanguis ad Spiritus sancti delicias?

Nunc ad vos, fratres. Si hæc tam sancta consolatio, quã humanitatis Christi præsentia pariebat, quòd aliquid haberet corporeũ atque visibile, nonnihil impedimenti præstabat ad diuinas Paracleti Spiritus consolationes recipiẽdas; quid, quęso, faciet densissima illa nebula, aterque fumus terrenarũ consolationum, mentis oculos perstringens? Quãto hæc maiorem diuino Spiritui obicẽ ponet. Rectè enim D. Bernardus: Pręoccupatum secularibus desideriis animam delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terrã. D. quoq. Gregor. Tanto quisque, ait, à superno amore deiungitur, quanto inferiùs delectatur. Idemque, Seculares, inquit, mentes quantum se foris per desideria dilatant, tantum ad receptionem diuini Spiritus sinum cordis angustant.

Bernard. super Cantic. ser. 77.

Gregor. in Mor.

III.

Quisquis igitur cælestis huius Paracleti deliciis frui desiderat, omnibus carnis & vitæ huius deliciis renuntiare cõtendat. Qui verò contrà faciunt, omnem hanc Paracleti Spiritus consolationem (quàm diu sic permanent) à se repellũt. Quis enim medicum in domum sani & valentis, aut quis chirurgum ad integrum & nullo vulnere sauciatum mittat? Multo ergo minùs Deus cælestem hunc Consolatorem in animam terrenis consolationibus affluentem destinabit.

Cant. 3.

Ideò Sponsa in Cant. Sponsum in lecto quæsiuit, & non inuenit: quia videlicet qui in lecto terrenarum deliciarum quiescentes, diuini Spiritus delicias quærunt, inuenire nequaquam poterunt. Delicata est enim (ait Bernardus) diuina cõsolatio, & non datur admittentibus alienam. Quid autem mirum, si non datur quod non quæritur, cùm Dominus dicat: Quærite, & inuenietis? At qui carnalibus deliciis affluunt, spirituales minimè quærunt. Cuius rei causam esse sancti Patres definiunt, quòd quemadmodum piscibus in aqua commorantibus terrestris habitatio molesta est; ita hominibus, carnis deliciis & voluptatibus assuetis, omnia spiritualia studia atque exercitia (quibus diuina consolatio quæritur) insipida & ingrata sunt:

Matth. 7.

Simile.

vtpote

vtpote qui palatum animæ prauis vitiorum humoribus corruptum gestent. Spiritualibus enim spiritualia maximè aptantur: animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.

Quocircà spiritualem vitam amplecti contendat, quisquis amœnissimo hoc paradiso deliciarum frui optat. Cōgrua enim ad aliquam formam recipiendam præparatio est, ipsius formæ introducēdæ anticipata quædam similitudo. Lignum enim per calorem ignis ad ipsius ignis formam pręparatur: quo fit, vt calor ad calorem præparet, imperfectus videlicet ad perfectiorem. Vnde liquet, spirituales viros esse debere, qui diuini Spiritus deliciis circumfluere debent. Simile.

Quod nulli cumulatiùs præstant, quàm qui illa Petri Apostoli verba factis exprimere conantur, quibus ait: Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Hoc enim peregrini ac præcipuè exulis proprium est, vt, quàm diu extra patriam peregrinatur (in qua vxorem, parentes, liberos, agros, & domicilium habet) totus ibi cogitatione & amore sit, nihilque frequentiùs quàm patriam corde & ore versare soleat, de nulla re libentiùs audire, nihilque magis desiderare, quàm vt, exilio & peregrinatione finita, lares proprios patriamque reuisat. Qui igitur se hoc modo tanquam exules & peregrini in hac vita gerunt, qui se non habere hìc ciuitatem manentem, sed futuram inquirere intelligunt, qui radices non in terra, sed in cælo fixas habent, qui tāquam aduenæ & peregrini velut in transitu terrena omnia quasi protinus relicturi contemplantur; hos, inquam, Spiritus ille cælestis velut legitimos filios agnoscit, eosque cælestibus disciplinis informandos, spiritualibusque deliciis nutriendos suscipit. 1. Pet. 2.

Harum verò deliciarum magnitudinem ipsæ quoq; cælestes virtutes in Sponsa contemplantes, vehementer admiratæ quęrunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectū suū? In deserto nihil nisi tristis solitudo est, nihilque ibi reperitur quod intuētium oculis aliqua pulchritudinis specie blandiatur. Qua similitudine eius animæ status designatur, quæ nihil ex hoc mundo quærit, nihil appetit, nihil immodica & anxia solicitudine curat, nihilque nisi Deum aut propter Deum diligit. In hoc autē deserto erat Paulus cùm diceret: Vsque ad hanc horā esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, hoc est, incertis vagamur sedibus. Et quoniam in hoc deserto erat, tot meruit affluere deliciis, vt verè dicere posset: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Quo magis ergo propter Deum quisque fuerit afflictus, hoc maiores 1. Cor. 4. 2. Cor. 1.

maiores ab hoc Spiritu paracleto consolationes percipiet. Sicut enim quo quisque pauperum grauiùs ægrotat, hoc magis illi hospitalium medicaméta debentur: ita quo magis pij homines propter Deum affliĉtantur, hoc ad spirituales delicias magis idonei fiunt. Hinc D. Augustinus, Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quã mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! quàm mira suauitas amoris tui, qua perfruũtur illi qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Quicunque verò aliud diligunt, aliud quærunt, quod non propter Deum quærunt, frustrà hac diuini amoris dulcedine frui cupiunt. Duo enim amores (ait idem) alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul in eodem capiunt pectore. Quamobrem illi qui terrenarum rerum amore in terram defixi sunt, hoc cælesti beneficio frui minimè possunt.

Simile. Auguſt. Idem.

Simile. Habet enim anima nostra, quemadmodum & Luna, suam eclipsim. Eclipsis enim Lunæ est, cùm terrę globus, Sole in aduersa regione consistente, medius inter vtrumque sidus opponitur, qui mole sua impediméto est, quo minùs Solis splendor Lunã perfundere & illustrare valeat. Simili ergo ratione mens nostra suam patitur eclipsim, cùm tota in terrenarũ rerũ amore defixa, aditũ superni Solis radiis obstruit, ne illã rectà petere, & illuminare valeat. Quoties igitur ad terrena immoderato amore cõuertimur, toties à diuinæ lucis splẽdoribus auertimur.

Quid autem illos commemorem, qui nõ ad horam tantùm, sed perpetuam, vt ita dicam, patiuntur eclipsim, qui videlicet terrenis rebus perpetuò incubantes, nũquam mentem ad diuina conuertunt? Hi planè in tenebris Aegypti cõmorantes, nullamque penè spiritualium rerum cognitionẽ habentes, per tenebras ad tenebras pergunt, videlicet per interiores tenebras mentis ad exteriores perpetuæ obscuritatis. Quicunque igitur diuinæ lucis radiis perfrui volumus, ab huius seculi amore animum auocantes, Deum semper intueamur, diuina mente & cogitatione versemus, laboresque honestatis gratia susceptos non horreamus.

Quæ cùm ita sint, quàm longè, quæso, ab huius diuini Spiritus consolationibus atq. deliciis absunt, qui non modò terrenis curis, sed terrenis etiam voluptatibus se totos addixerunt? In eos enim tẽporum mores incidimus, vt Christianorũ plurimi, Epicuri magis quã Christi dogmata sequẽtes, omnes suas viuendi rationes ad voluptatem composuerint, carni seruientes, carnem fouentes, carnemque omni deliciarũ genere oblectantes. Quorsum ergo ad hos venire debeat consolator, qui carnis cõsolationibus oppleti sunt? Quid, quæso, cõtumeliosiùs in



in Christianum hominem cadere potest (qui aliam vitam, alias opes atque delicias profitetur) quàm huiusmodi vitæ institutio, quæ tota ad voluptatem composita est? Quāto aliter Seneca, quāuis Gentilis! Maior, inquit, sum, & ad maiora natus, quā vt sim mancipiū corporis mei. Itaque, frater, si cælestia cupis, cōtemne terrestria; si hoc vino cupis inebriari, ebrietatē seculi relinque: si vis bibere calicē Domini, proiice calicē dæmoniorum: deniq. si infundi cupis, effundere debes. Stetit oleū viduæ, vbi vasa vacua non inuenit: cuius tamen vena nunquā obstructa est, quàm diu vasa reperit vacua. Quis enim in vas felle plenū liquorē mellis infundat? At voluptas mundi quid aliud quàm fel aspidum est? Cuius amaritudo si modò minimè sentitur, erit tamen vbi vim & amaritudinē suam ostendat. Hoc enim illa Salomonis verba significant; Suauis est homini panis mēdacij, sed posteà replebitur os eius calculo. Panē verò mendacij voluptatē seculi appellat, quæ sub dulcedinis specie sempiternā posteà amaritudinē parit. Has ergo, fratres, voluptates & seculi blandimenta, tanquā panē mendacij, & venena aspidū declinemus, malesuadæ carnis cupiditatibus repugnemus, crucem Domini viriliter amplectamur, eiusq. vestigiis insistamus, qui omnia carnis blandimenta, velut lethalia venena, & à se repulit, & nobis repellenda monstrauit. Sic enim fiet, vt fluxa & celeriter interitura bona repudiantes, pro carnalibus spirituales, pro terrenis cælestes, & pro temporariis æternas delicias percipere mereamini donante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in secula seculorum, Amen.

Seneca in Epist.

Prou. 20.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA, CONCIO PRIMA: IN QVA prior lectionis Euangelicæ pars explanatur.

THEMA. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*



SI rectè meministis, fratres charissimi, omnes ferè sancti Euangelij lectiones quæ hoc Paschali tēpore Dominicis diebus propositæ ab Ecclesia sunt, magnopere sacri huius tēporis rationi conueniunt. Est enim tempus hoc spirituali lætitiæ consecratum: quod illa vox Alleluia lætitiæ spiritualis index (quæ toties inter diuinas laudes repetitur) facilè declarat. Lectiones porrò Euangelicæ non terrorem aliquem, sed ineffabilem

Simile. maiores ab hoc Spiritu paracleto consolationes percipiet. Sicut enim quo quisque pauperum grauiùs ægrotat, hoc magis illi hospitalium medicaměta debentur: ita quo magis pij homines propter Deum afflictantur, hoc ad spirituales delicias magis
August. idonei fiunt. Hinc D. Augustinus, Quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quã mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! quàm mira suauitas amoris tui, qua perfruũtur illi qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Quicunque verò aliud diligunt, aliud quærunt, quod non propter Deum quærunt, frustrà hac
Idem. diuini amoris dulcedine frui cupiunt. Duo enim amores (ait idem) alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul in eodem capiunt pectore. Quamobrem illi qui terrenarum rerum amore in terram defixi sunt, hoc cælesti beneficio frui minimè possunt.

Simile. Habet enim anima nostra, quemadmodum & Luna, suam eclipsim. Eclipsis enim Lunæ est, cùm terrę globus, Sole in aduersa regione consistente, medius inter vtrumque sidus opponitur, qui mole sua impediměto est, quo minùs Solis splendor Lunã perfundere & illustrare valeat. Simili ergo ratione mens nostra suam patitur eclipsim, cùm tota in terrenarũ rerũ amore defixa, aditũ superni Solis radiis obstruit, ne illã rectà petere, & illuminare valeat. Quoties igitur ad terrena immoderato amore cõuertimur, toties à diuinæ lucis splẽdoribus auertimur.

Quid autem illos commemorem, qui nõ ad horam tantùm, sed perpetuam, vt ita dicam, patiuntur eclipsim, qui videlicet terrenis rebus perpetuò incubantes, nũquam mentem ad diuina conuertunt? Hi planè in tenebris Aegypti cõmorantes, nullamque penè spiritualium rerum cognitionẽ habentes, per tenebras ad tenebras pergunt, videlicet per interiores tenebras mentis ad exteriores perpetuæ obscuritatis. Quicunque igitur diuinæ lucis radiis perfrui volumus, ab huius seculi amore animum auocantes, Deum semper intueamur, diuina mente & cogitatione versemus, laboresque honestatis gratia susceptos non horreamus.

Quæ cùm ita sint, quàm longè, quæso, ab huius diuini Spiritus consolationibus atq. deliciis absunt, qui non modò terrenis curis, sed terrenis etiam voluptatibus se totos addixerunt? In eos enim tẽporum mores incidimus, vt Christianorũ plurimi, Epicuri magis quã Christi dogmata sequẽtes, omnes suas viuendi rationes ad voluptatem composuerint, carni seruientes, carnem fouentes, carnemque omni deliciarũ genere oblectantes. Quorsum ergo ad hos venire debeat consolator, qui carnis cõsolationibus oppleti sunt? Quid, quæso, cõtumeliosiùs in



in Christianum hominem cadere potest (qui aliam vitam, alias opes atque delicias profitetur) quàm huiusmodi vitæ institutio, quæ tota ad voluptatem composita est? Quãto aliter Seneca, quãuis Gentilis! Maior, inquit, sum, & ad maiora natus, quã vt sim mancipiũ corporis mei. Itaque, frater, si cælestia cupis, cõtemne terrestria; si hoc vino cupis inebriari, ebrietatẽ seculi relinque: si vis bibere calicẽ Domini, proiice calicẽ dæmoniorum: deniq. si infundi cupis, effundere debes. Stetit oleũ viduæ, vbi vasa vacua non inuenit: cuius tamen vena nunquã obstructa est, quàm diu vasa reperit vacua. Quis enim in vas felle plenũ liquorẽ mellis infundat? At voluptas mundi quid aliud quàm fel aspidum est? Cuius amaritudo si modò minimè sentitur, erit tamen vbi vim & amaritudinẽ suam ostendat. Hoc enim illa Salomonis verba significant; Suauis est homini panis mẽdacij, sed posteà replebitur os eius calculo. Panẽ verò mendacij voluptatẽ seculi appellat, quæ sub dulcedinis specie sempiternã posteà amaritudinẽ parit. Has ergo, fratres, voluptates & seculi blandimenta, tanquã panẽ mendacij, & venena aspidũ declinemus, malesuadæ carnis cupiditatibus repugnemus, crucem Domini viriliter amplectamur, eiusq. vestigiis insistamus, qui omnia carnis blandimenta, velut lethalia venena, & à se repulit, & nobis repellenda monstrauit. Sic enim fiet, vt fluxa & celeriter interitura bona repudiantes, pro carnalibus spirituales, pro terrenis cælestes, & pro temporariis æternas delicias percipere mereamini donante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in secula seculorum, Amen.

Seneca in Epist.

Prou. 20.

DOMINICA QVINTA POST PASCHA, CONCIO PRIMA: IN QVA prior lectionis Euangelicæ pars explanatur.

THEMA. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*



SI rectè meministis, fratres charissimi, omnes ferè sancti Euangelij lectiones quæ hoc Paschali tẽpore Dominicis diebus propositæ ab Ecclesia sunt, magnopere sacri huius tẽporis rationi conueniunt. Est enim tempus hoc spirituali lætitiæ consecratum: quod illa vox Alleluia lætitiæ spiritualis index (quæ toties inter diuinas laudes repetitur) facilè declarat. Lectiones porrò Euangelicæ non terrorem aliquem, sed ineffabilem

bilem Christi charitatem, & Paracleti Spiritus dona & solatia continent.: quibus Dominus discipulorum suorum mœrorem, qui illis ex suo discessu acciderat, lenire curabat. Hodierna verò sancti Euangelij lectio non illos modò, sed nos omnes ita consolatur, vt vix in ea vllum verbum sit, quod non ingentem nobis fiduciæ, lætitiæ, & consolationis materiam præbeat. Ait enim primùm Dominus:

Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Quid his verbis dulcius? quid opulentius? quid mirabilius? Si enim Rex aliquis summa liberalitate erga familiarē aliquem amicū vti vellet quid illi ampliùs prestare potuisset? Hoc
3.Reg. 9. autem Dominū vni Salomoni præstitisse legimus: cui post magnificentissimam illam templi fabricam, post tam multarū pe-
4.Reg. 2. cudum sacrificia, iussit, vt, quicquid vellet, ab ipso postularet. Helias verò ex hoc seculo migraturus, dilectissimo discipulo ait: Postula quod vis, vt dem tibi. Hoc igitur, quod tam rarò inter homines contingit, in præsenti lectione non vni alicui amico, non dilectissimis discipulis solùm, sed omnibus in commune fidelibus Dominus exhibet, cùm ait: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Quia verò hæc tam magnifica promissio communem hominum fidem superare videbatur, apposuit duplicem asseuerationis notam: qua & promissionis suæ certitudinem ostenderet, & fidei nostræ imbecillitatem roboraret. Perinde enim est ac si diceret: Quamuis hoc fidei vestræ incredibile, & paruitati vestræ magnum videatur, verè tamen ita est: quia non hoc humanæ angustiæ donum, sed diuinæ, hoc est, immensæ liberalitatis beneficium est. Quantum ergo hac Dominica promissione fiducia nostra roboratur! quantum etiam socordia reprehenditur, qui adeò paratam & promptam Domini misericor-
Chrysol. diam repudiamus! Vt enim D. Chrysologus ait: Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia non dubitatur. Danda tamen, fratres, opera est, vt, cùm petimus, aliquid petamus. Ait enim Dominus: *Si quid petieritis*. Vt enim
August. D. Augustinus ait, Nō petit aliquid, qui fugitiuos honores, aut perituras diuitias, cæteraque terrena & interitura bona petit: quæ non vera & expressa bona, sed bonorum vmbras & simu-
Plato. lacra esse, Plato quoque testatus est. Certè spiritualibus rebus
Sap. 7. collata nihil sunt: quemadmodum Sapiens ille docuit, qui diuitias in comparatione sapientiæ nihil esse duxit. Aliquid ergo, hoc est, vera, solida, & sempiterna bona, quæ Deo digna sint, petere debemus. Dedecore enim & ignominia magnum principem afficit, qui exigua ab eo munuscula petit. Donum enim nō tam exiguitati postulantis, quàm dantis magnificen-
tiæ

tiæ respondere debet. Quod quidem Alexandrum cuidam ab eo munera petenti respondisse ferunt. Cùm enim is cuidam, donum aliquod ab eo petenti, ciuitatem donasset, & ille munus hoc conditioni suæ minùs conuenire dixisset: ille contrà, Ego, inquit, non quod te accipere dignum sit, sed quid me dare deceat, attendo. Si igitur hanc sibi dignitatem vilis homuncio arrogabat; quid immensam illam amplitudinẽ facere par est, cuius sunt omnia quæ in cælo & in terra sunt, quæque, vt multa donet, donando tamen nihil amittit? Cùm ergo aliquid ab illo petimus, nõ paruitatem nostram, sed illius amplitudinem, maiestatem, liberalitatem, & opes immensas cogitare debemus, vt conuenientia eius dignitati dona postulemus. Senec. lib. de benefic.

Si quid, inquit, *petieritis Patrem.* En aliud fiduciæ atque solatij plenissimum verbum: quòd videlicet nõ Deum, non Dominũ, sed Patrem appellat eum à quo petere iubet: nec Patrem meũ dicit: sed in commune Patrem. Meminerat enim se paulò pòst dicturum, Ascendo ad Patrẽ meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Qui enim illi Pater erat ab æterno per naturam, Patrem se nobis misericorditer exhibuit in tempore per gratiam. Quod quidem beneficium Vnigeniti sui non solùm consensu, sed etiam merito collatum homini est. Ad ius enim adoptionis, legitimæ prolis consensus accedere per leges debet. At Vnigenitus Dei Filius nõ modò consensum præbuit, sed id etiam à Patre precibus impetrauit, & clarissimis virtutũ officiis promeruit. Hinc Augustinus, Multos, inquit, filios Dei fecit vnicus Filius Dei: emit sibi fratres suo sanguine, probauit reprobatus, redemit venditus, viuificauit occisus. Quod ergo maius diuinæ bonitatis argumentum? quod clarius diuinę charitatis indicium, quod firmius spei nostræ robur & firmamentum? quò sublimiùs humanæ naturæ dignitas attolli debuit, quàm vt rerum omnium Dominum appellare Patrẽ posset? Quanti, quæso, dignitatẽ hanc Ioannes Euangelista æstimabat, cùm diceret: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus! Satis erat nominari, adiecit & esse; ne hunc honoris titulum vera & solida dignitate vacuum arbitraremur. Alienũ quippe à diuina largitate & veritate est, dignitatis nomina sine vera dignitate conferre. Reges enim & Põtifices, quorũ exiguę opes & tenues facultates sunt, honorifica sæpè nomina sine vllis opibus vel dignitatibus tribuunt: sic enim annulares Episcopos, sic Comitum vel Ducum illustres quidem, sed inanes titulos conferunt: at Dei veritas & magnificentia non inania & fucata, sed solida & vera dignitatum nomina imponit. Sic Abraham multarum gentiũ patrem & vocauit, & fecit. Sic Ioanni Baptistæ non modò gratiæ nomẽ indidit, 1. Ioan. 3. Dissimile. Genes. 7. Lucæ 1.

indidit, sed etiam gratiam contulit, quando illum in materni adhuc vteri angustiis inclusum Spiritu sancto repleuit. Sic Ecclesiæ suæ principem, qui Simon anteà vocabatur, Cephas Syriaca lingua (vt D. Hieronymus testatur, quod Petrũ siue Petram sonat) appellauit, quia illum re & nomine solidum Ecclesiæ fundamentum instituere decreuerat. Quæ cùm ita sint, si Deus omnipotens Patris sibi nomen vindicauit, nobisq; filiorum nomina imposuit; cõsequẽs profectò est, vt se patrẽ amore, patrẽ beneficiis, patrem singulari cura & prouidẽtia, patrem deniq; omnibus paternæ charitatis officiis exhibeat. Quid autẽ hac dignitate sublimius? quid vel ad diuitias opulentius, vel ad tutelam firmius, vel ad vitę iucunditatem gratius, vel ad decus & gloriam magnificentius? Quid trepidare, quid metuere, cur angi aut sollicitus esse vel in media morte debeat, qui talẽ iuxta se vigilem, custodẽ, & vindicẽ libertatis habet? Quid enim illi deesse ad salutẽ poterit, qui de Deo Patre gloriatur? Nouit necessitates tuas, qui nihil non nouit: potest mederi calamitatibus tuis, qui nihil non potest. Volet autem. Quare? Certè quia pater est. Vbi igitur hæc tria in summo illo rectore & parente habes, nempe scire, posse, atque velle; quid amplius ad felicitatẽ tuam requiris? Fuit quædam insignis femina, quæ hac cælesti philosophia erudita, Deum tanquam patrem filiali (vt ita dicam) affectu venerabatur; quæ in omnibus rebus dubiis & afflictis hoc vno verbo se mirificè consolabatur: Patrẽ habeo, qui omnia scit, & omnia potest, & paterna charitate quę mea sunt, curat: cur igitur sub parentis huius tutela constituta aut trepidare, aut angi debeam? Itaq; cum Propheta dicam, Ego quidem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei. Hoc est igitur, fratres, non verbis solùm, sed rebus ipsis de patris huius dignitate & nomine gloriari.

Hieron.

Psal. 93.

I.

Sequitur deinde aliud, quod non minorem nobis spem atque solatiũ affert. *Si quid*, inquit, *petieritis in nomine meo.* Huius verbi occasione ingentẽ Christianæ religionis thesaurum ostendere, & latum meritorũ Christi pelagus ingredi cogimur. Hoc enim verbo tacitæ cuidam quæstioni, quę non rarò ab hominibus proponi solet, respondemus. Dicet enim fortasse aliquis: Vnde mihi (qui humi repo, qui putredo, qui cinis & vermis sum) tanta gloria, vt filij Dei nomine & dignitate gaudeam, & quæcunque ab illo petiero, impetrare debeam? Terret namq; me non solùm conditionis vilitas, sed multo magis morum indignitas, & extrema meritorũ egestas. Quibus ergo meritis ad hanc tantam gratiam aspirare potero? Huic igitur tacitæ quæstioni Dominus respondet, cùm se medium offert, cũ nominis

sui

sui sanctitatem, cùm meritorum suorum magnitudinem, & immensam erga se Patris charitatem nobis ob oculos ponit. Si enim Moyses sæuiētis iram Domini toties meritis & precibus suis auertit, quid vnigeniti Filij Dei preces & merita non efficient? Si impleuit Dominus omnia quæ pollicitus fuerat Abrahę, propter insignem eius fidē & obedientiam, quid non Vnigeniti eius pietas & merita infinita cōsequentur? Quæ ergo comparatio hominū ad Deum & hominem? seruorū Dei ad Filium Dei? ac eorum postremò qui peccatis adstricti erant, ad ipsum puritatis & innocētiæ fontē? Quamuis enim sancti isti viri, cęteriq. similes in vita se excellēter gesserint, interdū tamen lapsi sunt (nullus enim eorū fuit, qui perpetuū vitæ cursum sine aliqua prolapsione cōficeret.) At Agnus hic immaculatus nō modò nullius peccati contagio pollutus est, sed nos omnes puritatis & innocentię suæ merito ab omni scelerum pollutione mūdauit. Quanto ergo gratior aduocati huius intercessio, & meritorum eius ante conspectū Patris oblatio, & suauissimi nominis eius obtestatio futura est! Si enim excellens animi puritas & sanctitas est Deo gratissima, in Christo eluxit summę sanctitatis exēplum. Si charitas in homines apud benignissimū illum generis humani parentē plurimū valet, adeò nos dilexit Christus, vt acerbissimæ morti seipsum pro hominū salute libenter offerret. Si preces sanctorū hominum Deum flectunt; hic summus Sacerdos & Pontifex noster omnem vitam (quā infinitis laboribus exposuit) in precibus consumpsit: atq. ita Patris opem cū valido clamore & lacrymis implorauit, & exauditus est pro sua reuerentia, hoc est, propter suam singularem in Deum pietatem. Si postremò sacrificium aliquod Deo gratum fuit, pacemque nobis impetrare potuit; huic vni sacrificio tributum est, vt perpetuò Deum generi humano conciliaret.

Hoc est igitur, fratres, summum spei nostræ fulcimentum, hæc maxima Christiani hominis felicitas, & hac potissimùm ratione (vt cætera sileantur) longè meliori conditione sumus, qui sub gratia, quàm qui sub lege olim militarunt. Illi enim vt Deum sceleribus infensum placarent, pecudum sanguine & sacrificiis Deo litabāt (impossibile autē est, vt Apostolus ait, sanguine taurorū aut hircorū auferri peccata) nos verò Agni immaculati atq. incontaminati, hoc est, vnigeniti Filij Dei sacrificiū habemus, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Illi cùm maximè Deum sibi placare vellēt, nullos alios patronos & aduocatos quàm veteris Testamēti patres habebāt: nos verò vnicum Dei Filium, nos æterni Patris Verbum, nos immaculatū Dei Agnū, nos eius sanguinē pro nobis in cruce profusum, nobisque testamento legatum habemus, quem in cūctis precibus Heb. 10.

nostris æterno Patri offeramus, ne in conspectu eius vacui, sed gratissimis pleni muneribus appareamus. Per illum ergo Pater æternus nos sibi reconciliat, per illum peccata condonat, per illum regni sui hæredes instituit, per illum sceleribus nostris propitiatur, per illum deniq; (vt vno verbo concludã) omnia, quæ primi parentis vitio collapsa fuerant, cumulatissimè reparãtur.

Licet itaque iam nobis hoc modo cum Deo agere: Cur, quæso, Domine, cùm in hãc primùm lucem editus & susceptus fui, omnibus iustitiæ & gratiæ tuæ ornamẽtis (quibus me ab origine mundi ditaueras) nudatus sum? Si dixeris me primi parentis crimine, & illum donis tuis, & me quoque in illo tanquam ramum in stipite spoliatum; rectè sanè: sed ego tibi tamẽ pro isto mero homine Deum & hominem offero: pro eius inobedientia aliã grauissimã obedientiam; pro eius superbia, qua vilis homo ad diuinitatis gloriam aspirauit, aliã contrà humilitatẽ, qua summus & verus Deus sese ad seruilem hominis formam abiecit. Quanto ergo maius est quod ego tibi offero, quàm quod ille tibi sustulit? Ergo redde mihi per secundum hominẽ, quod
Rom. 5. per priorem amisi: redde mihi per cælestem, quod per terrenũ abstulisti. Verè enim non sicut delictum, ita & donum: vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia. Quid ex
2. Reg 9. hoc igitur consequi necesse est? Nimirum, vt quemadmodum Dauid Rex omnes Saulis opes, quas is amiserat, Miphiboseth Ionathæ filio, propter summam quam erga eius patrem amicitiam habuit, restitui præcepit: ita planè cælestis Pater propter immensam, qua Christum prosequitur, dilectionem, filiis eius; quos in cruce parturiuit, quod primi parentis vitio amiserunt, restitui iubet. Felices ergo nos, qui talem aduocatum taleque sacrificium habemus, quod singulis momẽtis ante Patris æterni conspectum offerre possumus.

Nec enim minùs hodie hæc illi oblatio grata est, quàm cùm in Caluariæ monte oblata fuit, nec minùs pretiosus ille sanguis modò apud illum rubet, quã cùm in cruce effusus est: cũ apud æternam illam sapientiam vt futura nõ succedunt, ita nec præterita transeunt: sed eius æternitati omnia præsentia sunt. Huius ergo tanti Redemptoris meritis nixi, Patrẽ adire, & illius opem implorare debemus. Ad Christi verò gloriam pertinet, quòd nobis aliquid propter eius merita donari petimus, cùm &
Eccli. 3. filij & membra eius simus. Verissimè enim scriptum est; Deus honorauit patrem in filijs: quando videlicet propter parentum merita, in filios licet immeritos beneficia confert: qui ideò misericordiam facere dicitur in millia iis qui se diligunt. Sic enim
Deut. 2. terræ filiorum Ammon & Moab pepercit, & ne vestigium quidẽ pedis ex ea populo suo donare voluit, quòd eam filiis Lot (qui

(qui vir iustus & gratus Deo fuerat) tradidisset. Si igitur filiis Lot, quamuis idolorum cultoribus, post quadringentos & eo ampliùs annos hic à Deo honos est habitus, quid nos, qui Christi filij & membra sumus, propter infinita eius merita à Deo Patre sperare debemus?

Quid igitur ex hac Christiana philosophia colligimus, fratres? illud nimirum; vt, quotiescumque Deum orare, & ab eo aliquid impetrare volumus, hunc aduocatum nostrum, illiusq. merita, labores, sudores, lachrymas, vigilias, ieiunia, vincula, sputa, alapas, flagella, spineam coronã, crucem, & clauos ante illius conspectum proponamus (quæ omnia innocentissimus Agnus non pro se, sed pro nobis pertulit) & harum virtutum atq. laborũ meritis ea quæ poscimus donari nobis deprecemur. Nunquam igitur os ad orandum aperire, numquam oculos in cælum tollere debemus, quin aduocatum hunc Deo gratissimum nobiscum circumferamus.

Edixit Ioseph fratribus suis in Aegypto, ne coram se sine amantissimo fratre Beniamin apparerent: Alioqui non videbitis (inquit) faciem meam, nisi fratrem vestrum minimũ adduxeritis vobiscum. Quod cùm illi diligentissimè curassent; maximam apud illum gratiam inierunt, eoque humanissimo vsi sunt, multisque affecti beneficiis ab eo discesserunt. Hoc ergo nobis à Deo dictum putemus; vt sine hoc nostro Beniamin, hoc est, æterni Patris dilectissimo Filio, ante illius conspectũ apparere non audeamus. Sine illo enim clausa & interdicta omnia, per illum verò latissimus diuinarum miserationũ campus nobis patefiet. Sed occurram tamen hoc in loco necesse est his qui hanc meam confessionẽ arripient, quo negligentiam & socordiam suam tueantur: qui Dominicæ passionis fiducia, sine bonorum operum studio, salutem sibi pollicentur: qui supra dorsum Christi nequitiarum suarum fundamenta fabricant, sanguinisq. eius meritis nituntur, vt in sceleribus suis persistant. Fateor enim infinita esse merita Christi, fateor vel vnam pretiosi sanguinis eius stillã omnibus omniũ seculorum sceleribus purgandis satis superq. esse. Non tamen is sanat inuitos, non ipsius placitis obsistentes, nõ oblatã lucem repudiantes, sed eos qui vulneris sui remedium non aspernantur, & pręcepta medici seruare contendunt. Factus est enim Christus (vt Apostolus ait) omnibus obedientibus sibi causa salutis ęternæ. Obedientibus, inquit, non inertibus, aut rebellibus, & imperiũ eius detrectãtibus. Vt hoc autẽ apertius fiat, illud obseruare oportet, quòd quemadmodũ corporis mẽbra capiti coniuncta esse debẽt, quo virtutis eius influxũ participent; ita Christo capiti iunctos nos esse oportet, quò meritorũ eius influxum atq; virtutẽ percipere

Genes.43

Heb.5.

valeamus. Vt enim primi parentis labes in omnes eius posteros deriuata est (quòd omnes illi eiusdem sanguinis communione copulantur) ita quisquis particeps Christi esse cupit, spirituali vinculo illi vnitus & copulatus esse debet.

Sed instabit fortè aliquis, & dicet: Fides vnit nos Christo, quam nos integram & inconcussam ad mortem vsque retinebimus. Rectè sanè: sed ego quoque vobis occurrã, nec longè ab hoc loco testes citabo. Subdidit enim Dominus: *Ipse enim Pater amat vos.* Quare? *Quia vos* (inquit) *me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.* Videtis ergo quomodo primo loco amorem, deinde fidem adiecit? Fides ergo, fateor, nos Christo (quamuis imperfectè) iungit, sed ea tunc homini salutem tribuit, cùm amori sociata est, cùm per charitatem operatur, cùm fœcũda & bonis operibus adiuncta est, ac postremò cùm virtutibus illis copulatur, ad quas nos eius lumen atque doctrina vocat: quãuis multi sint qui ad eius voces obsurdescant, eiusq; lumini rebelles sint. Fides enim cùm Christum nobis proponit tanquam libertatis nostræ vindicem, salutis auctorẽ, aduocatũ, mediatorem, pontificem futurorum bonorum, sacerdotem simul & sacrificium, in quo habemus salutem & redemptionem per sanguinẽ crucis eius; spem nostram in illum excitat, quæ tali fundamẽto nixa, nihil non sibi pollicetur ab eo qui proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Cùm verò eadem fides Deum nobis obiicit velut summum & infinitum bonum, pulcherrimamque illius speciem, & innumera eius beneficia ob oculos ponit, ad eius nos dilectionẽ prouocat. Si enim (vt Philosophi aiunt) bonũ intellectu apprehensum voluntatem in illius amorem excitat, multo magis immensum illud & supernaturale bonum, quod fides voluntati proponit, ad illud amore prosequendum inuitabit; quamuis improbi homines, nimio terrenarum rerum amore illaqueati, huic fidei dictamini resi-
Rom. 2. stere non rarò soleant. Rursum cùm eadem fides Domini voce instructa asserit, non auditores legis, sed factores iustos apud Deum haberi; &, si velimus ad vitã ingredi, seruanda esse mandata: Deumque vnicuique, pro eo ac eius opera merentur, siue prẹmiũ siue supplicium reddere; ad diuinorũ mandatorũ obedientiã nos hortatur, cui vni iustitiæ coronã in cælo repositam
Simile. esse docet. Scit enim non satis esse ægro ad salutem, si peritum
Auguſt. medicum audiat, nisi præceptis eius obediat. Alioqui (vt D. Augustinus ait) ipse se interimit, qui præcepta medici seruare contemnit. Hæ sunt igitur tres præcipuæ virtutes, ad quas nos fidei lumen atque doctrina mouet, nisi vitio nostro impediatur:
Rom. 1. quod (prô dolor) in illis nõ rarò euenit, qui (vt Apostolus ait) veritatem Dei in iniustitia detinent: qui videlicet illam quasi compe-

compedibus vinctam tenent, neque eam quò ipsa vi sua tẽdere appetit, progredi sinunt. Quicumque igitur hanc fidem viuam atque vigentem habent, hi nimirum arctissimo pietatis vinculo Christo capiti, vt viua membra, coniuncti sunt. Quocircà minimè dubitandum est, illos meritorum Christi ita esse participes, quemadmodum primæ illius trãsgressionis participes sunt, quicumque carnalis affinitatis vinculo primo illi parenti copulantur. Sed iam ex hoc loco digressi, ad sequentia veniamus. Subdit enim Dominus:

II.

Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Nondũ Apostoli à Spiritu sancto edocti erant quãta esset promissionis suprà positę vis, nempe, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo* (id est, propter merita mea) *dabit vobis*: quoniã futuræ passionis Christi meritum, & infinitam summi illius sacrificij virtutem nondum plenè assecuti fuerãt, donec cælestis ille Magister in eos effusus est, qui erat Christum clarificaturus, & salutis per eum allatæ magnitudinẽ explicaturus. Ideoq; nondum in precibus suis huic solidissimæ petrę innitebantur. Ad hoc igitur nunc eos Dominus hortatur, cùm ait: *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Hoc est, vt ex perceptorum bonorum magnitudine, quæ per orationem impetrabitis, plenum gaudium consequamini. Hic locus etiam non minùs quàm præcedens piorum mentes magnopere consolatur: quare paulo mihi diligentiùs excutiendus est: Paschali quippe tempori (quod spirituali lætitiæ dicatum est) hoc argumenti genus maximè conuenit.

Gaudium igitur Apostolus inter Spiritus sancti fructus numerat cùm ait: Fructus autẽ Spiritus, charitas, gaudiũ, pax, &c. Galat. 5.
Idemque Dei regnum in hac vita tribus potissimùm rebus definit, nempe iustitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto. Ad huiusmodi verò gaudiũ nos idẽ frequẽter hortatur, cùm ad Corinth. 2. Cor. vl.
ait: Gaudete, perfecti estote, &c. Et adhuc instantiùs ad Philippenses, Gaudete, inquit, in Domino semper: iterùm dico, gaudete. Philip. 3.
Ad idemq; nos Dominus hortatur, cùm ideò petere iubet, vt gaudiũ nostrũ plenũ sit. Quid igitur est hoc gaudium? Certè futuri gaudij primitiæ, & velut quædam venturæ felicitatis prælibatio. Quo fit, vt cùm spes pręmij animum acuat ad laborem; cõsequens sit, vt hæc ipsa cælestis præmij degustatio maximum nobis ad omnia virtutum studia, iustitięque labores incitamentum sit; imò verò commune quoddã instrumẽtum, quo Spiritus ille cælestis piorum mentes ad omnia virtutum officia incendit. Medici enim variis ad corporum salutem vtuntur Dissimil.
medicamentis: modò enim amara pharmaca propinant, modò

venam scindunt, modò ferrum adhibent, modò ignem. Denique sunt mille herbarum species, quibus ad suum munus vti solent. At cælestis ille medicus (qui cùm sit vnus, instar omniū & supra omnia est) exigua dilectionis & spiritualis gaudij (quod dilectionem sequitur) guttula piorum mentibus infusa, mirabiles in eis effectus operatur, maximasque vires ad suscipiēdos pro iustitia labores subministrat. Vnde quemadmodum is cunctorum animantium naturas ordinesque conseruat (dum in iis rebus quæ vel ad speciei, vel ad singulorum animantium vitam & conseruationem pertinent, quandam veluti escam voluptatis apposuit, qua illectæ, destinata sibi munera sine vlla intermissione obeunt) sic idem, dum piorum mentes mira quadam diuini Spiritus dulcedine atque suauitate reficit, ad omnia illos pietatis & iustitiæ officia incredibili alacritate atque deuotione
Psal. 88. incitat. Quā rem illa Prophetæ verba insinuāt: Beatus populus qui scit iubilationem. Cur beatus? Subdit causam: Domine in lumine vultus tui ambulabūt (te videlicet illis monstrāte viam) & in nomine tuo exultabunt (hoc est, miras ex te voluptates haurient) & in iustitia tua (hoc est, in bonitate & misericordia tua) exaltabuntur: noua videlicet quotidie virtutum incremēta capientes. Quæ omnia suauissimus ille cordis iubilus parit. Vbi enim nouam hanc spiritus lætitiam gustauerunt, nihil in vita est adeò pretiosum, quod non facilè contemnant: nihil adeò difficile, quod non alacriter aggrediantur. Non enim falsò aut
Psal. 36. paruo affectu dictum est; Melius est modicum iusto, super di-
Mat. 26. uitias peccatorum multas. Hæc est enim (vt D. Gregorius ait)
Gregor. in Hom. pretiosa illa Euangelij margarita, qua inuenta, prudens negotiator vendidit omnia quæ habuit, & comparauit eam: quia (vt idem ait) qui cęlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit; ea quæ in terris amauerat, libenter deserit. In comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. Hæc eadem dulcedo facit, vt non solùm omnia quæcunque in mundo habentur, pretiosa contemnamus, sed vt ardua etiā & difficilia propter eius amorem, qui nos hac tanta dulcedine re-
Simile. creat, aggrediamur. Sicut enim vrsi aluearia inuadentes, fauorum dulcedine allecti, facilè apum aculeos & vulnera patiūtur: sic sancti viri, hac clęesti dulcedine degustata, nihil sibi non aggrediendum aut ferendum propter illum putant, qui se illis tam dulcem atque amabilem exhibet.

Hæc eadem dulcedo legitimum castumque Domini timorem ingenerat: ideoque eam Vates regius à Domino postulabat

bat dicens: Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Qui enim sic à Deo lętificatur, vt illi maximè inseruire desideret; ita vehementer illum vel leuissima in re offendere metuit, à quo tam dulci & amabili pabulo recreatur. Psal. 85.

Eadem quoque preces nostras efficaces & gratissimas Deo efficit, sicut idem ait; Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Libenter enim Dominus eas preces audit, quæ non á languido & segni corde, sed ab alacri & deuoto proficiscuntur. Denique ea est quæ nos diuinorum mandatorũ viam celeri cursu cōtendere facit, sicut idem ait: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Cor autem nostrum vt tristitia contrahitur, ita contrà gaudio & lætitia dilatatur. Ideoque hanc lętitiam, scelere amissam, restitui sibi idē sanctus Vates optabat, quò inoffenso pede per hāc salutarē viam incederet. Vnde ait: Redde mihi lętitiā salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Hanc item magno & ardenti desiderio D. Augustinus à Domino petebat his verbis: Solum refugiũ & vnica spes miserorum, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, pręsta mihi hanc gratiam, vt quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces, & sacrificium offero, toties obortis lachrymis in conspectu tuo copiosè & dulciter fleam: ita vt efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Psal. 36. Psal. 118. Psal. 50. Augus. Psal. 41.

Quòd si à me rursum quęratis, quo in loco dulcedine ista pij homines potissimùm perfruantur, ad hoc idē Dominus, de piis hominibus loquens, per Esaiam respondet: Lætificabo eos in domo orationis meæ. Ibi enim cùm preces & laudes Domino offerunt, & diuina eloquia meditātur, hoc cęlesti pabulo maximè reficiuntur. Cuius rei si causam quæritis, causa est, quia (vt ab Aristotele dictum est) Nihil est amanti dulcius, quàm de ea re, quam vehemēter amat, tractare, loqui, & cogitare. Cùm ergo pij homines ardentissimo Deum amore complectantur, consequens est, vt dulcissimum menti eorum pabulum sit, cum Deo loqui, cum eo versari, deque ipso agere & cogitare: quod maximè in oratione fit. Vnde vel hoc argumento intelligatis, fratres, quàm varia & multiplex sit orationis virtus, quæ non solùm vim habet impetrandi, sed hac etiam suauissima lætitia mentes hominum reficit: quæ illos ad omnia virtutum officia vehementer incitat & impellit. Esaiæ 56. Aristot.

Sed cùm orationem dico, fratres, non ieiunam & sterilem, & bonorum operum studio vacantem intelligo: scitis enim scriptum esse; Qui obturat aurem suam ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis. Et illud, Vt quid (ait Saluator) vocatis me, Domine, & nō facitis quæ dico? At inquis: Inopia rerum premor, Prou. 28. Lucæ 6.

nec facultas ſuppetit, qua alios iuuare, & bonis operibus inſiſtere queam. Si nō habes quid aliis tribuas, corpus tamē habes, quod macerare, & hoſtiam Deo viuam offerre poſſis. Si rurſum ais, te corporis etiā imbecillitate aut iugi morbo impediri, quo minùs id præſtare queas, animā habes variis cupiditatibus obnoxiam: in quibus compeſcendis & moderandis maxima Christianæ iuſtitiæ portio ſita eſt. Sic enim quidam ex ſanctis illis Anachoritis adoleſcenti cuidam ſeipſum accuſanti, & de ſe grauiter querēti, quòd neque ieiuniis corpus atterere, neq; eleemoſynis propter inopiam proximos iuuare poſſet, reſpondit: Si nihil horum tibi licet, da operam ne te cupiditates tuæ in flagitium aliquod inducant: & hoc tibi ſatis erit ad ſalutem.

Rurſus etiam cùm orationem commendo, non vagam illam, & inſtabili mentis agitatione diſſolutam, ſed attentam, ſed humilem, ſed piam, ſed adipe & pinguedine deuotionis refertam exigo: ne, ſi aliter fiat, illud Eſaiæ poſſit nobis Dominus improperare: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè
Iſaiæ 29. eſt à me. Quid igitur? Orabo ſpiritu, orabo & mente. Spiritus enim eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate
1. Cor. 14. Ioan. 4. oportet adorare. Eſt enim oratio eleuatio mentis in Deum: quare ſi mentem ad Deum eleuare negligis, non magis oras, quàm pſittacus, dum ſacra verba doctus repetit, quæ non intelligit. Quocircà (vt quidam ex ſanctis Patribus ait) cùm oramus, aut pſallimus, danda nobis opera eſt, ne anicularum more cantillemus: ſic enim orat, qui attendere negligit quod
Tertul. orat. Denique (vt Tertullianus ait) à tali ſpiritu proficiſci debet oratio, qualis Spiritus ille eſt ad quem mittitur. Hanc autem vagam mentis inſtabilitatem vitare non poterit, niſi qui puritati cordis diligenter intenderit. Hanc verò puritatem nemo aſſequetur, niſi qui externos quoque ſenſus, oculos ſcilicet & aures, ſtudiosè cuſtodierit: ne per has animæ feneſtras variæ rerum imagines ſubeant, quæ oranti ſeſe coràm exhibeant, & à cæleſtium rerum cogitatione auocent. Celebris ille inter Aegyptios monachus Siluanus ab oratione egreſſus, oculos claudere ſolebat; & hortuli ſui olera rigans, ita oculos demiſſo habitu tegebat, vt ſolam quam rigabat humum, non aliud, cerneret. Rogatus cur id faceret? Ne, inquit, mens mea variarum rerum conſpectu à cogitationis ſuæ intentione abſtrahatur. Hoc igitur exemplum, fratres, imitemur, quicunque puritati cordis inuigilamus, vt per eam, puram quoque orationem Domino offerre, & ab eo ſpiritualia & cæleſtia gaudia & hîc & in futuro ſeculo percipere mereamur.

IN



IN EADEM DOMINICA QVINTA POST PASCHA, CONCIO SECVNDA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Ioan. 16.



NTER omnes humani cordis affectus (qui multi ac varij esse perhibentur) principem locum sui amorem tenere Philosophi testãtur. Ex eo enim cæteri animorum motus & affectus, variaque desideria velut à suo fonte deriuantur. Vnde nequaquam aberrauerit, qui illum arboris trunco, cæteros verò affectus ramis ab eo procedentibus comparauerit. Hic autem affectus nobis à naturæ auctore Deo ad tutelam & cõseruationem nostram datus est. Vnde Stoici Philosophi (Seneca referente) res omnes huic amori, velut cuidam pædagogo, ab ipso Deo commendatas esse aiunt. Hic verò affectus facit vt homo, qui nondũ diuino Spiritu afflatus est, omnibus in rebus, omnibusque negotiis seipsum, hoc est, suam vtilitatem, voluptatem, & gloriam auidissimè quærat, & sine hac spe vix se loco mouere velit. Qua quidem esca frequenter Dominus ad se homines trahere solet: sic tamẽ trahit, vt, qui carne cœperint, spiritu cõsummentur: vt cum Apostolo dicere possint: Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Si quis igitur vestrûm, fratres, seipsum vehementer amans, quæ sibi in virtutis & honestatis studio spes & vtilitas sit proposita, scire velit; vt multa ac penè innumera virtutis priuilegia prætereamus, hoc ipsum nos cælestis magister in hodierna sancti Euangelij lectione docet, quæ sic habet:

Seneca in Epist.

Galat. 5. 2. Cor. 5.

Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Hanc autem adeò amplam & magnificam promissionem, maiestateque sua dignam, multis in locis repetit atque confirmat; sed illic maximè, vbi ait: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Quid, quæso, maius vel auaritia hominum desiderare, vel diuina magnificentia polliceri debuit, quàm vt voluntatem nostram omnium diuinarum diuitiarũ mensurã faceret; nec aliis finibus, quàm desideriis nostris miserationes suas circumscriberet? Quodcumq; (inquit) volueritis, petetis, & fiet vobis. Declarat hoc illa Iosue oratio, quæ solem triũ horarum spatio à cursu suo retardauit. Qua in re immensa Dei nostri boni-

Ioan. 16.

bonitas atque benignitas erga pios declaratur: quando naturæ leges, quas ipſe ad mundi ſtatum cõſeruandum ſtabiliuit, & irreuocabili atque perpetuo tenore decurrere voluit, in eorum gratiam reuocat & infringit. Quæ res vſque adeò nihil diuinæ gloriæ detrahit, vt eam vehemẽter illuſtret. Hinc D. Bernardus, Nihil, inquit, eſt quod omnipotẽtiam Verbi clariorem reddat, quàm quòd omnipotentes quodammodò facit ſperantes in ſe. Hinc illa Pauli vox, Omnia poſſum in eo qui me cõfortat. Ex quibus verbis intelligimus, non ad vnam aliquam rem, ſed ad omnia piorum hominum precationem valere. Si ergo tanti eos lapillos facimus, quorum alij ad venena depellẽda, alij ad ſiſtendum ſanguinis fluxum, alij denique ad aliorum morborum remedia valent; quanti hunc pretioſiſſimum lapillum æſtimare debemus, qui ad omnia valet, quiq; malorũ omnium ſiue corporis ſiue animæ ſalutare remediũ eſt! Hinc D. Chryſoſtomus, Nequaquã, inquit, aberrarit à vero, ſi quis affirmet, deprecationem eſſe cauſam omnis virtutis & iuſtitiæ: neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire poſſe in animũ, cui non adſit deprecatio & obſecratio. Quid, quòd non ſolùm omnia quæ extra Deum ſunt, ſed ipſum etiã Deum quodammodò in poteſtate ſua pij hominis precatio habet? Ipſa enim eſt quæ vincit inuincibilem, quæ ligat omnipotentem, quæ illũ à ſeueritate ad gratiam traducit, & ex leone in mitiſſimũ agnũ tranſformat. Quoties enim oratione ſua Moyſes iram Domini indignantis auertit, ac penè cruentum iam è manibus eius gladium arripuit? Ad Hieremiam verò ait: Tu ergo noli orare pro populo hoc, ne & aſſumas laudẽ & orationẽ pro eis, & non obſiſtas mihi. Quid ais, Domine? Quis tibi obſiſtere poteſt? quis brachium tuum auertere? Veriſſimè enim dictum eſt: Domine, in volũtate tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere maieſtati tuæ. At poteſt hoc pia & humilis oratio, cuius virtuti & meritis Dominus cedit; quamq. propter infinitam miſericordiam ſuam hoc honore donauit, vt nunquã ab eo vacua, nunquam inanis recedat. Is enim eſt, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur. Hæ ſunt igitur opes, hic locupletiſſimus & indeficiens theſaurus, qui piis in hac etiam vita propoſitus eſt. Quis ſit autem qui ad alterã reſeruatur, in huius concionis calce explicabimus. Hunc porrò theſaurum tanti regius Propheta (quamuis regiis opibus circumflueret) faciebat, vt eius promiſſione mortales cunctos ad rerũ omniũ cõtemptum inuitaret; ſic enim ait: Filij hominũ, vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Appellat autẽ omnia huius vitæ bona vanitatem & mendacium: vanitatem, quòd ea nihil ſolidi & expreſſi boni contineant; mendacium

Bernard. | Philip. 4. | Simile. | Chryſoſt. lib. de oratione. | Hier. 7. | Pſalm. 4.

verò,

verò, quòd falsa quadam felicitatis imagine quietem & tranquillitatem animi polliceātur: quā constat nūquam alicui præstitisse. Sed quæ tu illis, Propheta, bona proponis, quo terrena hęc fastidire facias? Certè eadē ipsa quibus me Dominus in hac vita felicem quodammodò reddidit. Scitote (ait) quia mirificauit Dominus sanctum suum: hoc est, miris donis ac beneficiis mirabilem fecit. Quæ sunt autem ista bona? Dominus, inquit, exaudiet me, cùm clamauero ad eum. Quid enim maius, aut mirabilius, aut etiam optabilius, quàm ita fauentem & propitium habere rerum omnium conditorē & moderatorē Deum, vt eius aures ad omnia vota & preces meas apertas & paratas semper habeam, vt exaudiat me, votisque meis respōdeat, quoties clamauero ad eum? Quid igitur hoc, nisi quædam diuinæ potestatis participatio est? Hoc est igitur, fratres, præmium quod piorum hominum precibus à Domino constitutum est.

Non tamen has tam multas opes quæuis præstat oratio, sed illa maximè, quæ fide munita, charitate incensa, piis desideriis incitata, bonis operibus adiuta, atque humilitatis præsidio subuecta potenter ad superiora sustollitur. Non enim Dominus ad multiloquium mente & deuotione vacuum, sed ad multam fidem, magnam charitatem, & anxia petentium desideria solet attendere. Paucis quidem verbis, sed magno affectu Anna orauit, & oratione sua sanctissimum à Domino filium Samuelem impetrauit. Ideoq; non mirum, si non exaudimur orantes, qui adeò frigidè & languidè orare solemus. Quomodo enim à Deo exaudietur, qui seipsum, dum orat, non audit; nec quid dicat, aut cui dicat, & cum quo loquatur, attēdit? Danda igitur nobis est opera, vt orantes cum Propheta verè dicere possimus, Clamaui in toto corde meo: exaudi me, Domine.

1. Reg. 2.

Psal. 118.

Illud etiam aduertendum est, vt, cùm aliquid petimus, in Christi nomine petamus. Hoc est enim quod ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* hoc est, propter merita mea, & ad nominis mei laudem. Christus enim Dominus nō modò sacerdos noster est, semper viuens ad interpellandū pro nobis: sed etiam sacrificium & salutaris victima est, quam pro impetranda salute offerimus. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris: ipse Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore: ipse hostia sancta, beneplacēs, & perfecta, in odorē suauitatis oblata: ipse Agnus sine macula, qui coram tondentibus se obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. In huius ergo nomine salutē petere debemus: quod facit Ecclesia, quæ in omnium petitionum suarum fine hanc apponit clausulam: Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Scit enim nihil

nihil esse apud summum illum misericordię parentem aut gratius aut efficacius, quàm dulcissimi huius nominis obtestatio atque interpellatio.

Cæterùm vt clariorem huius rei intelligentiam habeamus, ex qua præcipuè impetrandi fiducia nascitur, quid Christus Dominus superno Patri obtulerit, quidq; ab eo vicissim receperit, paucis indicare tentabo. Illud igitur sciendũ est, nulla neque hominũ neque Angelorum cogitatione plenè cõprehendi posse, quantum sacrificium mortis Christi, & summa illa vsque ad crucem obedientia æterno Patri grata fuerit. Mitto enim atrocissimum illud crucis suppliciũ, tot iniuriis, tot opprobriis, totque irrisionibus exacerbatum. Mitto illam animi promptitudinẽ, obedientiã, humilitatem, & charitatem, qua per Spiritũ sanctum semetipsum obtulit immaculatũ Deo. Inter hęc enim illius personæ dignitas infiniti meriti pondus his laboribus adiungit. Deum quippe passum, mortuũ, atq; sepultum, Catholica fides confitetur. Quantus ergo diuinæ maiestatis honor & gloria extitit quòd verus Deus propter veri Dei gloriã & obedientiã seipsum ad mortem in peregrina illa natura demiserit?
Simile. Non valdè magnum est, Pontificis summi pedes à plebeiis hominibus, aut etiam à nobilibus reuerenter exosculari: sed illud verè maximum est, eosdem pedes ab aliquo clarissimo Imperatore & orbis Monarcha simili osculo & reuerentia excipi. Sic igitur, quamuis æterno Patri sanctorum hominũ pietas & religio grata sit, in immensum tamẽ eius religio & obedientia, qui Deus simul & homo erat, extitit gratior, vbi propter eius gloriam se ita ad eius pedes proiecit, vt fieret, quod idem ipse ait, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Quemadmodum autem nulla mens huius sacrificij dignitatem, meritum, & gratiam comprehendere potest: sic vicissim, quæ pręmio Pater æternus hanc tantam Vnigeniti sui reuerentiam atque obedientiam affecerit, nulla neque humanæ, neque angelicæ mentis cogitatio assequi potest. Tria tamen sunt, quæ is in Filij sui gratiam atque huius tanti operis præmium facere decreuit. Primùm enim in nullum vnquã filiorũ Adæ gratiam & supernaturalia dona se esse collaturum statuit, quæ propter filij sui merita, siue ante passionem præuisa, siue post illam exhibita, non conferret. Ideoq. Ioannes in Apocal. Christũ Dominum appellat Agnum occisum ab origine mundi; quoniam ob futuram eius mortẽ Pater cælestis varia in omne genus hominum ante eius aduentum beneficia contulit. Quin & primam gratiam qua homines iustificantur, quamque nemo mereri potest, ipse nobis promeruit. Quo fit, vt omnes, qui à peccato ad gratiam vocantur, propter illius gratiam & merita vo-
Apoc. 13.

centur.

centur. In cuius rei signum, inter ea quæ ad impij iustificationem requiruntur, fides in Christũ cum primis numeratur, qua profitemur atque testamur, nos ob eius merita & gratiã à Deo Patre vocari & iustificari. Nec solùm hæc prima gratia, sed cæteræ deinde, quæ ad finem vsque vitæ pios prosequuntur, atque adeò ipsa Dei electio & prædestinatio ob illius nobis gratiã cõtingit, Apostolo testãte, qui ait, Prędestinatos omnes ante mũdi constitutionẽ per ipsum electos fuisse, vt essent sancti & immaculati coram ipso, eosdemque omni benedictione spirituali per ipsum fuisse donatos. Deinde hoc etiam illi cõcessit, vt nullus mortalium veniam & gratiam suppliciter ab eo propter eius merita peteret (si tamen debitè & religiosè peteret) quam non protinus impetraret, etiã si innumeris peccatorum debitis obstrictus esset. Hoc est enim quod in præsenti lectione Saluator ait: *Amen, amẽ dico vobis, si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis.* Tertiò denique hoc etiam in Filij gratiam statuit, vt quicumque diuinis muneribus ac beneficiis affecti essent, vnigenito Filio suo pro perceptis beneficiis gratias agerent: quando in eius gratiam talia eis munera concessa sint. Hoc est enim quod Apostolus significauit, cùm dixit, In nomine Iesu omne genu flecti debere, cælestium, terrestrium, & infernorum. Quoniam quicumque fideles siue in cælo beantur, siue in terra iustificantur, siue igne purgatorio expiantur, illius beneficio salutem & vitam consequuntur: ideoque eam ipsi acceptam ferre debent. Itaque quod idem Apostolus ait, Christum Dominum à Deo Patre vniuersorum hæredem constitutum fuisse; huc etiam referendum est, vt laus omnis, & omnis grati animi significatio atque dilectio, quæ æterno Patri tamquam bonorum omnium fõti meritissimo iure debetur, Filio eius veluti legitimo paternę gloriæ hæredi tribuatur. Bona quippe omnia, quæ in nos cælestis Pater confert, Christus Dominus obediẽtia sua promeruit. Vnde etiam colligere licet, quale quantumq. fuerit illius summi sacrificij præmium, quod sempiternis beneficiis in genus hominũ collatis afficitur: quibus beatissima Christi anima mirabiliter exhilaratur, cùm tam multiplicem grani illius, quod in terram cecidit, fructum cernat, & in singulis his beneficiis Patrem quodammodò dicẽtem audiat: Quidquid in gratiam hominum facio, propter perfectissimam obedientiam tuam, Fili dilectissime, facio, nec vmquam facere desistam. Sed quid miramur hæc à Patre in Filij sui gratiã fieri, qui Abrahæ obedientiam (qua is vnico filio nõ pepercit) innumerabiliũ filiorũ propagatione remunerarit? Hæc igitur, fratres, ideò à me exposita sunt, vt vestrã in oratione fiduciam alerẽ: quæ tam firmo ac solido meritorum Christi nititur fundamẽto. Hac igitur de causa disci-

Ephes. 1.

Philip. 2.

Heb. 1.

discipulos suos Dominus monet, vt per hoc sanctissimum nomen à Patre petant, quidquid impetrare velint. Vnde ait: *Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis.* Nondum plenè discipuli omnes Christi Domini dignitatem & gratiã agnoscebãt, donec cælestis Spiritus magisterio edocti sunt: ideò nihil mirum, si in eius nomine non peterent, cuius nondum plenè gratiam & merita cognouerant. Quam eorũ ignorantiam rectè Dominus insinuauit cùm subdit:

Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Non enim prouerbia siue ænigmata erant quæ Dominus locutus fuerat; sed rudibus tamen prouerbia & ænigmata sunt quæ apud sapientes clara putantur. Hinc de rudibus seculi hominibus Saluator ait: His autẽ qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt: nõ quòd ea quæ dicuntur, parabolica, id est, obscura sint, sed quòd ipsi pectus habeant cæcitatis & ignorantiæ velo contectũ. Quæ res facit, vt ea quæ dicuntur, quãuis meridiana luce clariora sint, parabolæ ipsis videantur. Hinc regius Vates Psalmo 48. de huius mundi atque diuitiarũ contẽptu tractaturus, se in parabolis, vel (vt alij verterũt) ænigmatibus locuturum profitetur: non quòd in eius sententiis obscuritas aliqua insit, sed quòd carnalibus hominibus, & in terram tota mente defixis, omnis de rebus spiritualibus commentatio, velut parabolæ & ęnigmata sit. Quod planè quotidiana exempla monstrant. An non quidquid quotidie in concionibus de extremo iudicio, de morte, de suppliciis improborum, de præmiis bonorum, de diuinis beneficiis, de Christi Domini passione & acerbissima nece prędicamus, apud multos velut parabolæ & ænigmata sunt? Hæc ipsa enim quotidie audientes, nihilo magis aut afficiuntur, aut metu cõcutiuntur, aut à flagitiis auocantur, quàm si nihil prorsus intelligerent. Quid enim horum est, quod non satis superque esset, vt homines ab improbitate ad officiũ reuocarẽtur? Persuasum habebat Plato, neminem in scelerata vita diu persistere posse, qui firmè Deum crederet humanarum rerum prouidentiam gerere, & bonorum atque malorum delectum habere. Omnem autem hominum prauitatem ex huius veritatis ignoratione manare putabat.

Marc. 4.

Plato.

Quid ais Plato? En tibi innumeros in Ecclesia fideles exhibebimus, qui hæc ipsa & multo etiã maiora credãt, & quotidie etiam audiant (ne causari obliuionem possint) qui tamẽ in sceleribus suis obstinato animo tota penè vita perdurãt. Cur hoc? Nimirum, quoniam hæc ipsa quæ audiunt, illis veluti parabolæ sunt. Aliter enim quid non facerent, qui gehennæ supplicia, qui ardentem ignem, qui lacerantem vermem, qui horrendas tenebras, æternamque illam noctem, & torquentium malleos sibi ante oculos ponerent? Cùm quidam homines in Vitis Pa-

trum,

trum, sanctissimi cuiusdam Anachoritæ ieiunia, solitudinem, admirabilemque vitæ asperitatem demirati, ab eo quærerent, quonam modo tot ferre labores in illa solitudine posset: ille contrà, Vnus, inquit, gehennæ dies, omnes totius vitæ meæ superat labores. Rectè sanè vir sanctus supplicium hoc pro dignitate æstimare sciebat.

Theodoretus quoque in historia religiosa memorat, vidisse se quendam ex his Patribus Thalelæū nomine, ob hunc ipsum gehennæ metum arctissimo domicilio inclusum; cuius ille fabricam & pœnitentiæ laborē his verbis describit: Cùm is duas rotas construxisset, quæ duorum cubitorum habebant diametrum, asseribus non intra se compactis, sed disiunctis ac separatis, ambas rotas coniunxit. Deinde cùm intus sedisset, & cuneis & clauis disiunctas illas cōfixisset tabulas, sub dio rotam appēdit, tribus aliis altis lignis in terram defixis, & superioribus eorum initiis aliis lignis commissis, & in eorum medio duplici illa rota alligata, & in sublime elata. Huius autē spatium, quod est interius, habet quidem cubitorum duorum altitudinem, cubiti verò latitudinem. In eo sedens, vel potiùs suspensus, annis iam fuit decem perpetuis. Cùm autem corpus habeat maximum, neque sedens quidem potest collū erigere, sed semper sedet incuruatus, genibus habens affixam faciem. Ad eum cùm venissem, inueni quidem eum ex Euangeliis colligentem vtilitatem. Eum autem interrogaui, cupiens scire causam illius nouæ vitæ & instituti. Ille autem Græca lingua vsus (erat enim Cilix genere) Ego, inquit, multis peccatis obnoxius, & credens suppliciis quorum minæ sunt intentatæ, hoc vitæ genus excogitaui: hoc agens, vt castigetur corpus pœnis mediocribus, vt eripiar à magnitudine earum quæ expectantur. Sunt enim illæ grauiores, non solùm quantitate, sed etiam ipsa qualitate: sunt enim inuoluntariæ. Quod autem ab inuito fit, id est valdè molestū. Quod autē est voluntarium, etiam si sit laboriosum, minorem affert dolorem; sponte enim suscipitur. Si his ergo (inquit) paruis molestiis minuero ea quę expectantur, hinc magnū lucrum referam. His auditis, eius ingenij solertiam valdè sum admiratus. Hactenus Theodoreti verba; quæ quantam nobis timoris materiam iniicere debeant, quoniam ego verbis consequi non possum, vobis cogitandum relinquo.

Cùm ergo Dominus se in prouerbiis ad discipulos locutum fuisse dixisset, subiecit protinus: *Venit hora, quando iam nō in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre meo annunciabo vobis.* Quod perinde est ac si diceret: Modò adhuc animales estis, ideoque minus idonei ad spiritualia mysteria percipiēda, quæ nemo nisi spiritualis vir penetrare potest. Cùm ergo Spiritus ille cælestis

in vos delapsus fuerit, ipse vos spirituales efficiet, & luce sua complebit, qua, omnibus ignorātiæ tenebris depulsis, puram & liquidam diuinorum mysteriorum veritatē & dignitatem cernere valeatis. Quo quidem tempore in nomine meo petetis. Quia enim præcipuum Spiritus sancti munus est, claritatem meam hominibus ostendere, vbi vos eius magisterio eruditi, hanc meam gloriam & gratiam apud Patrem agnoueritis, non dubium quin in nomine meo petituri sitis, vt qui probè teneatis quàm bonam causam habeatis, cùm ab eo gratam cęlestemque hæreditatem in nomine meo petitis.

Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, &c. His verbis quanta fuerit Dominicæ redemptionis & reconciliationis gratia, apertè mōstratur. Aliud enim recōciliationis genus est, cùm is, qui reus agebatur, per se gratiam & veniam cōsequitur: aliud verò, cùm (exempli gratia) iratus seruo Dominus ad præstantis alicuius amici preces errata condonat, quemadmodū Dauid parricidæ Absoloni ad preces Ioab veniam concessit, quem tamen ante conspectum suum venire prohibuit. Sic etiam Dominus
Iob 24 amicis Iob se veniam daturum pollicitus est, si ad illum victimas deferrent, vt ipso pro illis orante, & sacrificium offerente, errorum suorum veniam impetrarent Faciem (inquit) eius suscipiam ne vobis stultitia imputetur. Itaque ad sanctum virum mittuntur, vt per illum impetrarent, quod per se minùs potuissent. At Christus Dominus longè alia ratione diuinam nobis amicitiam conciliauit. Non enim eatenus amicos Dei fecit, vt alio pro nobis aduocante erratis nostris Pater cælestis ignosceret, neque tamen nobis sui adeundi copiam faceret; sed vtrumque nobis præstitit, vt & ipse tanquam amantissimus Patris Filius pro nobis intercederet, & nos ipsi quoque per illum filij & amici Dei effecti, illum adire, & pro nobis ipsis intercedere possemus. Filius enim Dei filios, dilectus dilectos, & sacerdotes, hoc est, deprecatores instituit, vt iā officij nostri sit, & pro nobis ipsis, & pro aliis etiā preces & victimas Patri offerre. Subiecitq. causam: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis.* Quo ex loco intelligimus, tantum esse amorem quo Pater diligit Filium, vt, quisquis Filium dilexerit, hoc ipso diligatur à Patre. Quod quidē Saluator alibi explicuit, cùm dixit: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo. Et rursum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c.
August. Quæ quidem verba, vt D. Augustinus annotauit, non ita accipienda sunt, vt intelligamus posse nos solius naturæ viribus Christum ita diligere, vt à Patre diligi mereamur. Displicentes enim, ait idem, (hoc est, cùm ingrati essemus) amati sumus, vt

esset

esset in nobis vnde placeremus. Amat ergo nos Pater, quia nos amamus Filium; cùm tamen à Patre acceperimus, vt & Patrem & Filium amaremus. Hactenus de Euangelica lectione; nunc ad proposita Thematis verba veniamus.

Tractatio Thematis.

PETITE, *& accipietis, vt gaudiũ vestrum sit plenum.* D. Thomas, hunc Ioannis locũ explanans, dupliciter verba hęc intelligi posse ait, vel vt gaudiũ illud fructus sit orationis nostræ, cùm de impetrata gratia, quam petimus, gaudemus; vel vt plenum gaudium sit, quod à Deo precibus nostris impetrare contendimus, dum cælestis regni gloriam postulamus. Hoc igitur secũdo modo gaudium accipiamus, vt quicũque se nimium diligunt, quale sit eis post hanc vitam propositum à Deo laborum suorũ præmium, intelligere vtcũque possint. Sic enim fiet, vt nihil eis difficile, nihil asperum propter illud adipiscendum arbitrentur.

Cæterùm vt gaudij huius magnitudinem aliqua saltem ex parte intelligere possimus, eius causas breuiter expẽdamus. Ad hoc autem, sanctissimi alicuius viri animam ab ergastulo corporis egredientem, & cælestia regna penetrantem (qualis Pauli primi Eremitæ fuit, quem sanctus Antonius inter Angelorum cateruas niueo candore fulgentem in sublime conscendere vidit) nobis ante oculos proponamus. Et quãuis talis anima, vbi à corpore soluta est, immẽsam illam diuinæ pulchritudinis speciem reuelata facie contempletur (in quo beatitudinis nostræ summa consistit) docendi tamen gratia ab inferioribus ad summam hanc beatitudinem veluti per gradus paulatim ascendentes, huius gaudij causas inspiciamus.

Principiò igitur, quale illud gaudium erit, cùm hæc anima sanctissima corpore soluta (quæ adeò inopẽ & laboriosam in eo vitam duxit) supernã illam ciuitatem ingrediatur, de qua Ioannes in Apocalypsi ait: Ipsa autẽ ciuitas aurũ mundũ, simile vitro mũdo: cùm muros illos ex lapidibus pretiosis, portasq; ex singulis margaritis mirificè fabrefactas, cùm fluuium illum aquæ viuæ splendidũ tanquã crystallũ, procedentẽ à sede Dei & Agni, cùm magnifica illa palatia, quæ mensura nulla comprehendi possunt, cùm mansiones multas in domo superni Patris variis meritorũ gradibus destinatas, ac postremò cùm ex eo loco sub se cęlorum orbes, solem, lunam, cæteraq; astra mũdum illuminantia atque regentia videat? Verùm hoc gaudium ex illius loci splendore cõsurgit, cuius amœnitatem & pulchritudinem nulla mentis humanæ cogitatio comprehendere potest. Apoc. 21.

Quid verò, cùm tot sanctorum ordines variis meritorũ atque virtutum gradibus distinctos, cùm Virginum candorem, Con-

fessorum puritatem, Anachoritarum sanctitatem, Pontificum auctoritatem, victrices sanctorũ Martyrum acies, sanctissimum Prophetarum & Apostolorum senatũ, qui fidẽ Ecclesiæ doctrinis & virtutum suarum exemplis, atq. adeò sanguine suo fundauerunt, contempletur? Quid cùm viginti quatuor illos seniores, coronis aureis redimitos, ante diuinæ maiestatis thronum assidentes videat? quid cùm turbam illam magnam, quæ à nemine dinumerari poterat, quã se vidisse Ioannes in Apocalypsi testatur, ex omnibus gẽtibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amictos stolis albis, & victrices palmas in manibus gestantes, quibus de cõmuni generis humani hoste se inclyta trophæa reportasse testantur, intuebitur? Quale igitur gaudium erit, cùm omnes hi Sanctorum ordines de noui ciuis gloria & ingressu in eam ciuitatem gaudentes, illi obuiam procedant, ipsumque fraterna charitate complectantur, atque de eius noua gloria gratulentur, nec minùs de ea quàm de sua collætentur?

Apoc. 7.

Iam verò, quale gaudium erit post animarum sanctarum ordines, tot Angelorum myriades, tot beatorũ spirituum agmina, in nouẽ digesta choros intueri? in quibus sunt Angeli, Archangeli, Virtutes, Dominationes, Principatus, Potestates, Throni, Cherubini, & Seraphini, quorũ quàm varia sunt nomina, tam varia sunt officia, & merita virtutum, & coronæ meritorũ. Sed inter hos tamen maximè mirabiles sunt Cherubini & Seraphini, qui incircumscriptum illud lumen, atq. immensam Domini sui pulchritudinem contemplantes, flagrantissimo ipsius amore ardent, cęlestemq; curiam in communis Domini amorẽ inflammant. Quorum quo maior est dignitas, eo est multitudo numerosior. Quòd si vehemens nos admiratio tenet, cùm ingentem exercitum ducentorum aut trecentorum millium hominum fulgentibus armis instructum cernimus; quale erit innumerabilem militiæ cælestis exercitum videre, Imperatoris sui gloriæ militantem, de quo Daniel ait: Millia millium ministrabãt ei, & decies millies centena millia assistebãt ei? Quo genere loquendi innumerabilem esse Angelorũ exercitũ significare voluit. Quod etiam quidam ex amicis Iob intellexit, cùm ait: Nunquid est numerus militum eius? Quale ergo erit vastissima illa atque immensa cælorum spatia innumerabilibus sanctorum spirituum, & beatarum mentium agminibus compleri, & inter eas sedem & dignitatem habere, deque omnium eorum gloria perinde atq. de sua lętari? Iam verò supra omnes Angelorum choros, supra Cherubinos & Seraphinos occurret beatissima illa misericordiæ mater, peccatorum aduocata, cælorum Regina, & Angelorũ domina, ineffabili claritatis gloria

Dan. 7.

Iob 25.

ad

ad dexteram filij ſedens, quæ inæſtimabili decore ſuo totam ciuitatem Dei lætificat. Supra hoc autem gaudium, maius adhuc erit, ſacratiſſimam Chriſti humanitatem, ſideribus cũctis atque ſole ipſo ſplendidiorem, ad dexteram Patris ſedentem, & roſea in eius corpore ſtigmata vulnerum contemplari, per quæ ipſi nouæ regenerationis gratia, delictorum venia, Dei amicitia, ius hæreditatis æternæ, & diuini Spiritus chariſmata donata ſunt: per quæ ipſis ad tantam felicitatem aditus patefactus eſt. Quo igitur hæc felix anima gaudio perfundetur, cùm ſacratiſſima illa ſtigmata amplecti, exoſculari, & adorare conceſſum erit?

Sed nondum hic gaudiorum finis; ſupereſt aliud longè maius atque illuſtrius, in quo votorum noſtrorum ſumma, deſideriorum finis, & felicitatis humanæ portus conſtitutus eſt; nempe non iam per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciẽ videre immenſam illam pulchritudinem, ſummum illum rerum omnium cõditorem & moderatorem, ex quo omnia oriuntur, per quem omnia conſeruantur, ad quem omnia diriguntur; illum, inquam, qui appendit tribus digitis molẽ terræ, ante cuius conſpectum velut momentum ſtateræ eſt orbis terrarum, & quaſi gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram, illud poſtremò primum ens & vltimum bonum, in quo eſt omne verum, omne pulchrum, omne perfectum, omne bonũ, à quo omnia pulchra & bona velut ab immenſo & impermeabili Oceano deriuãtur. Itaque cùm beati hominis anima ad hoc ſummæ felicitatis faſtigium peruenerit, nihil amplius deſiderabit, nihil quæret. Ibi enim volubilis & inquieta deſideriorum noſtrorum tota conquieſcet. Ibi intellectus noſter in fœcũdiſſima illa veritate multiplices rerum veritates intuebitur, nec amplius aliquid ſcire deſiderabit. Ibi humana voluntas in illo bonorum omnium atque deliciarum pelago requieſcet, vbi ſummum illud & vniuerſale bonum, in quo ſunt omnia bona, fuerit amplexata. Quale ergo gaudium erit, hoc altiſſimæ diuinitatis ſpeculum retecta facie contemplari, vnum cum illo per amorem fieri, & in vaſtiſſima illa diuinitatis abyſſo totam immergi? Quid verò cùm ſummus ille rerum omnium Dominus læto vultu & grata voce fidelem ſeruum in illam lucem ingredientem, & poſt longa huius vitæ exilia in illam patriam remeantẽ excipiat, & his verbis dulciter & amanter alloquatur? Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Mat. 25.

Quid verò, cùm iuſti viri anima, tantam adepta gloriam, certiſſimè ſciat eam fore ſempiternam, nec ſe ab illa felicitate & gaudio vllis aduerſantis ſatanæ machinis, aut vlla temporum diuturnitate caſuram? Cæterùm, cùm reuelante atque docente

Spiritu intelligat, quæ in seculo pericula beneficio eius euaserit, quas tentationes vicerit, quos hostis antiqui laqueos idem Spiritus preciderit (in quibus capiendus fuisset, nisi illos ipse antevertisset) quas tunc gratias præsidi & custodi suo aget! qua animi gratitudine illa Dauidis carmina concinet! Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel; nisi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos. & cætera quæ sequuntur.

Psal. 123.

Sed inter has tamen gaudiorū̃ causas illa minimè reticẽda est, cùm felix anima, oculos ad ima deflectens, tartarorū locum atque damnatorum pœnas, clamores, fletus, stridorem dentiū, atque horrenda supplicia cernat, quæ diuinæ miserationis gratia euasit, inter quos fortè videat multos ætatis, conditionis, atque fortunarum & studiorum suorum comites; cum quibus familiariter vixit, & cum quibus etiam perire potuit. Quas ergo tunc gratias liberatori suo aget, cuius beneficio ab illa perditorum hominum colluuione, ab illa summa & æterna miseria liberatum, atque ex damnatorum & dæmonum sorte in sanctorum Angelorum & beatarum animarum sortem se cooptatum videat?

Quo ergo mentis ardore, quo dilectionis igne aduersus tantorum bonorum largitorem exardescet! quibus illum laudibus prosequetur! quàm insatiabili desiderio gloriam eius prædicare gestiet! Rursumque cùm oculos ad anteactæ vitæ cursum deflectat, intelligatque per pias preces & lachrymas, per varia virtutum officia, per humilitatem cordis, per laborum patientiā, per charitatis & misericordiæ opera se ad hanc tantam felicitatem peruenisse: quàm felices lachrymas, quàm beatos præteritæ vitę labores existimabit, per quos illi ad tantam gloriam iter patefactum est! Quàm vellet (si id quidem fieri posset) millies vitam & sanguinem in Domini sui obsequium profudisse, vt hac saltem ratione tantorum bonorum auctori gratificari posset! Sed quia hoc non potest, hoc vnum solatium habet, infatigabili atque insatiabili desiderio illius gloriam prædicare, illius laudes decantare, in illius se amorem toto pectore, tota mente, totisque viribus plenissimè effundere, & summum illud diuinæ dilectionis præceptum (quod in hac vita non omnino impleri potest) in illa perfectissimè adimplere.

Hoc est igitur, fratres, perpetuum ciuitatis huius munus & officium; hæc felicitas & iucunditas, in qua plena charitas, perfecta puritas & innocentia perpetuò vigebunt. O sedes illas beatissimas, diuinaque domicilia, in quibus homines pietate præstantes locati, nec vitiis infici, nec deformitate maculari, nec tormentis inuidiæ conuelli poterunt; sed expertes omnium malo-

malorum, æternisque præsidijs & ornamentis magnificentissimè redundantes, gloria immortali circũfluent! Saluete ciues cœlestes, qui ab hac ærumnosa vita in illam æternam domum excessistis, in qua diuinis opibus exculti, summisque bonis affluentes, æternis gaudijs triumphatis. Vos soli demum estis beatissimi iudicandi, quorum vita est omni bonorum copia cumulata, quorum laus emori non potest, quorum nomen nulla vnquam obscurabit obliuio. Vestrum decus atque nomen summus ipse Deus, qui vos sibi adoptauit, amplectitur, à quo lucem accipientes, & in illius naturam quodammodo conuersi, diuinæ formæ pulchritudinem estis illius beneficio consecuti. Quis hanc gloriam animo perspiciens, non optet quamprimùm ab hac turba & colluuione discedere, & in cælum continuò migrare? Quanta enim tandem voluptas erit, inter Angelos numerari, piorum animorum cœtibus interesse, laudibus diuinis extolli, atque postremò (quod caput est) summo illi cæli dominatori nutu omnia regenti, purasque mentes immensa luce collustranti, & summis æternisque laudibus cumulanti, perpetuò copulari! Sed de gloria illa, atque diuinis præmijs, pijs hominibus à Deo constitutis, ineptum erit fortasse plura disserere. Nec enim oculis cerni, nec auribus accipi, nec mente & cogitatione comprehendi in hac vita possunt. Superat enim, atque longissimo quidem interuallo superat eorum magnitudo omnem humanarum cogitationum intelligentiam & facultatem. Hæc igitur verbis exprimere non possumus: at eorum cupiditate incendi & incitari possumus. Hæ sunt, fratres, præcipuæ pleni huius gaudij causæ, quod nos Saluator in hodierna sancti Euangelij lectione petere iubet. Finem ergo iungamus principio; in quo, si meministis, eos, qui vehementer sui ipsorum amore flagrant, appellauimus. Si igitur tales, nisi proposita alicuius insignis emolumenti spe, ad agendum non mouentur; duo hic maxima illis emolumenta, alterum ad hanc vitam, alterum ad futuram, exhibemus. In hac enim vita petitionũ suarum exauditionẽ proponimus (ad pios quippe illa Domini promissio pertinet: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*) in futura verò hoc plenum & summum gaudium (quod hactenus vobis exposuimus) illos manet. Quæ igitur tanta hominum tarditas atque socordia erit, quę hac tanta mercede proposita non excitetur? non ad eam peruenire desideret? non eius amore cõtabescat? non omnia, quę in mũdo pretiosa putantur, propter eam cõtemnere, omniaque ardua atque difficilia aggredi velit? Si enim (inquit Augustinus) quotidie nos oporteret tormenta perferre, si ipsum gehennæ ignem lõgo tempore tolerare, vt Christũ in gloria videre possemus, & sanctorum eius numero sociari: nõne dignum esset pat. Augus. in Medit.

omne quod triste est, vt tanti boni, tantęq. gloriæ participes haberemur? O stulta mortalium auaritia, quæ res futiles & interituras tanto studio & ardore terra marique conquiris, quanto maiori studio & contentione hæc tanta bona per tela, per ignes quærere deberes! Huc huc, fratres dilectissimi, studia vestra cõuertite, has opes thesaurizate, & in cælesti gazophylacio recondere satagite; vbi neque ærugo & tinea demolitur, neque fures effodiunt & furantur. Hæc nos spes vigilãtes perpetuò comitetur, hæc dormientes à somno excitet, hæc ad omnes virtutis labores exsuscitet. Hac igitur spe & cogitatione erecti, cũctis huius vitæ voluptatibus renunciemus, crucem Domini (quæ regia in cælum via est) amplectamur; qua & dux noster, cæterique eius sectatores ingressi sunt; vt illorum tenentes viam, illorum tandem mereamur percipere coronam & gloriam.

FERIA II. IN ROGATIONIBVS,

CONCIO PRIMA: IN QVA PRIMVM de humanæ naturæ lapsu & miseria agitur: deinde verò de orationis necessitate & virtute, qua huic miseriæ subuenitur.

THEMA. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Lucæ 11.



IAM primùm ex Ecclesiasticis historiis satis constat, fratres charissimi, his sacris diebus, quos Rogationũ appellamus, calamitates insolitas, quibus olim Ecclesia afflicta fuit, initium causamq. attulisse; quo tempore homines humanis auxiliis destituti, totum studium suũ ad rogandum Dominum contulerunt; vt eius ope impendentia mala & pericula propulsarent. Quia verò Ecclesia nouis quotidie malis vrgetur; ideo illud idem institutum, idemq. orandi munus hodie quoque apud nos retineri voluit: vt, quando mala quotidie non desunt, malorum quoq. medicamenta & remedia non deessent. Quod verò aliud præsentius malorum remedium, quàm diuinum auxiliũ? Quo verò studio hoc auxilium, nisi piis actionibus & orationibus impetratur? Oratio enim velut legatio quædam est, quæ à terris ad cælũ transmissa, cuncta mala nostra cælesti medico denuntiat, vt periclitantibus opem ferat: quandoquidem ipse eam piè petentibus pollicitus est, cùm ait: Inuoca me in die tribulatio-
Psalm. 49. nis; eruã te, & honorificabis me. Hoc ergo velut chirographum

secum

ſecum deferens oratio, veritatis atque miſericordiæ ſuæ Dominum commonefacit, & ſic tandem voti compos ab eo digreditur. Scit enim ſcriptum eſſe: Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Hoc ipſum autem hodierna ſancti Euangelij lectio cumulatiſſimè docet: in ea namq. omnis orandi ratio & diſciplina cæleſti magiſterio tradita cõtinetur. Cùm enim (ſicut S. Euangeliſta Lucas ait) Dominus orationi more ſolito vacaret, quidam ex diſcipulis orationis eius exemplo permotus, Domine, ait, doce nos orare, ſicut docuit Ioannes diſcipulos ſuos. Quam eius petitionem Dominus adeò libenter excepit, vt exactiſſimè totam illi nobiſque omnibus orandi rationem tradiderit: dum & quid orandum, & quomodo orandum, hoc eſt, qua fide & perſeuerantia orandum ſit, cumulatiſſimè docuit. Quia enim Oſeas Propheta verba nobiſcum offerre præcipit, quibus diuinam opem imploremus: quæ ad hoc aptiſſima verba eſſent, ipſe per ſe docere dignatus eſt. Nulla enim commodiora verba (quæque magis & miſericordiam Domini prouocarent, & fidem atque dilectionem noſtram erga illum excitarent) excogitari potuerunt, quàm quæ is nobis in oratione ſua dictauit.

Pſalm. 54.
Lucæ 11.
Oſeæ 14.

Neque his contentus, veritus ne, ſi ilicò non exaudiremur, ab hoc ipſo precandi ſtudio ceſſaremus, magnis nos argumẽtis ad orationis perſeuerantiam inuitauit: certiſſimum diuinæ gratiæ præſidium in ea perſeuerantibus promittens. Ait igitur: *Quis veſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte dicens: Amice, commoda mihi tres panes.* & cætera quæ ſequuntur vſque in finem.

AVE MARIA.

Pars prior.

PETITE, *& accipietis*, &c. Si quis, fratres chariſſimi, diligenter ſacras vtriuſq; Teſtamenti litteras euoluerit, animaduertet planè, vix quidquam inſtantiùs & frequentiùs nobis à Domino, quàm precationis ſtudium, cõmendari. Cuius rei innumera penè loca (niſi veſtras aures obtundere vererer) in medium afferre poſſem. Quocirca quicumque ſalutis animæ ſuæ ſtudioſi ſunt, illud maximè curare & amplecti debẽt, quod illis maximè oracula diuina commendant; quodque cæleſtis magiſter in hodierna ſancti Euangelij lectione adeò perſeueranter atque inſtanter nos facere ſuadet. Cùm autem multa ſint quæ nos ad hoc officium impellere poſſint (quorum nonnulla in præſenti concione referemus) tum nihil magis vrget, quàm ſumma illa generis humani clades & miſeria, quæ à peccato orta, naturam vniuerſam infecit; quæque hæreditario iure ad po-

ad posteros transmissa non solùm mortis, sed malorũ omnium atque ruinarum seminariũ est. Hinc enim homines natura fragiles, ingenio hebetes, consilio improuidi, viribus imbecilles, affectibus præcipites, curis anxij, cupiditatibus furentes, & omnibus denique molestiis, casibus, iniuriis, & morbis obnoxij, vitam degimus calamitosam & miserandam.

Rom. 7. Sed inter hæc mala omnia, præcipuum est, carnis aduersus spiritum rebellio: quã Apostolus exposuit cùm ait: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati. Quam rem vt apertiùs intelligatis, sciendum est, hominem initio conditionis suæ, originalis iustitiæ beneficio, sicut cætera animantia, ita in omnes animi sui affectus & motus (qui ad animantium naturam proximè accedunt) despotico (vt appellant) principatu imperium accepisse. Quo fiebat, vt qua nunc facilitate voluntas nostra corporis membra sine vlla tergiuersatione, quocunque voluerit, impellit; ita tunc omnes animi motus plenissima potestate sub imperio suo contineret. Hanc autem facultatem miser homo simul cum originali iustitia per peccatũ amisit. Quo factum est, vt omnes hi ferini motus iustitiæ fræno amisso, tanquam indomitæ feræ, vinculis solutæ, cõtra spiritum insurgãt, & rebellibus aduersus illum cupiditatibus pugnent. Qui quamuis ad peccati consensum cogere nequeant, vehementer tamen mentem nostram perturbant, & ad peccati consensum sollicitant. Quamuis enim spiritus noster ex natura sua ad spiritualia bona, vtpote sibi cognata & similia, semper aspiret: sensus tamen & affectus vehementiori quodam impetu ad sensibilia & terrena bona nos rapiunt: quorum & præsens conspectus, & assiduus fructus, & voluptas quæ ex eorũ vsu percipitur, vehementer eos ad se alliciunt. Ex quo quidem impulsu illud sequitur, quòd Apostolus

Rom. 7. ex carnalium hominum persona queritur: Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, illud facio. Qua quidem seruitute quid miserabilius? Quid enim indignius, quàm hominem adeò acriter ad malum (quod summam illi perniciem affert) incitari, adeoq. lentè & languidè ad bonum (in quo salus

Simile. eius sita est) commoueri? Hunc autem duplicem animæ nostræ motum nullo commodiori exemplo, quàm duplici orbium cælestium motu, explicare potero. Quilibet enim ex eis duplici motu circumagitur: proprio videlicet, qui ab occidente tendit in orientem; & communi (qui etiam motus raptus siue diurnus appellatur) quem diuersa ratione ab oriente in occidẽtem ferri quotidie videmus. Et ille quidem proprius adeò tardus est, vt vnius anni, nonnumquã verò duorum, interdum etiam duodecim annorum, aut etiam plurium spatio conficiat orbem suum.

At mo-

At motus hic diurnus, qui à primo mobili procedit, & cęlis omnibus cõmunis est, tanta celeritate voluitur, vt quatuor & viginti horis cursum suũ absoluat. Ad hunc modũ cum duplicem animæ nostræ portionem esse cõstet; alterã quidẽ spiritualem, quæ hominis propria est; alteram verò animalẽ, quæ illi cum cæteris animantibus communis est: ea miser homo post naturæ lapsum cõditione est relictus, vt spiritualis illa atq. diuina portio, hominisque propria (quæ natura ipsa spiritualia atq; diuina appetit) tardissimo atque lentissimo in ea motu feratur; inferior verò illa (quæ nobis cũ cæteris animantibus cõmunis est) flagrantissimo ad voluptaria & terrena bona, tanquam sibi cognata & familiaria, rapiatur, impetuq; suo spiritualem portionem secum trahat atque prosternat. Quamuis enim hæc potior nostri pars libera sit, & ad peccati consensum cogi non possit; tanto tamen amore atque naturæ fœdere huic inferiori conglutinata est, vt, cùm illam cupiditate aliqua flagrantem viderit, illi ferè annuat, & prauæ cupiditati consensum præbeat. Ardens enim amor facit, ne germanam substantiam, arctissimoque naturæ vinculo sibi copulatam, concupitæ rei desiderio rumpi & cruciari patiatur. Hinc etiã fit, vt homo, qui totus anteà spiritualis & cęlestis erat, totus modo (vbi diuina gratia destituitur) carnalis & terrenus effectus, sola sapiat terrena atq. carnalia. Quam rem D. Gregorius breuissima simul & verissima sententia complexus est, di-
cens: Homo, qui, si non peccasset, etiã carne spiritualis futurus Mor.li. 5.
erat; factus est peccando, etiã mente carnalis. Dum enim mens ipsa varias nocendi vias, variaque carnis oblectamenta rationis acumine & ingenio perquirit, an nõ & ipsa carnalis, imo & carnis mancipium effecta est? Quid autem malorum ex hac tanta miseria non sequatur? Si enim (vt Saluator ait) lumen quod in
te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt! hoc est, si mens Matth. 6.
ipsa, quæ vitæ dux atque magistra est, quæ actionum nostrarum lumen est, quæq. nos ad spiritualia atque diuina perducere debebat, eadem ipsa est quæ ministrat libidini, quæ seruit flagitio, quæ ipsius deniq; cupiditatis effrenatæ mancipium est: quid iam nobis sperare liceat, nisi vt, quod ex carne natum est, caro sit, car-
nalia quęrat, carnalia curet, & sola quæ carnis sunt, sapiat? Quo- 1. Cor. 13.
modo autem caro & sanguis regnum Dei possidebunt? aut quomodo ad incorruptionem corruptela perueniet?

Iam verò corporis vulnera, hoc est, mala corporis, quæ ex peccato illo orta sunt, quæque nos quotidie tot modis vexant, quis enumerare queat? quis morborum vim & varietatem? quis inopinatos casus, quis maris atque terræ pericula, quis bella, quis captiuitates & exilia, quis denique hominum in homines iniurias, insidias, & maleficia oratione consequi possit? Adde, si

libet, nuptiarum moleſtias, vitæ ſolicitudines, fori lites & contentiones, & reliqua mala, quibus vita florens in ſumma laborum omnium contentione verſatur. Iam verò quàm multis laboribus, quàm multis periculis & negotiis, vel paruũ victum (qui auiculis etiam & cæteris animantibus vbique ſine labore ſuppetit, quemque nobis ante peccatum ſine vllo labore noſtro copiosè terra ſubminiſtrabat) plerique hominum comparant! Plures, ait Propheta, feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſunt cæli. Quò autem tota hæc cura, niſi ad vnius ventris obſequium conferri ſolet? Sic enim ſcriptum eſt: Omnis labor hominis in os eius. Hæc autem omnia tum corporis, tum animæ mala, fratres (vt hoc obiter admoneamus) vnius peccati merito non in eum ſolum hominem qui Dei præceptum præuaricatus eſt, ſed in vniuerſum genus hominũ qui ſunt, fuerunt, & erunt, hoc eſt, in ramos omnes qui ab illo ſtipite propagantur, iuſtiſſima Dei ſententia immiſſa ſunt. Ea namque ſempiternæ illius maieſtatis bonitas, dignitas, & ſublimitas eſt, vt illam vel vnica tranſgreſſione offendere, tanta tamque latè patēte animaduerſione debuerit plecti. Quo indicio qui lethalis peccati grauitatem ac deformitatem (quod tam facilè multi hominum admittũnt) non cognoſcit, & morte peiùs illud odit, non video quo argumento id intelligere queat. Quamuis non ignorem, maius adhuc eſſe huius tanti mali tantæq; deformitatis indiciũ, quod non alio ſacrificio quàm Vnigeniti ſui ſanguine voluerit Pater æternus expiari. Hoc velut in tranſitu dictum ſit, quod alioqui longiſſima oratione erat explicandum.

Nahum 3.

Eccle. 6.

I.

Verùm vt ad id, cuius gratia hęc à nobis inducta ſunt, redeamus; quærendum eſt, quod Pater ille miſericordiarũ (qui poſtquam iratus fuerit, miſericordiæ recordatur) quod, inquam, remedium poſt Vnigeniti ſui aduentum his tãtis malis adhibuerit. Et quidem Philoſophi, qui ſe nihil neſcire profitebantur, cùm horum malorum cauſam & originem ignorarent, eamq; non culpæ ſupplicia, ſed naturæ conditionem eſſe crederent, ipſumque naturæ auctorem in neceſſariis non deficere prædicarent; vnam rationem eſſe dixerunt, qua ſibi homo omnibus in rebus cõſuleret, quæque ſola inſtar omnium eſſet. Qui enim diuinam gratiam nõ agnoſcebant, nihil niſi vnã Rationem habuerunt, quam his tantis malis conſultricē opponerent. Itaque quidquid cętera animantia naturæ inſtinctu & beneficio ad vitæ vſum comparabant, ea quidem omnia atque plura etiã hominem ſola rationis ope conſequi, atque ideo etiam cuncta ſibi huius virtute & facultate ſubiicere poſſe credebant. Hinc illud Poëtæ de rationis humanæ vi atque dignitate diſſerentis:

Hic,

Hic ratione potens validissima quæque subegit,
Alipedes tygrides, iracundosq; leones.
Et quamuis diro sint corpora plena veneno
Serpentum, tamen hunc metuunt: huic maxima cedit
Oceani moles, oris balæna supini.

Neque his solùm quæ ad corporalis vitæ vsum, sed iis etiam quæ ad rectæ vitæ institutionem necessaria essent, vnius rationis præsidium satis esse arbitrabantur: vtpote qui naturam solam sibi ipsis ad bene beateque viuendum sufficere existimarent: quam non modò ad virtutem doctricem, sed etiam adiutricem esse prædicabant. Hinc Cicero naturam optimam vitæ ducem appellat: Multis enim, inquit, signis ea declarat quid velit, quid quærat atque desideret. Obsurdescimus tamen nescio quomodo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Rursumque alibi, A natura, inquit, ipsa desciscimus, vt nobis optimam naturam inuidisse videamur. Idem quoque prædicat illa nobilis historici sententia: Falsò queritur de natura sua genus humanum, quòd imbecilla, atque æui breuis, forte potiùs quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, nec maius aliud, neque præstantius inuenies, magisque naturæ industriam hominum, quàm vim aut tempus deesse. Hinc illæ voces, naturæ vim atq. solertiam attollentes: Quid ratione melius? quid ingenio admirabilius? quid humana indole præstantius? quid in tota hac rerum pulchritudine, quam intuemur oculis, mente diuinius? quid est deniq; in toto mundo quod ad naturam diuinã propiùs accedat? Ex hac autem Philosophorũ schola Pelagiani prodierũt. Fuerunt enim (vt D. Hieronymus ait) Philosophi hęreticorum Patriarchæ. Hi namq; Pelagiani eandẽ doctrinã reuelatæ gratiæ tempore tueri non dubitarũt, nempe solã hominis mentem atque naturã ad omnia virtutis ornamenta, atque adeò ad æterna præmia consequenda sufficere definientes. En quibus præsidiis ruentẽ, atque adeò in imo iacentem hominis naturã Philosophi erigi atque fulciri posse prædicabant. Mirum profectò est, sæculi sapientes ita desipuisse, vt tantũ vni rationi tribuerẽt. Ea namq; pręterquã quòd per se infirma atq; imbecilla est, frequenter etiã multum ex acumine & splendore suo amittit, quoties variis affectibus & cupiditatibus, velut atris quibusdam nebulis ita obscuratur; vt magis illis quàm veritati pareat: dum magis nititur rationes excogitare, quibus id, quod amica caro concupiscit, licere sibi persuadeat, quàm vt puram & liquidam veritatem amplectatur. Vbi enim cupiditas in homine dominatur, ingens caligo mẽtis oculis offunditur, & animus frangitur atque debilitatur, vt vel nequeat verum aspicere, vel quod quasi per caliginẽ videt, atque rectum esse statuit, exequi nolit.

Cicero in Tusc.

Cicero in Lælio.

Sallust. in Iugurth.

Hieron.

Vnde est illud Poëtæ: Video meliora proboq., Deteriora sequor.

Iam verò, quàm infirmum in ratione præsidium ad cætera corporis mala depellenda positum sit, illud satis argumento est, quòd innumera sese quotidie discrimina offerunt, quibus, si Dei præsidio destitutus sis, sola tibi rationis ope consulere nequeas. Quod vt clariùs appareat, volo vobis non ex hoc aut illo angulo, sed ex omnibus mundi ætatibus viros in omni genere laudis præstantes (in quos opes suas omnes natura effudisse videtur) eorumque casus, & ruinas, & vitæ exitus ante oculos ponere: vt horũ exẽplo appareat, quid cæteri inferioris notæ homines, qui velut in turba latent, de se sibi sine singulari Dei præsidio polliceri aut sperare possint, cùm talium virorum ruinas & casus miserabiles videant. Quæro igitur à vobis, quid inter homines Iulio Cæsare, Pompeio, Annibale, Alexandro Magno potẽtius, aut M. Tullio facundius & eloquẽtius? Atque vt ex sacris litteris aliquid referam, quid Salomone sapientius? quid Achitophele prudentius; cuius erat consilium, quasi si quis cõsuleret Deum? Hi namque inter omnes homines clarissimi & præstantissimi in suo quisque genere extiterũt. Quid igitur de his referam, quantum vnicuiq. horum vel ad virtutem vel ad vitam hæc tanta vis ac indoles præstiterunt? Iulius Cæsar, qui primus Romanorum Imperatoribus Cæsaris nomẽ dedit, post quinque tantùm menses quibus imperio in pace potitus est (quod infinitis propè laboribus fuerat assecutus) sex & viginti vulneribus cõfossus, miserabiliter corruit. Pompeius Magnus, qui adolescentulus adhuc propter rerum gestarum gloriam triumphũ Romæ promeruit, abscisso capite, miserandum victori hosti spectaculum præbuit. Annibal Romanorum terror & victor, hausto veneno, ipse sibi mortem cõsciuit. Alexander verò Magnus, orbis domitor ac dominus, eodem veneno, non sponte suscepto, sed ab inimicis porrecto, immatura morte sublatus esse memoratur. Salomon idola Gentium in senectute (ô immane nefas!) coluit, & aras atque templa illis erexit. Achitophel, rebus suis prudenter constitutis, adeò sibi stultè cõsuluit, vt laqueo sibi vitã eriperet. M. Tullius, qui toties eloquẽtiam ad sui defensionem mirè valere prædicauerat, adeò eius præsidio vitam tueri nõ potuit, vt eadem ei vitam ademerit. Quis igitur his tantis exemplis nõ apertè humanæ infirmitatis abyssum videat, quando quod in ea clarissimum ac penè summum extitit, adeò miserandis casibus & ruinis obnoxium fuit? Quis ergo iam sibi suis viribus tutò fidere audeat, cùm tam magnos illustresque conatus frustrà susceptos esse animaduertat? Quis aut naturæ aut fortunæ præsidijs ita munitus & instructus sit, vt nihil sibi vltrà formidandum esse putet; qui iis exemplis videat, nec præstantissimis viris naturæ indolem,

dolem, nec felicissimis fortunas suas, nec sapientissimis prudentiam suã tantum tribuisse, vt ab omni periculo & casu immunes essent? Hoc enim argumento ipse quoq. Salomon humanæ vitę miseriam significare voluit, cũ ait: Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapiẽtium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumq; in omnibus. Quæ verba non ideo dixit, vt diuinæ prouidentiæ curam à rebus humanis excluderet, sed vt ostẽderet, nulla esse tam firma præsidia, quæ non sunt infinitis humanæ vitæ miseriis & casibus obnoxia. Quid verò aliud Esaias Propheta significare voluit, cùm ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri? Gloriam enim carnis appellat, quidquid inter homines præstantissimum & summum est. Quod adeò est infirmum, vt rei omnium maximè fragili, nempe flori & fœno, comparauerit: quod quidem modò floret atq; viget, paulo pòst verò marcescit, & in sterquilinium mittitur.

Eccles. 9.
Esaiæ 40.

Pars posterior.
II.

VERUM hi omnes infidelitatis suæ tenebris oppressi, non viderunt, Dei quidem proprium esse sua tantùm virtute niti: homines autem, vt non sua tantùm opera, sed diuina formati sunt; ita nõ sua, sed diuina vi, quod ad naturæ suæ perfectionem attinet, cõsequi posse. Hinc D. Augustinus, Vt sit, inquit, homo aliquid, conuertat se ad illum à quo creatus est: recedendo enim frigescit, accedendo feruescit; recedendo tenebrescit, accedendo clarescit: à quo enim habet vt sit, ab illo habet vt bene sit. Ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis intelligimus, non aliunde vitæ extremum petendum esse, quàm vnde vitæ principium duximus. Itaque mentis nostræ velut sol quidam & lux diuinus Spiritus est: à quo & veritatis cognitio, & pietatis atque iustitiæ cultus deriuantur. Vt igitur abscessu solis necesse est oculis caliginem offundi, rerumque aspectum adimi; ita diuini huius Spiritus absentia mentes nostræ tetris tenebris obruuntur, aspectumque veritatis amittunt. Quid igitur in tantis malis faciendum? cuius ope nitendum, quando ipsa per se humana ratio, quamuis sese acriùs intendat, subuenire homini non possit? Huic igitur quæstioni respõdemus, malorum quidẽ omnium atq. molestiarũ causam esse, quòd à Deo bonorũ omnium fonte recessimus. Quod quidẽ D. Augustinus breui oratione indicat, dicẽs: Quem tu Domine imples, subleuas; & quia tui plenus non sum, oneri mihi sum. Hinc etiã D. Bernardus & mala nostra, & malorum remediũ designat his verbis: Nullum

August. super Psalm. 70.
August. lib. 10. Confess.
Bernard.

onus

onus importabilius mihi meipso, factus sum mihi super talentum plumbi grauis. Sed audiam tamen vocem solatij: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hoc igitur vnicũ in tantis malis homini perfugium relictũ est, fratres, nempe pietas & misericordia Seruatoris, qui nos ad se adeò dulciter & amanter inuitat, & opem ipsam adeũtibus pollicetur. Ipsum autẽ adeunt, qui diabolum, ac diaboli opera deserentes, & omnem à se sui fiduciã repellentes, in illo spem omnem salutis reponunt, illum intuentur, illum suspiciunt, ab illo pendent, illique vocãti parẽt, & cum B. Augustino dicunt: Vocasti nos Domine, vocamus te; ecce audiuimus vocantem, audi te inuocãtes. Perduc quò promisisti, perfice quod inchoasti; noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuũ; germina tua intrent in horreum tuum. Hæc ille. Ad hoc ipsum autem non solùm oracula diuina, sed ipsa nos quoque à Deo cõdita natura interno quodam afflatu & instinctu impellit; quæ in afflictis atque desperatis casibus (in quibus nulla humani præsidij spes affulget) oculos in cælum tollere, & ad auxilium inde postulandum adhortatur. Cùm autẽ hic affectus ab auctore naturæ (qui nihil frustra facit) cunctis hominibus ingeneratus sit; consequens est, vt, qui nos ad se clamare incitat, nobis etiã (nisi scelera nostra obsistant) adesse, & opem suam impartiri velit. Hoc igitur affectu & impulsu actus Propheta, ad hoc velut asylũ se confugisse memorat his verbis: Circumdederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis cõturbauerunt me. In tribulatione mea ad Dominum clamaui, &c. Hoc est, cùm ita vndique periculis vallatus essem, vt nullam mihi opem omnia rationis humanæ consilia pollicerentur, tunc in tribulatione mea inuocaui Dominũ, & ad Deum meũ clamaui, & exaudiuit, &c. Quoties verò idem Vates sanctus hanc sententiam repetit; Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos! Quid verò illud, Ascendũt vsque ad cælos, descendunt vsque ad abyssos? &c. &, Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est? Hoc est, cùm homo inter vndas aduersantis seculi positus, nullo se humano consilio explicare posset; cumque ad hoc ipsum humana ratio, velut in ebriis, extincta esset, ac penè sepulta: tunc, quãdo nulla spes salutis reliqua erat, clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Videtis ergo quomodo, quæ ratio præstare nullo modo potest, præstet oratio? Cùm autem innumera huius rei exempla vbique suppetant, vnum tamen ex tam multis in medium afferam, quod Theodoretus in historia religiosa, beatissimi anachoritæ Iuliani vitam describens, memorat his verbis: Aliquando autẽ adolescens

Mat. 11. Augußt. super Ioan. Psalm. 17. Psal. 106. Ibidem. Theodor.

lescens quidam nobili loco natus, sed molliter educatus, maiorem autem ostendens promptitudinem & animi alacritatem quàm vires ferre possent, supplex petiit à sene, vt esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non eius quidem quam omnes obibant quotidie, sed longissimæ, & qua sæpe erat octo & decẽ diebus peregrinandum. Is autẽ erat celeberrimus ille Asterius. Cùm autem diuinus senex prohiberet iuuenem, & aridam aquaque carentem diceret esse solitudinem; instabat adolescẽs, obsecrans vt hoc ei donum concederet. Victus autem precibus, cessit senex. Ille verò sequebatur primò quidem alacriter: cùm autem primus, & secundus, & tertius dies præteriissent, & à radiis solis vehementer exureretur (erat enim æstas, vrgente autem æstate est vtique flamma solis ardentior) siti perpetuò laborabat. Et primùm quidem eum morbum aperire pudebat, memoria repetẽns ea quæ sibi prædicta fuerant à magistro. Tandem victus, & planè omnino deficiens, orauit senem vt sui misereretur. Is autem cùm quæ ei prædixerat, reuocasset in memoriam, iussit eum reuerti. Cùm autem diceret adolescens, nec se scire viam quæ ducit ad antrum, nec, si sciret, ire posse, cùm sint vires siti consumptæ: misertus homo diuinus casus adolescentis, & ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis orauit Dominum, & calidis lachrymis solum irrigauit, & viam salutis petiit adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum qui ipsum timent, & eorum exaudit orationem, stillas lachrymarum, quæ puluerem attigerant, effecit fontem aquarum, qui vsque hodie permanet: & sic fluento repletum adolescentem, iussit abire protinus. Hactenus Theodoretus: qui satis hoc exemplo ostendit, quantum in desperatis casibus remedij in piis sanctorum precibus & lachrymis positum sit. Hinc in Ecclesiastico legimus: Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat: memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus gentium. Hoc est igitur, fratres, post communem illum generis humani lapsum, præcipuum salutis nostræ subsidium, quod in sola Domini gratia & misericordia cõstitutum est, quam humili atque fidenti precatione consequimur. Precatio enim ad ea omnia, quibus humana eget natura, commune remedium est. Latissimè enim inter virtutes omnes eius vtilitas patet. Cætera namque virtutes aut merendi, aut satisfaciendi vim potissimùm habent: quorum illud ad gratiam & gloriam, hoc ad pœnarum remissionem pertinet. Atque hi duo sunt præcipui virtutum fructus. Precatio autem non solùm merendi & satisfaciendi, quod aliarum virtutum est; sed etiam impetrandi vim habet, quod illius proprium est.

Eccli. 52.

Impe-

Impetrare autẽ non solùm gratiam respicit, sed etiam quidquid diuina miseratio donare potest. Itaque sancti viri per orationem non modò gratiam & pœnarũ remissionem consecuti sunt; sed alius sapientiam, alius sospitatem, alius diuturniorem vitam, alius aduersus immanes hostes victoriam, alius orbitatis remedium, alius lumen oculorum amissum, alius mortuorum resurrectionem, alius miraculorum operationem, alius denique liberationem ab instantibus malis. Itaque cùm effectus aliarum virtutum in arcto constituti ad diuinæ gratiæ incrementum, aut satisfaciendi vim referantur, oratio non ad hæc modò, sed ad omnia valet; eaque nobis per diuinam prouidentiam in amissæ felicitatis & naufragij nostri remedium data est. Non igitur sola ratio (vt Philosophi docuerũt) sed oratio commune atq. præcipuum malorum nostrorum medicamentum est. Vnde sancti viri omnes, quoties variis calamitatum angustiis premerentur, ad hanc veluti sacram anchoram fidenter confugiebant: qua nõ modò sibi salutem impetrabant, sed impendentem quoq. iram
Amos 7. Domini ab aliis depellebãt. Sic Amos cùm locustarũ examina, quæ agricolarum labores & sata omnia depascerent, à Deo propter peccata immissa videret, ad ipsum Dominum supplici oratione conuersus, Domine Deus, ait, propitius esto obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Quod perinde est ac si diceret: O Domine, cùm Israëlis opes vsque adeò tenues sint, cùm numero & robore tam paruus sit: qualem existimas futurum post tantam hanc cladem, quã mihi ostendisti? Quare propitius esto illi obsecro, & placare eis. Qua Prophetæ oratione flexus ad misericordiam Dominus, Non erit, inquit, dicit Dominus. Rursumque vocabat Dominus iudicium ad ignem, hoc est, ad longè grauiora supplicia; similique rursus Propheta oratione vsus, Domine Deus, ait, quiesce obsecro; quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Misertus est Dominus super hoc: sed & istud non erit, dicit Dominus Deus. Videtis igitur quanta sit orationis vis, quæ euaginatum iam diuini furoris gladium ita reuocare, & tam facilè ab eo pacem potuerit impetrare? Tantum enim Dominus piorum sanctitati tribuit, vt eorum precibus remittat puniendi seueritatem; & hominibus, quibus erat infen-
Psalm. 98. sus, propitius fiat. Vnde scriptum est: Moses & Aaron in Sacerdotibus eius, Samuël inter eos qui inuocant nomen eius. Inuo-
Psal. 105. cabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. Item alibi, Statuerat perdere eos, nisi Moses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Pro quo alij verterunt: Stetisset in muri ruina, vt reprimeret impetum eius. Est autem eo in loco similitudo deprompta à viris fortibus, & amore patriæ vehementer incensis: qui, cùm murus tormentis hostium atque machinis deiicitur,
sese

ſeſe in ea parte, quæ ruinis maximè ſtrata eſt, pro muro oppo-nũt, ad hoſtiũ impetũ ſuis corporibus excipiendũ, vt cum certo vitę periculo perniciẽ à patria depellãt. Non aliter enim ſe geſ-ſit Moſes: nam cùm Iudæorũ propugnaculũ, quod in fidei reli-gione conſiſtebat, eorundẽ rebellione diſiectum eſſet, nihilque impediret quo minùs ira diuina in homines omni firmo præſi-dio nudatos inuaderet, eosq́; ad internecionem deleret; Moſes ſtudio communis ſalutis inflãmatus, ſeſe diuinæ iuſtitiæ telis obiecit & expoſuit; nec recuſauit, quin ſupplicio ſuo omnium impietatem dilueret. Sic igitur fuſis cum ardentiſſima ſuorum charitate precibus, numinis ipſius impetum repreſſit.

II.

Quæ hactenus dicta ſunt, fratres, ad orationẽ pertinent, qua-tenus ea vim habet impetrandi: quod propriam & ſingula-rem eius laudem continet. Habet autem alias inſignes cõmodi-tates, quas partim in ſequenti concione, partim aliàs, aſpirante Domino, explicabimus. Circa ea verò quæ dicta ſunt, occurret aliquis forſan, multosq́ue dicet à Deo multa poſtulaſſe, quę ta-men non impetrauerint. His autẽ omnibus Iacobus Apoſtolus Iacob. 4.
reſpõdet, dicens: Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Quod fit, cùm ea peti-mus quæ non ad ſalutem animę, ſed ad cupiditatum noſtrarum fomenta magis pertinent: quæ cæleſtis Pater clemẽter negat, ne nobis delinquendi materiam præbeat. Sic enim carnis pa-rentes filiis nocitura petentibus piè negant, quę crudeliter con-ceſſiſſent. Qua de re ſic D. Auguſtinus ait: Si Deum propterea Auguſt.
inuocas, vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hæreditas, vt ſuper
veniat ad te ſecularis dignitas, illa inuocat quæ vis, vt veniant Pſal. 58.
ad te; ſed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exau-ditorem deſideriorum. Deus bonus eſt, ſi det quod vis. Quid ſi malè vis? Nónne erit tibi magis nõ dando miſericors? Aeger Simile.
multa petit à medico, non dat medicus. Non exaudiet ad vo-luntatem, vt exaudiat ad ſalutem. Ergo medicum tuum pone Deum: pete ab eo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit. Hactenus ille.

Deinde etiam quicumque vtiliter orare volunt, illud Apo-ſtoli ante oculos habere debent: Diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Iniquitas enim nubes illa eſt, de qua per Hieremiam Dominus ait, Oppoſuiſti nubem tibi, ne Thren. 3.
tranſiret oratio. Hinc regius Propheta, Iniquitatem, inquit, ſi Pſal. 65.
aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et in Prouerbiis Prou. 1.
Dominus, Quia vocaui, inquit, & renuiſtis; extendi manus Chryſoſt.
meas, & non fuit qui aſpiceret, &c. Contra eos autem qui ſce- ſuper
leratè viuẽtes orant, D. Chryſoſtomus ait: Qui orat, & peccat, Matth. Auguſt.
non orat Deum, ſed illudit eum. Item Auguſtinus: Qua fronte in ſerm.

postulas quod promisit Deus, cùm non facis quod iussit Deus. Idem. Priùs audi monitiones, & sic exige promissiones. Idemque de opere Monachorũ, Citiùs, inquit, auditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemnentis. Negari tamen non potest, eam esse diuinæ misericordiæ magnitudinem, vt interdum etiam improborum preces exaudiat. Verùm hoc rarum est: illud verò perpetuum quod Salomon ait: Longè est Dominus ab impiis, & vota iustorum exaudiet.

Nec satis est à peccatis abstinere, nisi etiam bonis operibus ac præcipuè misericordiæ oleo & castigatione carnis preces nostras adiuuemus & communiamus. Cassian. Hinc Cassianus, Magna, inquit, voce clamat ad Dominum, qui, quamuis lingua taceat, bonis tamen operibus perseueranter clamat. Idemque rursus: Ipsius est oratio perfecta, cuius & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio. Sed cùm omnia bona opera magnam orationi ad impetrandũ vim & efficaciam adiungant, ieiunium tamen & corporis afflictio ad hoc plurimùm iuuant. Cuius rei duo vobis cõmodissima exempla hoc in loco referre volo. Cùm sanctus ille Iulianus (cuius suprà mentionem feci) à fidelibus rogaretur, vt Catholicam fidem aduersus Arrianum quendam dialecticis & rhetoricis litteris instructissimum defenderet, ne venenata eius eloquentia sincera rudis populi fides perfidiæ veneno inficeretur; ille (vt Theodoretus in eius vita refert) Estote, inquit, bono animo, & Deo nobiscum supplicate, orationi corporis afflictionem adiungentes. His Deum sic rogantibus, vno die ante diem festùm ac celebrem, quo verba erat facturus, falsi defensor, & hostis veritatis, diuinitus immissam accepit plagam: & cùm vno tantùm die ægrotasset, excessit è viuis; illá (vt est probabile) vocẽ audiens: Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam; quæ autem parasti retia, iis tu implicaberis, & non alij. Hactenus Theodoreti verba. Nõ grauabor autem commodissimum aliud exemplum, Seu. Sulp. quod Seuerus Sulpitius in vita sancti Martini refert, huic adiungere. Cùm sanctus, inquit, Martinus Valentinianum maiorem, qui tunc rerum potiebatur, propter Ecclesiæ causam interpellare cogeretur, iussit illum Imperator, Arriana vxore suadente, palatij foribus arceri. Itaque Martinus vbi semel atque iterùm superbum Principem adire frustrà tentasset, recurrit ad consueta orationis & fidei præsidia, cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat: septimo verò die astitit ei Angelus, iubet eum ad palatium ire securum, regias fores, quamlibet clausas, sponte referandas, Imperatoris spiritũ superbum molliendum. Igitur istiusmodi presentis Angeli cõfirmatus alloquio, postero die

die vſque ad Regem, nemine prohibente,peruenit. Qui cùm venientem eminùs videret, infrendés cur fuiſſet admiſſus,nequaquam aſſurgere eſt dignatus aſtanti, donec regiam ſellam ignis operiret, ipſumque Regem ea parte corporis qua ſedebat, adflaret incendium : ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit, multumque complexus, quem ſpernere antè decreuerat, virtutem ſe ſenſiſſe diuinam emendatior fatebatur : nec expectatis Martini precibus,priùs omnia præſtitit, quàm rogaretur:colloquio illum atque conuiuio frequẽter adſciuit; poſtremò abeunti multa munera obtulit,quæ vir beatus (vt ſemper ſuæ paupertatis cuſtos) cuncta reiecit. Hactenus verba Sulpitij. Ex quibus intelligimus,fratres,verum eſſe quod quidam ex Patribus ait: Sola ea oratio pingueſcit, quam macies corporis paſcit.

Supra hæc autem omnia perſeuerantia in petendo opus eſt: quam præcipuè Dominus in hodierna ſancti Euangelij lectione importuni amici exemplo nobis commendauit:quòd ea videlicet numquam vacua recedat. Hinc D. Auguſtinus: Nec die, inquit, vaces, neque nocte; ſed cùm ſomnus ab oculis tuis ceciderit, tunc ſenſus tuus in oratione vigilet. Huius autem perſeuerantiæ memorabile apud D. Hieronymum extat documentum. Sic enim ad Euſtochium virginem Chriſti ſcribit: Quamquam Apoſtolus nos ſemper iubeat orare,diuiſas tamen orandi horas habere debemus:tertiam,ſextam,& nonã,diluculum quoque & veſperũ,nemo eſt qui neſciat. Nec cibi ſumantur ſine oratione præmiſſa; neque de mẽſa recedatur,niſi priùs referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque ſurgendum, reuoluenda ea quę de ſcripturis memoriter retinemus:egredientes de cubili armet oratio, regredientes de platea oratio occurrat,antequam ſeſſio:neque priùs corpuſculũ requieſcat, quàm anima paſcatur. Ad omnem actũ, ad omnem inceſſum manus pingat crucem. His verbis D. Hieronymus orationis perſeuerantiam commendat:quam exemplo ſuo confirmat,cùm ſic in oratione perſeueraret,vt de ſe ipſo in eadẽ epiſtola dicat: Memini me clamantem,diem crebrò iunxiſſe cũ nocte; nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus,quàm rediret,Domino imperante,tranquillitas. Hoc igitur exemplo cõmoti,fratres,ſi non integros dies & noctes in oratione conſumimus, frequenter tamen diebus & noctibus in hoc officio perſeueremus, inſtemus, petamus, quæramus, pulſemus, certi de diuinæ veritatis promiſſione, quòd petentes accipiemus, quærentes inueniemus, atque pulſantes apertam cęleſtis regni ianuam de Domini miſeratione inueniemus.

Auguſt.

Hierom.

IN EISDEM ROGATIONIBVS, CONCIO SECVNDA: IN QVA DE eiuſdem orationis laudibus & mirandis virtutibus diſſeritur.

THEMA. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Lucæ 11.



ECTIO ſancti Euangelij, fratres dilectiſſimi, quam modò audiſtis, orationis officiũ & orandi perſeuerantiam præcipuè commendat: ad quam nos cæleſtis magiſter, propoſita impetrandi fiducia, adhortari dignatus eſt. Cùm enim ex diſcipulis eius quidam orandi doctrinam ab eo poſtulaſſent, ipſe non id ſolùm quod exigebatur, ſed multo plura præſtitit, dum & orandi modum & orationis perſeuerantiã nos docuit, &, quod nobis magis erat neceſſarium, impetrandi fiduciam contulit. Hac enim illecti homines, libenter ſerunt vbi amplam meſſem ſe collecturos ſperant: hoc eſt, libenter & alacriter dona petunt, quæ ſe impetraturos confidunt. Hanc autem fiduciam Dominus, propoſito importuni cuiuſdam amici exemplo, fulcit & confirmat his verbis:

Lucæ 11. *Quis veſtrùm habebit amicum, & ibit ad illũ media nocte, & dicet illi: Amice accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum.* & cætera quæ ſequuntur vſque in finem.

AVE MARIA.

PETITE, *& accipietis, &c.* Vidiſtis, fratres, qua inſtantia, quibuſque exemplis ac promiſſis nos cæleſtis magiſter ad orationis ſtudium atque perſeuerantiam adhortatus ſit; vtpote qui rectè meminerat ſe alibi dixiſſe, oportere ſemper orare, & non deficere. Ad quam etiam perſeuerantiam non ſemel nos Apoſtolus inuitat, cùm alibi quidem ait: Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. alibi autem: Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus. alibi verò, cùm ſpiritualibus nos armis aduerſus omnes diaboli aſſultus inſtruit, omni tempore orare in ſpiritu iubet. Nequaquam autem cæleſtis magiſter, aut eius Apoſtolus, tantopere nos ad hoc officium adhortarentur, niſi hoc ad ſalutem noſtram maximè vtile, maximeque neceſſariũ eſſe iudicarent. Quamuis autẽ ſatis nos ſola hæc Euangelica & Apoſtolica exhortatio ad hoc ſtudium impellere debuiſſet; tamen, quia tarditas noſtra niſi magnis pro-

[Margin notes: Lucæ 18. / 1.Theſ. 5. / 1.Tim. 2. / 1.Cor. 14.]

positis præmiis & emolumentis ad laborem minimè excitatur;
quæ emolumenta sint piè orantibus constituta, in præsenti
concione explicare tentabo: si priùs tamen salutaris huius in-
stituti, quo nunc Ecclesia his tribus Rogationũ diebus vtitur,
originem & causam breuiter aperuero. Temporibus igitur
beati Mamerti Archiepiscopi Viennensis apud Viennam con-
tigerunt incendia crebra, terræmotus assidui, nocturni sonitus;
populosis hominum conuentibus feræ siluestres se ingerebant,
in tantum, vt pauidi cerui per angusta portarum ad fori loca
penetrarent. Tracta sunt hæc vsque ad noctem Vigiliarum
Dominicæ resurrectionis, in qua cùm sperarent homines hæc
finem esse habitura, ædes publica, quam præcelsa in ciuitatis
vertice sublimitas in immensum extulerat, flammis terribili-
bus cõflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur solemnitas ple-
no timoribus populo, Ecclesia vacuatur. Perstitit autem inui-
ctus Antistes festiuis altaribus, & calore fidei succensus, flumi-
ne lachrymarum permissam ignibus potestatem compescuit;
& tunc concepit animo quidquid hodie psalmis ac precibus
mundus inclamat.

Hæc ergo ciuitatis illius calamitas huic probatissimæ Eccle-
siæ consuetudini initium dedit. Sublata verò calamitate, easdẽ
preces Ecclesia per vniuersum orbem retineri sanxit: partim vt
vetera Dei flagella, propter hominum scelera immissa, ad me-
moriam reuocaremus, similiaq; peccatis nostris irrogari posse
formidaremus, qui nihilo fortè minora quã illi peccamus: par-
tim vt eisdem precibus aduersus assiduas clades, quibus quoti-
die infestamur, nos ipsos muniremus: partim etiam propter
multas alias vtilitates, quæ nobis, vt dixi, ex assiduo precãdi stu-
dio obueniunt: ex quibus nonnullas in hodierna concione re-
feremus, quæ plurimùm vos ad hoc officium allicere possint.

Prima igitur maximeque insignis eius vtilitas est, quòd ho- I.
minem diuinarum rerum commercio, & assidua consuetudine,
ita paulatim à terrenis ad spiritualia atque diuina eleuat, vt ip-
sum quodammodò spiritualem atque diuinum efficiat, vel ipso
Apostolo testante, qui ait: Qui adhæret Domino, vnus spiritus
est. Sicut enim ferrum igni admotum, ignis naturã induit: ita Simile.
mẽs, quæ Deo iugiter adhæret, in diuinos mores quodammodò
transit. Hinc D. Chrysostomus, Bonum est, inquit, semper cum Chrysost.
Deo colloqui per orationem. Nam si boni viri occursus melio-
rem reddit illum quem conuenerit: quanto magis colloquium
quod dies noctesque cum Deo fit! Hactenus ille. Neque hoc
profectò mirum videri debet. Si enim fera animantia, quę cum Simile.
hominibus diu versantur, feritate deposita mansuescunt, &
mores quodammodò induunt hominum (vrsus enim, ferum

 animal,

animal, saltat & obtemperat voci nutuique regentis: id quod etiam leones & alia quoque animalia faciunt) quid mirũ, si, qui assiduè cũ Deo versantur, mores exprimant diuinos, præsertim cùm homo Dei capax sit, & ad hoc ipsum diuina ope iuuetur?

Simile. Prætereà sicut ij qui pretiosa vnguenta & suaueolentia assiduè tractant, eorum quoque fragrantiã, cùm ab illorũ etiam attrectatione & contactu recessere, referunt: ita qui cum Deo assiduè versantur, qui illius speciem & pulchritudinem intuẽtur, qui virtutũ eius cõtemplatione pascuntur, ab illo stabilitatem, ab illo charitatem, ab illo suauitatem, & animi quietem, & omnia deniq; bona trahũt. Hinc D. Augustinus illa Domini apud Esaiam verba explanans, Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua; sic ait: Firmitas nostra quã diu tu es, tunc est vera firmitas: quia verò à te auersi sumus, peruersi sumus: reuertamur igitur, vt nõ euertamur. Porrò autẽ si stabilitas nostra in charitate Christi est, à qua nihil nos valeat separare: vnde magis charitas accẽdi potest, quàm si ad Deũ, qui ignis consumẽs esse dicitur, accedamus? Hinc Sponsa in Cãticis se amore liquefactam esse testatur, vbi præsentem dilectissimi Sponsi sui vocem audiuit. Ideoque non immeritò, quæ sic Deo vnita erat, Soli & Lunæ comparatur: Pulchra, inquit, vt Luna, electa vt Sol. Quid hoc est? inquit Ambrosius, an non erat in terra aliquid, cui pulchritudo Sponsæ cõparari posset? Minimè, inquit. Quia cum nulla re terrena comparati potest, qui familiari Dei consuetudine fruitur. Diuinus enim quodammodò fit necesse est, qui assiduè cum Deo versatur: ideoque non mirum, si diuinis rebus atque cælestibus Sponsa similis esse dicatur.

August. Esaiæ 46. Cant. 5. Cant. 6. Ambros.

Iam verò quies & vera animi tranquillitas, vbi nisi in Deo inueniri potest? Præclarè quidem D. Augustinus humanorum errorum causam nõ in iis rebus positam esse ait, quas ardenter quærimus, sed quòd extra locum suum eas quærimus. Requiescite, inquit, in Deo, & quieti eritis. Non est enim requies vbi quæritis eam: quærite quod quæritis, sed non vbi quæritis, quia non est ibi. Cuius sententiæ veritatem idem vir sanctus suo periculo doctus agnouit: qui vbi diu frustrà per creaturas vagatus, quietem animi quæsiuit, nec inuenit, in originem tandem suam recurrens, eam deprehendit: à quo enim accepit vt esset, accepit etiam vt felix & quietus esset. Idem etiam luxurioso filio euenit, qui inedia & fame sua eruditus, ad paternam domum, vnde prodierat, satiandus rediit; satiandus, inquam, illo cibo de quo scriptum est: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Qua in re discrimen ingens inter corporeum & spiritualem cibum animaduertere licet. Corporeus enim cibus, cùm immodicus est, satietatem &

Eccli. 24. Dissimil.

fasti-

fastidium affert: spiritualis autem, quo frequentior & copiosior fuerit, eo acriorẽ famam, ac maius sui desideriũ excitat. Quod si quæras quis sit hic cibus, audi eundem Augustinum breuiter hoc definientẽ: Societas Christi, esca Christiani. Hanc ergo societatem appetamus, fratres: vt, quantũ per terrenas occupationes licuerit, numquam ab hoc felici contubernio recedamus: vt lucis ac virtutis eius participes efficiamur, à cuius felici cõtubernio & societate non diuellimur. Quid enim minùs ab hoc pietatis studio sperare possumus? Hinc D. Chrysostomus, Quid, inquit, possit inueniri sanctius his qui cũ Deo commercium habent? quid porrò iustius? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam cõsuetudinem breui sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: quid dicere conuenit de his qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prouidentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos obsecratio! Proinde nequaquam aberrarit à vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis & iustitiæ. Hactenus Chrysostomus. Hoc igitur præstat homini diuinæ societatis communio. Si enim Sol hic, qui oculis cernitur, atram nubem radiis suis complexus fuerit, aut in irim pulcherrimam transformat, aut aureo eam fulgore splendescere facit: quid mirum, si pulcherrimus quoque ille iustitiæ Sol, quam sibi adhærentem atque præsentem animam complectitur, diuinis splendoribus collucere faciat? An non hoc insinuare Propheta voluit, cùm ait, Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ nõ confundentur? Hoc est, nequaquam vobis frustrà cedet, ad splendidissimum diuini fulgoris radium accessisse. Hanc igitur nobis gratiam & lucem præstat oratio, quæ non solùm omnibus vitæ huius miseriis remedium adhibet, sed ipsum etiam hominem, supra communem hominum naturam euectum, diuinæ claritatis participem efficit.

[Margin: August. — Chrys. H. 2. de ora. — Simile. — Simile. — Psal. 33.]

I.

Adde huic aliã nõ vulgarẽ orationis vtilitatẽ, quã D. Bernard. exprimit his verbis; Orando bibitur vinũ illud spirituale lætificans cor hominis: vinum scilicet Spiritus sancti, quod inebriat mentẽ, & carnaliũ voluptatũ infundit obliuionẽ. Quibus verbis ostẽdit orationis comitem esse spirituale gaudiũ, quod Apost. inter Spiritus sancti fructus enumerat. Quod quidẽ apertè Dominus per Esaiã testatur, cũ de piis hominibus loquens ait: Adducã eos in montẽ sanctũ meũ, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Huius autẽ spiritualis gaudij vis & magnitudo neq. vlla oratione exprimi, neque à carnali mente concipi potest. Est enim manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

[Margin: II. — Bernard. — Rom. 14. — Esaiæ 56. — Apoc. 2.]

Ea tamen eius vis atque potentia est, vt, quam mentem impleuerit, terrena omnia præ eius amore fastidire, & pro nihilo ducere faciat. Vt enim qui ex abiecta humilique fortuna ad regni solium euectus esset, vilem supellectilem, quã anteà pretiosam charamque habebat, præ regij apparatus splendore & magnificentia pro nihilo haberet, seque ipsum rideret quòd olim res adeò viles tanti faceret: ita qui nunquam in vita sua cælestium deliciarum dulcedinem degustauit, nec nisi porcorum siliquas, hoc est, carnales voluptates agnouit, eas solũ magnas, & amore suo dignas arbitratur. At si is fortè à Spiritu sancto in benedictionibus dulcedinis præuentus, & torrente diuinæ voluptatis potatus fuerit, opulentissima etiam mundi bona ita contemnit, vt ne cogitatione quidem & aspectu suo digna putet. Hoc
Sap. 7. autem Sapiens ille sibi contigisse testatur, cùm ait: Optaui, & datus est mihi sensus; inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illã regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: & cætera quæ sequuntur. Quibus verbis apertè docet, regna, imperia, argentum, aurum, lapides pretiosos, ac postremò salutem quouis thesauro præstantiorem, & corporis speciem siue pulchritudinem (hoc est, omnia quæ inter homines præclara & eximia putantur) comparatione sapientiæ (qua cælestia & diuina gustantur) arenam, lutum, ac postremò nihil esse. Quamobrem? Quia venerunt, inquit, mihi omnia bona pariter cum illa. Dignitas ergo atque sublimitas bonorum, quæ secum suauis hæc sapientia affert, tanta est, vt præ illa, omnia ista, quæ superiùs enumeraui, nihil esse putentur. Quis hoc, fratres, credat, nisi id aliquando diuinæ gratiæ beneficio fuerit expertus? Sed hoc ipsum tamẽ ita esse, multorum principum & illustrium virorum exempla testantur, qui ingentes opes, principatus, & regna etiam contempserunt, vt se totos huius diuinæ sapientiæ studio sine vllo rerum terrenarum impedimento addicerent. Quocircà rectè admodum gaudium hoc atque dulcedo spiritus (quæ indiuidua sapientiæ co-
Simile. mes est) magneti comparatur. Vt enim magnes occulta quadã virtute ferrum, suapte natura graue & ponderosum, & ad ima deuergens, in sublime attollit, & in aëre suspendit: ita spirituale hoc gaudium (quod cælestium bonorum prælibatio quædam est) cor hominis (quod sponte sua ad ima deuoluitur, dum immoderato amore terrenis rebus incubat) mira quadam & incognita vi sic supra altitudines terræ eleuat, vt terrena omnia fastidiat, & pro nihilo ducat. In cuius rei fidem sæpè sanctorum virorum corpora, dum contemplationis studio mente in cælum raperentur, à terra pariter cum mente ipsa eleuabantur. Hoc enim cùm de aliis multis, tum de magno illo Antonio

tonio Anochorita, & B. Patre nostro Dominico, atque D. Thoma Aquinate, multisque aliis scriptum inuenimus. Quo quidem argumento intelligimus, non esse mirũ, si spiritualis huius gaudij vis humana corda à terrenarum rerum amore abducta, ad cælestia atque diuina rapiat: quandoquidẽ longè maius est, graue corpus à terra eleuari, quàm abiectissimarũ rerum amorem in cælestiũ atque sublimium dilectionẽ cõmutari. Huius autem gaudij proprium est, omnem interni hominis languorem, & acediam, & lentitudinem excutere, ipsumque ad omnia spiritualis vitæ officia expeditum & alacrem reddere. Hoc enim veræ deuotionis proprium & singulare est, qua nunquam spirituale gaudium destituitur, imò verò deuotio ipsa interdum sine hoc sensibili (vt ita dicam) gaudio est, cùm tamẽ gaudium hoc numquam expers deuotionis sit. Ex hoc autẽ gaudio mira quædam maximeque suspicienda vtilitas oritur: nempe quòd sub disciplina Dei ita hominem constituit, vt ipsum habeat vitæ suæ magistrum, præsidem, atque doctorem. Hoc autem qua ratione fiat, breuiter explicabo. Cælestis magister ita se cum piis ac sanctis hominibus gerere solet, vt sæpè hoc spirituali gaudio eorum mentes miro modo exhilaret atque reficiat. Quę quidem res cunctis mundi opibus atque deliciis multis partibus pretiosior est. Sæpè tamen Dominus salutari quadam dispẽsatione hanc visitationis suæ gratiam illis subtrahit: vel quòd eos hac ratione probare velit; vel quòd hac illos paterna animaduersione plectat, quando ipsi negligentiùs se in pietatis & iustitiæ studio gesserunt. Cùm hi ergo ad solitum orationis officium recurrunt, in quo hac spirituali lætitia recreari solent, nec vllum eius vestigium inueniunt, sed quocumque mentis aciem verterint, omnia obscura, sterilia atque arida deprehendunt; hanc pœnam delictis suis irrogari à iustissimo iudice credunt. Quemadmodum enim cùm monachus aliquis, iubẽte monasterij prefecto, solita in prandio portione priuatur, & solo pane & aqua victitare iubetur, protinus ille deliquisse se aliqua in re credit, vt qui sic à recto iudice puniatur: ita cùm pij hominis mens solita cælestis gaudij refectione à Deo in oratione priuatur, delictis suis hanc pœnam imputans, solicitus inquirere incipit, qua in re deliquerit, quid fecerit, quid dixerit, quid cogitauerit, cum quibus versatus fuerit, quomodo se in spirituali vita gesserit; vt intelligat, cuius delicti gratia à iustissimo iudice Deo pœna hęc sibi fuerit inflicta, totoque studio aduersus hoc delictum armatur, ne iterùm simili inedia & pœna crucietur. Itaque euenit illi quod Sauli Regi, qui cùm initio regni sui Dominum consuluisset, nec vllum ab eo respõsum tulisset, delictum aliquod huius diuini silentij causam esse 1.Reg.24.

credens,capitali ſupplicio eum punire decreuit,cuius demerito reſponſum illi Dominus denegaſſet, etiam ſi is Ionathas filius eius eſſet. Hac ergo ratione pius homo ſic intra ſe rationem inire ſolet: Quæro,cuius delicti cauſa me Dominus hac ſolita viſitationis ſuæ gratia priuauerit, vt dignũ de eo ſupplicium ſumat. Fortaſſe hoc euenit, aut quia licentiùs locutus fui, aut quoniam effuſiùs cum aliis riſi, aut quia me intemperantiùs in prandio geſſi,aut quia pluribus negotiis,quàm facultas mea ferebat,implicatus fui,aut quia cor meum negligenter cuſtodiui, dum illud à ſpiritualium rerum intentione abſtraxi, & per inanes cogitationes vagari permiſi. Quidquid igitur huius ariditatis meæ cauſa fuit, pereat, de medio tollatur, ſupplicio afficiatur: hoc eſt, dabo diligenter operam, ne iterùm committam quod mihi diuinæ derelictionis & ſpiritualis ariditatis cauſa extitit. Sic igitur cæleſtis magiſter tacẽdo loquitur,& qua in re pius homo deliquerit,attendere facit,dum ſalutari hac diſpenſatione viſitat hominem diluculo, ac deinde probat illum. Hoc autem in magnam piorum vtilitatem cedere manifeſtum eſt. Hac enim ratione miro quodam modo ſub illa diſciplina Domini conſtituuntur, ſub qua regius Propheta ſe eſſe gloriabatur,cùm diceret: Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit. Huius enim diſciplinæ ſeueritate caſtigati,non ſolũ errata ſua (quę fortaſſis occulta erant) deprehendunt,ſed diligenter etiam corrigunt,atque ita indies in virtutis ſtudio & amore proficiunt.

Pſal.17.

II.

III. Adde iis etiam aliam non pœnitendam commoditatẽ, quòd hæc ipſa ſpiritualium rerum familiaris conſuetudo,earum nobis admirabilem pulchritudinem & dignitatẽ ante oculos ponit; atque ita nos ab adulterino terrenarum rerum amore abductos,ad ſpiritualium & inuiſibiliũ amorem rapit. Homo enim, qui ſpirituali & corporali natura conſtat, inter cælum & terrã, hoc eſt,inter ſpiritualia,& corporalia bona quodammodò poſitus,à rerum corporalium, quæ illi vicinæ ſunt, & oculis cernuntur,pulchritudine vehementer trahitur: à ſpiritualibus verò (quæ niſi mente peruidentur) non item; niſi cùm ad earum conſiderationem aciem mentis intendit; tunc enim mirabilem earũ ſplendorem purgatis oculis aſpiciens,in earũ amorem rapitur. Vt hoc autem apertiùs intelligatis,nõ inutilem quęſtionẽ vobis proponere volo. Quid in cauſa eſſe putatis,quòd cùm humana volũtas ſic ab auctore naturæ inſtituta ſit,vt nihil velle & amplecti poſſit, niſi quod vel bonum ſit, vel boni imaginem referat; nihilque contrà fugere, niſi quod malum ſit, vel mali ſpeciem repræſentet; bona autem & mala quæ piis & im-

probis

probis à Deo constituta sunt, infinitis propè partibus huius vitæ siue bonis siue malis potiora sint (hæc enim æterna, illa verò temporaria sunt) quid, inquam, in causa est, vt homines adeò sitienter huius vitæ bona per omnes etiam flammas persequantur, similique studio & ardore eius mala fugiant, æterna autem siue bona siue mala negligant, & pro nihilo ducãt; cùm tamen ea in immensum maiora esse indubitata fide credant? Huius igitur tãtæ peruersitatis cùm multæ sint causæ, illa mihi præcipua videtur, quòd huius vitæ siue bona siue mala & oculis cernimus, & manibus contrectamus: quod nobis circa spiritualia & cælestia minimè cõtingit, quæ longè à carnalibus sensibus posita sunt. Constat autem rerum præsentiam vehementer sensus nostros perstringere atque mouere, quod cùm longè absunt, minimè faciunt. Hanc igitur singularem vtilitatem (vt diximus) nobis spiritualium rerum consideratio & commentatio præstat, quòd res absentes & procul à conspectu nostro positas, præsentes quodammodò facit, easque menti nostræ inspiciendas affigit, earumque dignitatem & æternitatem rimatur. Si enim Oratorum proprium est, res aliquando ex omnibus circumstantiis ita verbis describere, vt Orator non dixisse, sed pinxisse; auditor non audisse, sed spectasse videatur: multo magis attenta & sedula æternarum rerum contemplatio eas velut præsentes menti nostræ quasi spectãdas proponit: quo quidem spectaculo animus noster vehementer erga illas afficitur. Cuius rei argumentum est, quòd viri sancti, harum rerum magnitudinẽ contemplantes, tanta nonnumquã admiratione & stupore complebantur, vt omnem prorsus sentiendi vim amitterent, & à se ipsis alieni fierent. Quicunque igitur huic studio dediti sunt, hi planè diuinarum rerum pondus & dignitatem cõsiderantes, terrena bona tanquam ludicra, puerilia, & inania, præ illarũ studio & amore, pro nihilo ducunt, nullumq. quamlibet maximum laborem recusant, vt vel superna illa bona assequi, vel sempiterna mala vitare queant. Vnde in vitis Patrum legimus, monachũ quendã, cui cellę solitudo molesta erat, tędiumque illi frequẽter pariebat, à quodã ex senioribus huius rei causam quæsiuisse: Cui senior, Causa est, inquit fili, quia nondum corporum resurrectionem, inferorumque supplicia vidisti. Si enim ea videre posses, etsi cella tua vermibus scateret, qui totũ corpus tuum exederent, nusquam vel pedem ab ea proferre velles. Hæc porrò quæ sanctus hic senex dicebat, videri quidem in hac vita nõ possunt, animo tamen velut præsentia ante oculos quotidie reuocari possunt, vt in nobis agant dum studiosè cogitantur, quod agerent si viderentur. Quid autem harum aut similium rerum consideratio in piorum mentibus efficiat, decla-

declarant planè verba illa quæ de filiis Iſraël in fine libri Ioſue
Ioſue 24. ſcribuntur, quæ ſic habent: Seruiuitque Iſraël Domino cũctis diebus Ioſue & ſeniorum, qui longo vixerant tempore poſt Ioſue, & qui nouerãt omnia opera Domini quæ fecerat in Iſrael.
Iudic. 1. Sequiturque deinde: Omnis autem illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt alij qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſraël: feceruntque filij Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim, & dimiſerunt Dominum, &c. Itaque quàm diu beneficiorum & mirabilium Domini memoria recens erat, tam diu filij Iſraël in officio permanſerunt: vbi autem ab ea exciderunt, protinus à liberatore ſuo ad idola defecerunt. Cùm ergo tantã hæc commentatio vtilitatem pariat, danda nobis opera eſt, fratres, vt, quæ corporis oculis cernere non poſſumus, mentis oculis videamus: ne terrenarum rerum præſenti pulchritudine, carnaliũ hominum
Prou. 31. more decipiamur. Fallax enim gratia, & vana eſt pulchritudo; rerum videlicet ſecularium: quæ quamuis vanæ ſint, nihil ſolidi & expreſſi continentes, fallaci tamen ſpecie ſtultorum animos alliciunt atque dementant.

II.

IIII. His autem ſingularem aliam vtilitatem adiicimus, quæ huius diei maximè propria eſt: in quo orationis ſtudium hoc præcipuè nomine Eccleſia commendat, quòd ea malorum omniũ (quibus in hac miſera & ęrumnoſa vita peccatis noſtris exigentibus circumſedemur) maximum remedium ſit. Quid verò nos ad hoc iuuare magis poterit, quàm diuinam opem aſſiduè implorare? Deo adhærere? ad illũ frequenter mẽtis oculos attollere? & ab illo, quatenus fieri poſſit, numquã animo & cogitatio-
Luc. 10. ne diuelli? Hoc enim vnum illud eſt quod ipſe Dominus Marthæ, ſororem accuſanti, neceſſarium eſſe dixit: quod planè (vt D. Auguſtinus ait) non aliud eſt, quàm vniri Deo, & eius pedibus more ſanctæ illius feminæ aſſidendo, ab eius ore pendere, eius doctrina imbui, & in omnibus, quæ ad ſalutem pertinent, ab eo nõ ſolùm iuuari, ſed etiã erudiri. Sic enim Moſes de ipſo
Deut. 33. ait: Omnes ſancti in manu eius ſunt; & qui appropinquãt pedibus eius, accipient de doctrina illius. Quo nomine regius
Pſal. 72. Vates ait: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Adhæremus autem illi non corpore, ſed animo; non pedibus, ſed affectibus; non membrorum coniunctione, ſed pia diuinorum operum meditatione. Tales enim Dominus ita erudit, vt ipſi doctrinam eius interiori cordis aure percipientes, cum eodẽ Propheta di-
Pſal. 84. cant: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Ad cor autem conuertuntur, qui ab

externis

externis rebus animum abducentes, illum ad interiora transferunt: in quibus priùs quidem se, deinde Deum agnoscũt, & venerantur, qui nullibi propiùs quàm intus in corde nostro (vbi regnum eius est) inuenitur. Super hos ergo pacem loquitur, qui pacificè cursum vitę dirigit, & omnes ab eis bellorum atque curarum tumultus & incommoda depellit. Hanc enim Dominus vicem de se cogitantibus sibique adhærentibus rependere solet; vt ipse res eorum vigilantibus oculis aspiciat, qui illũ attentis oculis semper intuentur. Hinc ipse ad beatam Catharinam Senensem dixisse legitur: Filia, cogita de me, & ego vicissim de te cogitabo, tuique curam geram. Quibus verbis erudita virgo, omne suum studium ad hanc præcipuè curam contulit, sibique persuasit, nihil illi ad salutem siue corporis siue animæ defuturum: quando Angelorum ac mundi Dominum rerum suarum curatorem hoc studio nacta esset. Cùm ergo vtilitatis tantum in hac pia commentatione positum sit, benigna Dominus dispensatione vitam nostram multis agitari periculis ac ærumnis permittit: quas nullo humano consilio, nullaque nostra opera vitare possimus, vt ipsæ nos calamitates nostræ erudirent, & ad eum ire compellerent. Sicut enim pater qui filium à se ac domo sua diuelli non vult, patrimonij eius portionem apud se retinet, quò (inopia constrictus) à patre non discedat: ita sanè cælestis Pater nobiscum agit, dum & inopia & variis necessitatibus vrgeri nos patitur, vt ipsa nos miseria nostra à salutis nostræ præside ac vindice longiùs abire non sinat. Scit quippe frequentissimè euenire quod ipse per Prophetam dixit: Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Vbi enim homo bonis omnibus affluit, nullaque sibi re egere videtur, stimulis & monitoribus caret, quibus ad Dei memoriam excitetur. Vix enim illius multi homines meminerunt, nisi cùm inopia & angustiis constricti, eius opem implorare coguntur. Quod prçcauens sanctus Propheta, pergenti ad promissam terram Hebræorum populo ait: Obserua & caue ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius: ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ędificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti & auri, cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Aegypti. Quæ quidem cautio non tam cautio quàm vaticinium fuit: ita enim euenit, vt ille tãto antè prçnunciauerat: Incrassatus enim dilectus & impinguatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Cui enim hoc aut mirum aut incredibile iudicetur, qui videat & magnum illum Angelum, & primum generis humani parentem,

Simile.

Esaiæ 57.

Deut. 8.

Deut. 32.

rentem, prosperitatis suæ pondere ad ima deiectos? Hæc igitur tanta miseriarum nostrarũ abyssus vi sua miseros homines ad Deum quodammodò ire compellit. Vnde est illud Gregorij: Ideò premuntur iusti in Ecclesia, vt pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. *Gregor.*

V. Habet etiam insignem aliam vtilitatem oratio, quòd non modò impetrandi, sed etiam aliarum more virtutum promerendi vim habet: vt si minùs fortè, quod petis, assequaris (quia id fortè tibi non expedit) meritum tamen orandi nõ amittas. Quod quidem immensam Dei nostri bonitatem maximè declarat, qui genus obsequij computat, eius opem & misericordiam postulasse. A quo tam longè homines absunt, vt criminis loco ducant, vehementiùs ab eis aliquid efflagitasse. Vnde Ioannem II. Lusitaniæ Regem clarissimum cuidam importunissima oratione quidpiã ab eo postulanti dixisse ferunt: Numquam me nisi modò Regem esse pœnituit. Illo verò causam sciscitante; Quoniam, inquit, iam te in singulare certamẽ prouocassem, quòd adeò fueris importunus. Hæc quidem Reges terræ. At Rex ille cælestis, Et ille, inquit, si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit ei surgens, eo quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios. Itaque tantum abest, vt fastidiat hominum preces, vt meriti & obsequij loco ducat, postulasse. Id autem vsque adeò verum est, vt Propheta regius gratificari aliqua in re Domino cupiens, hoc præcipuè inuenerit, quo illi aliqua ratione inseruire posset. Quid, inquit, retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Itaque dum vir sanctus quęrit quid pro tantis beneficijs Domino retribuat, non inuenit aliud, nisi vt iterùm petat, & pro veterum beneficiorum gratitudine noua postulet. Quis autem ex regibus terræ obsequij & beneficij loco ducat beneficia ab eo postulare? Ea tamẽ Dei nostri bonitas est, eaque ad dandum propensio, vt gratissimum illi obsequium prę stet, quisquis oratione sua illi dandi materiam prębeat. Quo fit, vt numquam pij hominis oratio sterilis & infructuosa sit. Si enim non impetrat quod petit (quia fortè non expedit) gratum tamen Deo obsequium præbet: si compos voti non est, expers certè meriti non est.

Lucæ 11. *Psal. 115.*

IN



IN EISDEM ROGATIONIBVS, CONCIO TERTIA: IN QVA PRIMVM de huius vitæ miseriis, & earum causa; deinde de miseriarum remedio (quod præcipuè in orationis præsidio positum est) differitur.

THEMA. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Lucæ 11.



EMINEM vestrûm, fratres dilectissimi, ignorare arbitror, veteres Ecclesiæ calamitates his Rogationibus, quibus nunc omnes vacamus, occasionem dedisse. Quamuis autẽ similes malorũ turbines atque procellæ ætate nostra, diuina nos protegente clementia, desint, quia tamen ipsa vita quam viuimus, communis peccati merito, innumeris penè miseriis tum corporis tum animi obnoxia est, quorum remedium in assiduo precationis studio diuina prouidẽtia constitutũ esse voluit; ideò Ecclesia idem institutum, eandemque orationis instantiã hoc etiam tempore permanere voluit. Ad hoc ipsum autẽ hodierna sancti Euangelij lectio, quæ de orationis vi, & mirabili ad impetrandum efficientia differit, opportunè admodum nobis proponitur. Quam quidem Saluator commodissimo importuni amici exemplo commendat: vt, certa impetrandi fiducia concepta, alacriores ad precandi studium, & orationis perseuerantiam efficiamur. Ait igitur Dominus:

Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illũ media nocte, & dicet ei: Amice, accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & nõ habeo quid ponã ante illum. & reliq. vsq. in finem.

AVE MARIA.

QVAM grauis & acerba sit huius vitæ conditio, fratres dilectissimi, nemo sanè poterit vel explicando consequi, vel enumerando percensere. Qua quidem de re multæ extant clarissimorum virorum querimoniæ atque sentẽtiæ. Seneca in primis adeò miseram vitam hominum credebat, vt non dubitauerit dicere: Nemo vitã acciperet, si daretur scientibus. Insignis ille Philosophus Anaxagoras, lõgioris vitę tędio fatigatus, mortem sibi diuturna inedia cõsciscere voluit. Quod intelligẽs Pericles Atheniensis, qui multa eius consilio præclara in Repub. gesserat, accurrit ad illum, rogãs, vt, si viuere sibi nollet, viueret saltẽ Pericli. Qua ex re colligimus, illustrẽ hunc Philosophum nequa-

nequaquam, vt ait Seneca, vitam vltrò oblatam accepturum, quando eam quoque à ſe tam longo cruciatu ablegare, & eius à ſe iugum excutere volebat. Thracibus in more fuiſſe poſitum ferunt, natales hominum dies tanquam laborum initia plangere; in funere autem, tanquam in eorum fine atque termino, lætum diem agere, atque gaudere. Silenus ſenex à Mida Rege captus, rogatus ab eo, quid eſſet homini optimum; diu ſilentium tenuit. Tandem adactus dicere, reſpondit; Optimum eſſe nunquam naſci: proximum, quàm ocyſſimè aboleri: atque hoc pretio libertatem nactus eſt. Verùm hoc minùs fortaſſe in Ethnico homine mirandum eſt, qui nihil de futura vita, nihil de diuina gratia & præſidiis, quæ confugientibus ad Dominum promiſſa ſunt, nouerat. Maiorem verò admirationem com-
Iob 10. mouet, quod ſanctiſſimus Iob ait: Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret; fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. Quamuis autem hæc ſententia cum ſuperiori cohærere videatur, alia tamen beati Iob intentio fuit. Hoc enim vir ſanctus aiebat, non quòd vitæ ſuæ auctori eſſet ingratus, ſed quòd humano more loquens, multiplices humanæ vitæ miſerias hac ratione voluerit explicare. Quia verò earum cognitio non modò ad orationis ſtudium (de quo in preſenti concione agimus) ſed ad veram etiam cordis humilitatem, & humanæ gloriæ cõtem-
Seneca. ptionem plurimum adiumenti adfert; quid hac de re Seneca dixerit, vobis ante oculos ponam. Is igitur primùm de fortunæ in omnes licentia & poteſtate his verbis queritur: In regnum fortunæ, & quidem durum atque inuictum peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna paſſuri: corporibus noſtris impotenter, contumelioſè, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret, vel in pœnam admotis, vel incertis: alios nudos mari iactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem aut littus explodet, ſed in alicuius ventrem immenſæ belluæ detrudet. alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque detinebit: vt varia, & libidinoſa, mancipiorumque ſuorum negligens domina, & pœnis & muneribus errabit. Quid opus eſt partes deflere? Tota vita flebilis eſt. Vrgebunt noua incommoda, priuſquam veteribus ſatisfeceris. Et mox: Quid eſt homo? quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile iactatu: non tempeſtate, vt diſſiperis, eſt opus. Quid eſt homo? Imbecillimum corpus, & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cùm benè lacertos exercuit, cuiuſlibet feræ pabulum, cuiuſlibet victima; ex infirmis fluidiſque contextum, ac lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, & laboris impatiens: ipſe
rurſus

rurſus ſitu & otio iturum in tabem, & ſemper alimẽta metuens ſua: quorum modò inopia laborat, modò copia rumpitur, anxię ſolicitæque tutelæ, precarij ſpiritus, & malè inhærentis. Miramur in hoc mortẽ vnius, qua ſingulis opus eſt. Numquid enim, vt concidat, res magni momenti eſt. Odor illi, ſaporq. & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere nõ poteſt, mortifera ſunt. Quocumque ſe mouet, infirmitatis ſuę ſtatim conſcium, non omne cælum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis atque offenſionibus morbidum, putre, caſſum, à fletu vitam auſpicatum. Hactenus verba Senecæ, quæ breui licet oratione, abundè ſatis humanæ vitæ miſeriam explicant.

Si quis autẽ inquirat, cur amator hominum Deus tot ærumnis eorum vitam voluerit exagitari, multas ſanè conſilij huius cauſas deprehendet: inter quas non poſtrema illa eſt, quòd hac ratione hominum inſolentiam atque ſuperbiam reprimere, & ad humilitatis ſtudium voluerit incitare. Eſt enim humiliatio (vt D. Bernardus ait) ad humilitatem via. Quis enim mentis Bernard. compos, vbi ſe in hanc tantam miſeriarum abyſſum cõiectum videat, ſuperbire, intumeſcere, ac in ſublime attolli audeat? Hoc enim conſilio diuina æquitas ſæuiens ſimul ac parcens, & hominis ſuperbiam tot miſeriarum inflictione puniuit, & materiam ei iterum ſeſe efferendi abſtulit: quorum illud diuinæ ſeueritati, hoc paternæ prouidẽtiæ beneficium fuit. Sicut enim Simile. qui aues domi nutriunt, cùm aliquando eas auolare contigerit, vbi eas iterum ceperint, pennis nudant, vel alas præſcindunt, ne earum adminiculo fretæ, iterum aufugiant: ita Dominus cùm hominem conditum cæleſtibus donis (quæ initio conditionis ſuæ multa & præclara acceperat) elatum vidiſſet, meritò illum donis ſuis ſpoliauit, & velut implumem reliquit, ne diuinorum beneficiorum pennis ſeſe iterum in ſublime attolleret. Quid enim aliud merebatur, qui ita cæleſtibus donis abuſus fuit, vt inde materiam ſumeret ſeſe efferendi, vnde cõditorem diligendi arripere debuiſſet? Quid autem dementius, quàm in hoc ſtatu miſeriarum pleniſſimo (in quo tam multa intra ſe homo videt quæ illum deiiciunt) adhuc inflari & intumeſcere? Intolerabilior profectò hæc nouiſſima ſuperbia eſt, quàm prior illa fuit. Hoc enim primum inter tria mala numeratur, quę Sapiens ille ſe odio habere prædicabat: nempe pauperem ſuperbum, diuitem mẽdacem, ſenem fatuum & inſenſatum. Minùs enim mirandum fuit, quòd primus homo, in diuitiis paradiſi conſtitutus, eleuauerit cor ſuum in decore ſuo, quàm quòd modò idem faciat, cùm ad tantam inopiam ſit redactus. Vehemẽter enim indignum eſt, eum in tam diſſimili ſtatu eumdem Eccli. 25.

animum retinere. Piæ igitur humilitatis amator Dominus hoc tanto miseriarum pondere humani cordis elationem comprimere, & ad humilitatis studium erudire voluit.

Quod igitur in tantis malis (quibus vndiq; vita nostra vexatur) remedium diuina prouidentia reliquit? Illud certè quod sanctus Tobias filio proposuit dicens: Memor esto, fili, quòd pauperem vitam gerimus: sed multa bona habebimus, si timuerimus Dominum. Hîc enim vir sanctus breui sermone mala omnia, quæ recensuimus, comprehendit: quarum summum maximumque remedium in timore & vera in Deum pietate collocauit. Hoc igitur primum maximumque malorum nostrorum leuamen est. Proximum verò est, quod S. Rex Iosaphat grauissimis aduentantium hostium cinctus periculis ostẽdit, de quo sic scriptum legimus: Iosaphat autem timore perterritus, totum spiritum suum contulit ad rogandum Dominum. Sic enim dixit: Cùm ignoremus Domine quid facere debeamus, hoc solum habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te. Ex quibus verbis duo malorum nostrorum remedia sanctus Rex Spiritu sancto suggerente monstrauit: nempe viuam in Deo spem, & orationis vocem; qua eius misericordiam imploramus. Hæc autem spes quid aliud agit, quàm quòd eandem ad se misericordiam, cui innititur, aduocat? Oratio verò hac salutari spe instructa, & ab ea ipsa vbi vera salus quærẽda sit edocta, hanc eandem misericordiam assiduis vocibus implorat. Duæ itaque virtutes istæ germana inter se charitate cõiunctæ, mutuas sibi operas præstant. Ideo nõ mirum est, toties in Psalmis harum duarum virtutum officia simul coniungi, & vtrique diuinæ miserationis munus applicari. Sic enim Propheta regius ait: Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: hoc est, fac, queso, Domine, vt quotidie misericordiæ tuæ pręsidium atque solatium in anima mea sentiam. Quo nomine hoc petis? Quia, inquit, in te speraui. Sequitur deinde: Notam fac mihi viam in qua ambulem. Quare? Quia ad te leuaui animam meam. Videtis hîc, fratres, has præcipuè pro se rationes Prophetam adducere, quòd spem omnem salutis in misericordia diuina collocauerit, & quòd ad Deum mentem suam supplici oratione leuauerit?

Mulieri quidem post communem naturæ lapsum iuxta LXX. editionem dictum est: Ad virum tuum erit conuersio tua. Vt ergo mulieris protectio in viri vmbra & auxilio; ita fidelis animæ præsidium atque solatium in Christi sponsi sui tutela atque prouidentia positum est. Hic enim est verus ille Noë, de quo (vbi primùm natus est) pater eius dixit: Iste cõsolabitur nos ab operibus manuum nostrarũ, & à terra cui maledixit Dominus.

Tob. 5.

2. Par. 20.

Psal. 145.

Genes. 5.

Cùm

Cùm Aegyptij, qui in ſeptem vbertatis annis bonis omnibus circumfluebant, ad ſummam inopiam redacti eſſent, in ſola Ioſephi miſericordia ſalutis ſuæ ſpem collocantes, ad illum dixerunt: Salus noſtra in manu tua eſt: tantummodo reſpiciat nos dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi. Quod illis ergo Ioſeph, hoc nobis Chriſtus eſt, cuius ille typum gerebat: in cuius ope & miſericordia, in hac diuinæ gratiæ ac bonorum omnium ſterilitate (quæ poſt priorem illam vbertatem ſubſecuta eſt) ſalus noſtra, ſpeſque omnes & præſidia vitæ poſita ſunt. Sunt humiles quædam arbores, vt vitis atque hedera, quę cùm per ſe attolli nequeant, aliarum adminiculo in altum ſe ſubrigũt. Ad quod clauiculis quibuſdam naturæ beneficio collatis iuuantur, quibus vicinas vlmos prendunt, atque ita in ſublimia feruntur. Ad hunc ergo modum homines poſt communem illum naturæ lapſum ad ima depreſſi, inſtar vitis aut hederæ, humi repunt, niſi Chriſti ope fulciantur. Vitis igitur homo, vlmus autem Chriſtus eſt: cui homines adhærentes, illius adminiculo ad ſupera tendunt. Clauiculi autem precationes aſſiduæ ſunt, quibus illius opem implorant, & mentem in Deum eleuant, vt illi adhærentes, cum ipſo pariter cælum petant. In hac igitur vnius mediatoris Dei & hominum gratia & miſericordia ſalus noſtra ſita eſt. Hæ ſunt opes noſtræ, hæ ſpirituales diuitiæ, hæc paupertatis noſtræ remedia, hæc certa ſalutis præſidia, ad quæ non in omnibus modò calamitatibus (quas hæc ærumnoſa vita parit) ſed in omnibus etiam tentationibus, quibus nos aut fallax mundus, aut maleſuada caro, aut hoſtis antiquus impetit, confugere debemus, cum Propheta dicentes: Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, vt veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum.

[Margin: Gen. 47. — Simile. — Ionæ 2.]

Miro autem modo ipſe orantis animus reficitur, cùm cauſam ſuam Domino ſupplici & fidenti oratione commendauit. Vbi enim vir prudens in quouis arduo negotio id præſtitit quod res ipſa flagitabat, gaudet vtique quòd egregiè munere ſuo functus ſit. Quid autem commodius in quouis graui caſu fieri poteſt, quàm ſuppliciter ſe malorum omnium medico, & communi parenti commendaſſe? Hoc enim regius Propheta ſe facere profitebatur, cùm ait: Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. Hoc eſt, cùm periculis & calamitatibus (quas nullo humano conſilio euadere poſſum) me vndique cinctum video, hoc in primis curo, hoc vno labentem animum meum reficio, quòd in ſinum tuum, Domine, omnem meam ſolicitudinem proiicio, quòd tibi pectus meum aperio, quòd vulnera mea tibi denudo: quod vbi feci, tibiq; cauſam meam commiſi,

[Margin: Pſal. 141.]

placido & tranquillo animo sum, quando, quod officij mei erat,
1.Reg.1. præstiti. In quem sensum verba illa, quæ de Samuelis matre legimus, accipienda esse videntur: quòd videlicet finita oratione (qua filium anxiè à Domino postulabat) vultus eius non sint in diuersa mutati: quæ quidem non ad solam eius fiduciam referenda sunt, sed ad quietem & tranquillitatem fluctuantis animi, quæ post eam orationem consecuta est. Hoc ipsum enim quòd res nostras suppliciter Deo commisimus, quòd illi æstûs animi nostri deteximus, tacita quadam lætitia mentes nostras
Bernard. afficit & consolatur. Propter quod non immeritò D. Bernardus ait: Non frustra aliquid de Deo quæritur, etiam cùm non inuenitur quod quæritur. Propter hoc enim dictum est:
Psal. 68. Quærite Deum, & viuet anima vestra. Quòd si Deum quærere vita est, quid igitur inuenire?

Quæ cùm ita sint; sequitur certè, misericorditer nobiscum Deum agere, cùm variis calamitatibus agitari nos patitur: quoties enim hoc facit, toties nobis orandi causas & incitamenta ministrat. Quòd si his stimulis incitati, ad illum confugimus, & illius opem imploramus, iam vtique misericordiæ eius compotes facti sumus, & ita facti, vt frequenter maius Dei beneficium sit, precandi nobis spiritum dedisse, quàm id ipsum, quod petimus, cōcessisse. Neq; enim exiguum munus illud est, quod
Zach.11. fidelibus Dominus per Zachariam pollicetur, cùm ait: Effundam super domum Dauid, & super omnes habitantes in Hierusalem, spiritum gratiæ & precum. Spiritus enim orandi, quo cætera Dei dona petimus, non potest inter maxima eius dona
Simile. non computari. Quod enim piscatoribus rete & sagena, qua pisces prendunt; hoc piis hominibus oratio est, qua Dei opem & misericordiam consequuntur.

I.

Cæterùm adeò latè precationis virtus patet, vt non modò ad calamitatum & malorum omnium remedium (quod hactenus persecuti sumus) sed ad omnia quæ ad salutem nostram pertinent, efficacissimum sit adiumentum. Quam eius variam multiplicemque virtutem D. Chrysostomus intelligens, eamq. fidelibus notā esse cupiens, duobus de ea editis libellis, eius laudes & vtilitates exponit, in quibus eam rebus omnibus, quæ ad corporis vitam tuendam necessaria sunt, verissimè & elegantissimè comparat. Itaque cùm hoc ipsum institutum mihi hodie propositum sit; nihil vobis gratius futurum puto, quàm si eadem vobis proponam, quæ hic tantus vir in eadem causa protulit. Ex eius ergo verbis colligimus, id esse animæ nostræ orationem, quod corporibus neruos, quod piscibus aquam, quod arborum radicibus humorem, quod ciuitati murū, ac postremò quod

quod huic visibili mundo solem. Eius autem docendi gratia de hisce rebus verba subiiciam. Primùm enim sic ait: Iam verò si quis dicat, animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententia videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat, & compactum est, adeò, vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Quòd si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Addit deinde non minùs homines orationis suffragio indigere, quàm arbores aquarum humore. Neque enim, inquit, arbores valent fructus producere, nisi bibant humorem radicibus: neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Deinde vrbium muro orationem comparat his verbis: Quemadmodum ciuitas quæ muris cincta nō est, facilè venit in potestatem hostiū, propterea quòd prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primùm quidem ad animam precibus cōmunitam nō audet propiùs accedere; metuens robur ac fortitudinem quam illi deprecatio subministrauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetet corpora. Hactenus ille. Qui ne his quidem similitudinibus rerum inferiorum cōtentus, soli etiam comparat his verbis: Quemadmodum sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est, non intueri solem; quanto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?

Deinde idem vir diuinus precationis efficaciam exponit his verbis: Quas spirituales opes, quæ bona ab illo bonorum omnium fonte non haurient, qui iugiter illi assident? Quem enim fugit, quòd solis, lunæ, stellarumque lumen, quòd cæli temperiem, ac variam alimentorum copiam, quòd opes, quod vitam, denique quòd alia innumera bona cuncta ex æquo mortalibus largitur Deus, iustis pariter atque impiis, videlicet ob immensam suam humanitatem qua afficitur erga nos? Porrò si nec rogantes nec postulantes, tanta quotidie misericordia prosequitur ac refocillat; quantis bonis probabile est fruituros eos qui per omnem vitam precibus & obsecrationibus vacarunt! Quo minùs mirandum est, Apostolum Paulum qui adeò probè orationis virtutem nouerat, eius à discipulis suffragium postulasse. Orationi, inquit, instate, vigilantes in ea in gratiarum actione; orantes simul & pro me, vt detur mihi sermo in Ephes. 6.

 aper-

apertione oris mei, ad liberè proloquendum mysterium Euangelij. Quid ais? Tantam nobis fiduciam deprecatio præbet, vt pro Paulo non vereamur orare? Quis miles ausit pro magno duce interpellare Cæsarem? Quanquam sanè nullus dux tam charus est Cæsari, quàm Paulus Deo: attamen ad tantam dignitatem nos prouehit deprecatio, vt audeamus pro Paulo supplicare Deo. Sic & Petrus ille magnus, ille cælo splēdidior, carcerem effugit, maximè quidem ob propriam virtutem, & communem hominum salutem: sed tamen interim Ecclesiæ deprecatio occlusas carceris fores velociter aperuit. Nec enim temerè addidit Lucas: Deprecatio autē fiebat assidua totius Ecclesiæ pro Petro: verùm vt nos disceremus, quantam vim in cælis obtineat deprecatio, videlicet vt Paulum ac Petrum à periculis liberaret, columnas Ecclesiæ, Principes Apostolorum, claros in cælo, murum orbis terrarum, commune presidium totius terræ ac maris. Hactenus Chrysostomus.

Actor. 12.

Orandi verò tempora idem vir sanctus describit his verbis: Quapropter oportet, & stratis relictis, diuino cultu præuenire Solis exortum, & cùm ad mensam accedimus, & cùm nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potiùs oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum æquet. Cæterùm hiberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi; hoc ipso nos beatos existimantes, quòd Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, nisi priùs adoraueris qui lumen illud dulcissimum oculis tuis immittit? Quo pacto fruēris mensa, nisi priùs adoraueris eum qui tibi tantū bonorum largitur ac suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, nisi teipsum præmuniueris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Hactenus Chrysostomus.

Chrys. vbi suprà.

II.

Hæc igitur viri sancti animaduertentes, intellexerunt planè præcipuum Christiani hominis munus esse, ad Deū toto corde conuerti, illum aspicere, ab illo pendere, illi fidere, illius opem semper implorare. Quæ omnia vnico verbo Saluator cōplexus est, cùm oportere semper orare, & nō deficere, admonuit. Cuius rei gratia innumerabiles olim viri initio nascentis Ecclesiæ in desertas & incultas eremi solitudines secedebant: vt negotiosarum turbis vrbium derelictis, & ab omnibus terrenis curis vacui, vnum Deum semper aspicerent, vnum colerēt, & in vno eo mentis oculos defixos semper haberent, & iugis illi laudis & orationis sacrificium immolarēt. Hoc autem fuisse præcipuum Mona-

Lucæ 18.

Monachorum illorũ officium, apertè Ioannes Clim. docet: qui Monachi officium atq. definitionem præscribēs ait: Monachus est, qui ad solũ Deum acie mentis intentus, ipsum semper orat, in omni loco, tempore, & re. Cuius rei cũ infinita penè exēpla afferre possem, vno aut altero contentus ero. Theodoretus in Historia religiosa, in qua multorum sui temporis clarissimorũ Monachorum mores, certamina, ac præcipuè studiũ orationis describit, de Zebitæ viri sanctissimi oratione sic ait: Superabat autem, vt dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim diu noctuque versans, non solùm non satiabatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum iis qui ad ipsum veniebant paucis disserens, non poterat in animum inducere, vt cogitationem à cælis deduceret, sed statim ab illis liberatus, & nec tantillum quidem ab iis, quæ diuina sunt, separatus, offerebat rursus deprecationem. Huius verò discipulus Polychronius adeò magistrum moribus referebat, vt, qui hunc & illum viderent, vnam in duobus corporibus animam se videre arbitrarentur. Est enim similiter diuino incensus desiderio, & est terrenis omnibus superior; & corpori alligatus mentē habet alatam, & quę fertur in sublime, aërémque traiicit & ætherem, & cælis fit sublimior, & perpetuò diuinam visionem apprehēdit contēplatione, nec potest illinc vmquam detrahere. Quin etiam cum iis, qui adueniunt, colloquens, superna mente peragrat. Eius autem per totam noctem vigiliam & stationem hinc didici. Cùm eum viderem simul & cum senio conflictantem, & cum imbecillitate, & nullam omnino habentem curam corporis, sæpius precatus ei persuasi, vt duos assumeret qui simul habitarent, & aliquam consolationem ab eis acciperet. Quoniam autem petiit viros virtute claros, qui per se in alio degebant monasterio, illis quoque viris admirandis persuasi, vt diuini hominis curam omnibus præponerent. Ij autem cùm paruo tempore cum eo habitassent, conati sunt fugere, pernoctem illam non ferentes stationem. Cùm autem virum diuinum obsecrarem, vt imbecillitate corporis metiretur laborem, Non solùm, inquit, eos non cogo stare mecum assiduè, sed etiam sæpe præcipio vt decumbant. Illi autem, Et quomodo possemus, aiebant, eo qui in laboribus cōsenuit stante, & imbecillitatem corporis despiciente, decumbere, cùm simus sani, & in media positi ætate? Sed venerandi quidem mihi capitis nocturnos labores sic didici. Hactenus Theodoretus. Quid hîc nos dicemus, fratres, qui vix ad Deum mentem attollimus? qui dies noctesque sine vlla eius memoria transigimus? qui nec beneficiis prouocati benefactorem laudamus; nec calamitatibus constricti, opem eius imploramus? Io. Clim.

qui ad solam hanc vitam nati esse videmur? quibus vix Deus in animo, vix in ore est? apud quos diuina omnia perpetua quadam obliuione sepulta sunt? quid inquam, in diuino iudicio (quod cuique instat) respondere poterimus, cùm videamus homines eiusdem qua nos naturæ atque substantiæ, integras noctes diebus, idque stando, iungentes, cùm nos vix vnam aliquam horam huic officio impendamus? Nemo verò negligētiæ suæ excusationem prætexat, studium hoc ad solos Monachos pertinere prædicans. Sacra virgo Cæcilia quamuis auratis desuper vestibus tegeretur, cilicio tamen virginea membra premens, non diebus nec noctibus à colloquiis diuinis & oratione cessabat. Quid verò regium Prophetam memorem, qui infirmitatis humanæ conscius, inter regiæ dignitatis curas atque tumultus, vix vmquam à Dei cōspectu mentis aciem dimouebat? Cuius quidem officij necessitatem aptissima idem similitudine
Psal. 145. expressit, cùm ait: Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Terra enim sine aqua, cùm natura ipsa frigida & sicca sit, ad omnem frugum & herbarum propagationem ineptissima est. Cuius rei gratia terras, quas perpetua sterilitate damnare volumus, sale seminamus, qui eiusdem cum terra naturæ est. Talis igitur animæ nostræ facies est; vbi diui-
1. Cor. 3. ni Spiritus rore ac cælestis gratiæ pluuia destituitur. Quid enim aliud Apostolus significare voluit, cùm ait: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est? Quisquis igitur hac cælesti doctrina imbutus, humanæ naturæ imbecillitatem agnoscit; quid, quęso, aliud agere debet, quàm cælestem opem assiduis ac propè continuis vocibus implorare?

II.

His igitur atque aliis modis (quos recensere longum est) oratio adiuuat infirmitatem nostram. Sed quia nihil in vita magnum est, quod non sit multis difficultatibus impeditum; idem etiam in hac parte contingit: quod à nobis propter vtilitatem audientium paucis expediendum est. Hæc autem difficultas à dæmonis malitia frequenter oritur: qui virtutem orationis valdè formidans, variis eam modis impedire conatur. Hinc in vitis sanctorum Patrum legimus, beatum Macarium, dum in conuentu fratrum oraret, vidisse in spiritu dæmonem sub Aethiopis imagine inter orantes Monachos obambulantem, eosque variis imaginibus infestantem, & ab orationis officio retrahentem. Est & aliud quod nonnullos etiam in hac parte acriùs torquere solet, nempe quòd ipse Dominus suspensos diu teneat orantes, nec statim prętet quod ab eo petitur: propter quod multi se ab eo nec exaudiri, nec respici arbitrantur.
Huic

Huic autem siue quæstioni, siue querelæ Dominus in hodierna sancti Euangelij lectione respondet, in qua orationis perseuerantiæ impetrandi efficaciam tribuit, cùm ait: *Et ille si perseuerauerit pulsans; dico vobis, quòd si nō dabit ei surgens eo quòd amicus eius sit; propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios.* Videtis hic, fratres, eximiam perseuerantiæ virtutem, quando illi præcipuè impetrandi vis & efficacia tribuitur? Hoc ipsum & Iacobus Apostolus in epistola quæ hodie lecta est, non obscurè significauit, cùm assiduam, hoc est, perseuerantem iusti orationem multum apud Deum valere dixit. Moyses ille insignis Dei amicus cùm quadraginta diebus & noctibus ieiunus permansisset, vt legem Domini mereretur accipere; totidem rursus diebus ieiunauit, vt veniam præuaricatori populo (qui vitulum conflatilem adorauerat) impetraret. Sic enim ipse ait: Et procidi ante Dominū sicut priùs, quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis. Timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus delere vos voluit. Totidem verò diebus ieiuniis & orationibus sanctissimus Leo Pontifex Maximus vacauit, cùm fidei causam aduersus Eutychetis blasphemiam, multorum fauore atq. perfidia defensam, edita insigni quadam epistola tueri vellet. Nam hic Leo (vt in eius vita scribitur) suis diffisus viribus, priusquam epistolā illam aliquò destinasset, altari B. Petri vtcumq. scriptam imposuit; se verò per quadraginta dies tum ieiuniis, tum precibus exercens, hoc vnū ab Apostolorum principe votis flagrantibus contendit, vt, si quid fortè corrigendum haberet epistola, quæ causam fidei longè difficillimam tractabat, id omne suis ille manibus correctum aboleret. Nec fefellit sanctam precatoris expectationem etiam rarus euentus. Tersam enim & elaboratam epistolam dies reddidit quadragesimus, addita simul reuelatione certissima, successum ab Apostolo ei tribuendum esse, cuius pia dignatio & fida dilectio ne in persona quidem imparis tepescit hæredis. Quibus exemplis illud etiam liquet, preces nostras corporis afflictione & ieiuniis esse iuuandas, quò id, quod à Domini misericordia petimus, impetrare valeamus. Sic enim Daniel Propheta orauit, qui de se ipso ait: In diebus illis ego Daniel lugebam triūm hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum: sed neque vnguento vnctus sum, donec complerentur triūm hebdomadarum dies. Quibus exactis, Angelus Domini mirabili quadam specie illi apparens, dixit: Noli metuere Daniel; quia ex die primo, quo posuisti cor

Iacobi 1.
Deut. 9.
Leo Papa.
Epist. 10.
Dan. 10.

tuum ad intelligendum, vt affligeres te in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. Videtis hic corporis afflictionem, orationis perseuerantiæ coniunctam, ad diuinam lucem impetrandam efficacissimam fuisse. Quam quidem perseuerãtiam idem
Dan. 6. S. Daniel adeò tenaciter retinere semper studuit, vt in apertũ mortis discrimen incidere, quàm solitas preces, quas quotidie Domino fundebat, intercidere maluerit.

Cùm autem multa sint quæ nos ad hanc orationis perseuerantiam excitare possint, hoc tamen impetrandi fiducia potissimùm perficit. Sicut enim qui arat, spe fructus percipiendi ad arandum ducitur: ita quisquis orat, impetrandi fiducia ad orationis perseuerantiam maximè incitatur. Hanc autem fiduciam miro modo postrema Euangelicæ lectionis verba alunt
Luc. 11. atque confirmant. Sic enim Saluator ait: Quis vestrûm patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se? Quid his verbis dulcius? quid amantius? quid ad fiduciam in Deum nutriendam atque erigendam efficacius? His enim verbis Dominus affectum erga nos plusquam paternum ostendit, vtpote qui parentibus carnis se superiorem in hac collatione atque argumentatione monstrauerit. Meminerat enim se alibi dixisse: Patrem
Mat. 23. nolite vocare super terram: vnus est enim Pater vester qui est in cælo. Quibus verbis se parẽtibus carnis amoris affectu, cura atque paterna prouidentia longè superiorem esse monstrauit. Quæ cùm ita sint, quis plena fiducia ad huius patris opem non confugiat? quis non secunda omnia de huius amantissimi Patris prouidentia sibi polliceatur?

Hac igitur fiducia, fratres, hac perseuerantia, hac corporis afflictione sancti omnes in orationibus suis perseuerabant, ideóque, cùm se illi Domino perseuerantes exhiberent in petendo, Dominus se illis misericordem ac fidelem exhibebat, quicquid ab ipso peterent tribuendo. Quod quia ij non faciunt, qui, si illico non exaudiuntur, ab oratione desistunt; nihil mirum, si minus impetrant, quod sine hac orationis instãtia petũt. Hanc igitur in orando perseuerantiam retineamus, fratres, precesq. nostras ieiuniorum labore fouere & adiuuare contendamus, certa fiducia de Domini benignitate & veritate concepta, non defuturam nobis promissam eius gratiam, si constantem in precibus tenuerimus perseuerantiam.

Verùm vt oratio, fratres, has omnes vtilitates, quas hactenus retulimus, consequi possit, suos habere comites debet; sine quibus

quibus infrugifera & inanis futura est: quorum primus mentis attentio est, sine qua vix orationis nomen retinet. Hinc D. Isidorus: Quid prodest strepitus labiorum, vbi cor est mutum? Isidor. Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum; sic oratio sine deuotione est quasi mugitus boum. Hæc ille. D. item Eusebius Emiss. de huiusmodi oratione sic ait: Quomodo Euseb. Emiss. erit Deus in medio tui, si tecum ipse non fueris? Si deest ille qui poscit, quomodo aderit ille qui poscitur? Quomodo suscitabitur iudex, si dormitauerit aduocatus? opus est itaque, vt quod postulat vocis sonus, obtineat sedulitatis affectus. Hæc ille. Ad hoc autem magna cura opus est, vt vagas mentis nostræ cogitationes, variasque rerum imagines quæ sese oranti offerunt, studiosè repellamus. Qua de re sic D. Gregorius ait: Vt Gregor. Abraham sacrificium offerens, volucres non euasit, quas studiosè abigebat: sic nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, importunæ se cogitationes immiscent, quas studiosè abigere oportet. Hæc ille. Hæc autem mentis attentio tanto erit ad impetrandum efficacior, quanto ardentiori diuinorum donorum desiderio fuerit adiuta. Qua de re sic idem D. Gre- Gregor. gorius: Tanto quisque minùs clamat, quanto minus desiderat: & tanto maiorem vocem in aure Spiritus exprimit, quanto se in eius desiderium pleniùs fundit.


Huic autem attentioni illa cordis humilitas, quæ in publicano Euangelij fuit, copulanda est: hanc verò retinebit quisquis diuinæ maiestatis celsitudinem, & conditionis suæ vilita- Bernard. tem studiosè fuerit contemplatus. Vtrumque autem D. Ber- in serm. nardus nobis ante oculos ponit his verbis: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate debet accedere à palude sua procedens & repens ranúcula? Hęc ille. Hi igitur duo orationis comites ad deuotionis & charitatis ignem excitandum plurimùm iuuant; ad impetrandum tamen, perseuerantiæ virtus nobis in hodierna S. Euangelij lectione importuni amici exemplo maximè commendatur. Ad hanc verò primùm quidem spectat, ne protinus, cùm exaudiri non videmur, ab orationis officio desistamus. Frequenter enim hoc diuina dispensatio non contra nos, sed pro nobis facit. Qua de re sic D. Gregorius ait: Omnipotens Deus, quid nobis Gregor. profuturum sit, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, vt augeat vtilitatem, vt vita per pœnam purgetur, & quietis tranquillitas, quæ hîc inueniri non valet, alibi quæratur. Hæc ille. Idemque alio in loco, Sæpe, inquit, vox nostra eò perficitur, quò differtur: & cùm superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altiùs in cogitationum radice solidantur: sicut & semina

ſemina meſſium gelu preſſa ſolidantur; & quo ad ſuperficiem tardiùs exeunt, eo ad frugem vberiorem conſurgunt. Deinde etiam diu multumque in orationis officio perſeuerandum eſt; non ſolùm vt, quod petimus, impetremus; ſed etiam vt in ea diutiùs immorantes, adipe & pinguedine deuotionis repleamur. Mira fuit Saræ iunioris Tobiæ vxoris in oratione perſeuerantia, quæ acerbo conuitio ab ancilla ſua extimulata, tribus diebus ac tribus noctibus, ſine cibo & potu, in oratione perſeuerauit. Non tamen ego à vobis hanc tantam virtutem exigo, ſed illud tantùm, vt, quantum quiſque pati pro ſtatus ſui conditione potuerit, tantum huic officio concedat. Grauiter enim D. Gregorius queritur, quòd cùm multi tota die terreno iudici aſſiſtere valeant, in oratione coram Domino etiam vnius horæ momento laſſantur. Illud verò perſeuerantiæ huius maximè proprium eſt, vt, quantum humanæ fragilitati permittitur, omni tempore & omni loco mentem ad Deum eleuemus; eiuſque præſentiam, quæ cælum & terram implet, nobis ante oculos proponamus. Qua de re Ioannes Climachus memorabile exemplum quorumdam monachorum, apud quos fuerat hoſpitatus, commemorat his verbis: Quoddam ſingulare virtutis illorum genus referre placet. Nam ne ad menſam quidem ſedentes, à ſpirituali opere ceſſabant. Cæterùm ſigno quodam nutuque incognito occultè ſemetipſos orationis admonebant. Neq. verò ad menſam ſolùm reſidētes hoc eos facere animaduerteres; verùm & cùm ſibi obuiarent, aut cùm ſimul conuenirent, id faciebant. Demus igitur operam, fratres, vt hos virtutum comites orationi noſtræ adiungamus, quibus ea ſuffulta, non dubium, quin vt fidelis nuntius vota noſtra ante communis Domini conſpectum perducat; ab eoque ad nos regreſſa, gratiæ & miſericordiæ eius dona reportet: quibus adiuti, ad ſempiternæ felicitatis gloriam, ipſo nobis manum porrigente, peruenire mereamur.

Gregor.

Io. Clim. ſerm. 4.

BREVIS



BREVIS LIBELLVS, QVI VARIAS SENTENTIAS DE ORATIONIS, MEDITATIONIS & Contemplationis laudibus, officio, atque ratione continet, eodem *F. Ludouico Granatensi* auctore & collectore.

Ad Lectorem.



Vm hisce diebus, amice lector, qui Ascensionis Dominicæ festum præcurrunt, de Orationis officio atq. virtute agendum sit (ad quod nos & Euangelica lectio & Rogationum nomen adigere videntur) nō ingratam rem me studioso Concionatori facturum putaui, si ea quæ de hac virtute partim scriptis sanctorum Patrum legendis annotaueram; partim ipse cogitando animaduerteram, illi in hoc veluti fasciculo collecta tradere͂, præsertim cùm Dominicæ præcedentis Euãgelica lectio (cuius initium est, Amen, amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis) idem nos argumentum tractare compellat. Ita enim fiet, vt de hac virtute hisce diebus, & sæpè aliàs dicturus (quotidiana quippe esse debet admonitio, cuius rei quotidianus est vsus) copiosam ad dicendum materiam habeat. Cùm autem Meditatio, & Contemplatio Orationi finitima sint (est enim Oratio eleuatio mentis in Deum, quod tum Meditationi, tum etiam Contemplationi conuenit; ideóq. promiscua huius argumenti tractatio esse debeat) de iis etiam virtutibus simili ordine atq. ratione tractare constitui. Quia vero his tribus virtutibus tria quædam connexa sunt, nempe animi præparatio ad orandum, deuotio, & deuotionis comes gaudium in Spiritu sancto: de his quoque tribus in hoc loco tractandum fuit, ne res trunca & imperfecta maneret. In sententiis autem nostris congerendis neque ordinis rationem habuimus, sed vt quidque se cogitanti offerebat, annotauimus: neque vllũ etiam sermonis cultum adhibuimus: sed eo modo, quo hæc in scriniis nostris cum aliis locis communibus iampridem delitescebant, in lucem proferre voluimus.

Nemo verò existimet, me fideles omnes ad hæc pia Meditationis & Contemplationis studia adigere velle. Sed cùm sapientibus & insipientibus, perfectis & imperfectis debitores simus, magna pars eorum quæ hîc scribimus, ad perfectioris vitæ studiosos pertinent: ideóq. documenta hæc non modo Concionatoribus, qui eodem debito obstricti sunt; sed iis etiam qui spiritualium virorum confessiones audiunt, aut eos priuatis colloquiis instruunt (quod nouitiorum Monachorum magistri facere solent) vtilitatis aliquid nisi me fallit animus, allatura sunt.

Non erit autem studioso Concionatori difficile, ex iis sententiis (quamuis variæ, citráque vllum ordinem congestæ sint) sermonem suum concinnare. Omnis enim de Orationis virtute tractatio bipartita esse debet. Prior enim pars Orationis laudes, & multiplices fructus exponit; quo auditorum animos ad eius amorem alliciat: posterior verò orandi modum, & virtutes eas, quibus oratio fulciri atque iuuari debet, explicare solet. Sunt autem eæ, mentis attentio, feruor spiritus, fides, charitas, humilitas, longanimitas, perseuerantia, misericordia, ieiunium, innocentia vitæ, & bonorum operum studium. His enim virtutibus suffulta Oratio, nihil non impetrat à Deo, quod modò ad salutem hominis pertineat. Hanc ergo precor operam nostram studiosus Concionator boni consulat. Hoc enim vno laboris mei præmio contentus ero.

DE

DE MVLTIPLICI ORATIONIS FRVCTV, deque orandi modo, ac de virtutibus quibus oratio fulcienda & adiuuanda eſt.

Gregor.



VISQVIS pro aliis intercedere nititur, ſibi potiùs ex charitate ſuffragatur: & pro ſe tanto citiùs exaudiri meretur, quanto deuotiùs pro aliis intercedit. Gregorius in Moral.

Conditoris auribus illa maximè oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Idem in Moralibus.

Qui rebus temporalibus occupātur, tunc bene exteriora diſponunt, cùm ſolicitè ad interiora recurrunt. Idem in Moral.

Sancti quo ardentiùs Deo inhærent, ab ipſo accipiunt, vt ab ipſo petant quod eum facere velle nouerūt: ſic ſitim & aquam habent ab eodem. Idem vbi ſuprà.

Sæpe Deus eius precem in perturbatione deſerit, qui præcepta eius in tranquillitate contemnit. Sanctos etiam in afflictione adiutores non habet, qui habere ſocios in hilaritate contemnit. Gregorius vbi ſuprà lib. 5. c. 30.

Talem ſe mens, cùm ceſſat ab oratione, exhibere feſtinet, qualis apparere in ipſa oratione exoptat. Vnde dicitur, Ne iteres verbum in oratione, id eſt, cùm mala defleueris, ne iterum facias quod iterum plangas. Idem ſup. lib. 10. c. 16.

Diffidit mens ſe accipere poſſe in oratione quod appetit, quæ reminiſcitur nolle ſe adhuc facere quod diuinitus audiuit. Dignum eſt enim, vt ab eius beneficiis ſit extraneus, cuius iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus. Idem vbi ſuprà, c. 17.

Cùm ſe mens ad orationem erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus antea otioſa libenter premebatur. Idem vbi ſuprà.

Apud iudicem miſericordem ſæpe triſtitia quæ orantem aggrauat, ipſa ſubtiliùs orat pro nobis. Ideo dicit: Cùm te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer. Gregorius vbi ſuprà, c. 15.

Super illud ex Iob, Leuabis ad Deum faciem tuā, ſic Greg. Cùm reatu culpæ deprimimur, leuare ad Deum faciem cordis noſtri veremur. Cùm verò lamentis culpa diluitùr; & ſic perpetrata plang untur, vt plangenda non perpetrentur; magna menti fiducia naſcitur, & ad conſpicienda ſupernæ retributionis gaudia,

gaudia mens nostra leuatur. Gregorius vbi sup. lib. 16. c. 10.

Gregorius super illud Ioannis: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus, &c. sic ait: Si quod præcipit, facimus; quod petimus, obtinebimus: debet enim oratio fulciri operatione, & oratione operatio. Mor. 18. c. 3.

Eo magis sancti exaudiuntur ad meritum, quo citiùs non exaudiunturad votum. Ex dilatione enim crescit desiderium. Gregorius 20. Mor. c. 25.

Quoniam in medio laqueorum positi sumus, facilè à cælesti desiderio frigescimus. Quapropter assiduo indigemus munimento, vt expergefacti ad Deum nostrum verum & summum bonum, cùm diffluimus, recurramus. Augustinus in Manuali. Augus.

Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Idem in Epistol.

Nullum credimus ad salutem nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutem suam nisi auxiliante Deo operari: nullum nisi orantem auxilium promereri. Idem de Eccles. dogm.

Orationibus mundamur, lectionibus instruimur: vtrumque bonum est, si licet: si non liceat, melius est orare quàm legere: quia in lectione cognoscimus quod facere debemus, in oratione eadem accipimus quæ postulamus. Idem.

Spiritus gratiæ facit, vt habeamus fidem; fides orando impetrat, quod lex imperat. Idem.

Scio quia malè mihi est præter te Domine, non solùm extra me, sed etiam in me ipso: & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Ibidem lib. 14.

Conferamus nos ad te, & bene nobis erit de te: malum est nobis de nobis: quia dimisimus te, dimisisti nos nobis. Idem de verbis Domini, serm. 4.

Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris. Idem super Psal. 75.

Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde nō cogitatur; tales orationes veræ sunt multis, crebræ paucis. Idem super Psal. 118.

Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem orationes habere, sed eas breuissimas tamen, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta (quæ oranti plurimùm necessaria est) per productiores moras euanescat, atque hebeteturintentio. Idem ad Probam.

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtilius, magis nouit medicus quàm ægrotus. Idem in lib. senten. Prosperi.

Oratio

Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem est flagellum. Idem in Serm.

Multum precari, est Deum, quem precamur, diuturna & pia cordis exercitatione pulsare: nam plerumq. hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur; plus fletu quàm affatu. Idem ad Dioscor.

Oratio Deum vngit, sed lachryma pungit: hæc lenit, illa cogit. Idem in Serm.

Orationis puræ magna est virtus, & velut fidelis nuntius, mandatum peragit; & penetrat quò caro non peruenit. Idem super Psalm. 65.

Oratio refectio est ieiuniorum; duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio; sic & ieiunium, sine refectione orationis, non potest animam perfectè nutrire. Idem in Serm.

Cùm aliquid aliquando tardiùs dat Deus, commẽdat dona, non negat. Desiderata diu dulciùs obtinentur; citò autem data vilescunt. Idem de verb. Dom. c. 1.

Augustinus super illud, Quodcumque petieritis, &c. sic ait: Malè vsurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proinde si hæc ab illo petuntur vnde homo lęditur exauditus, magis metuendum est, ne, quod posset non dare propitius, det iratus.

Non tu accipiendo proficis, & Deus in dando deficit: quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit sitientem. Idem de verb. Apoc. c. 16.

Ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. Hieron. super Marc.

Quoties pro centum animabus psallimus, vel Missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum si pro qualibet caneretur. Idem in Epistolis.

Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo grata vicissitudo sanctæ operationis accendat. Idem ad Demetriadem.

Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Idem ad Lætam.

Hieronymus de orationis suæ perseuerantia sic ait: Memini me clamantẽ diẽ crebrò iunxisse cũ nocte; nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino imperãte, trãquillitas. Ipsam quoq. cellulã meã quasi cogitationũ mearũ cõsciam pertimescebã: & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabã. Sicubi cõcaua valliũ, aspera montiũ, rupiũ prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimę carnis ergastulum

ſtulũ deponebãt: & (vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus) poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquã videbar mihi agminibus intereſſe Angelorum, & lætus gaudensq. cantabam: Poſt te in odorem vnguentorũ tuorũ curremus. Ibidem.

Si pro te rogas tãtùm, pro te ſolus rogabis: ſi autẽ pro omnibus rogas, omnes pro te rogabunt. Ambroſ. in Hexaëm. lib. 1. Ambroſ.

Multi minimi dum congregantur vnanimes, ſunt magni: & multorum preces impoſſibile eſt contemni. Idem libro de pœnitentia.

Orando bibitur vinum ſpirituale, lætificans cor hominis; vinum ſcilicet Spiritus ſancti, quod inebriat mentem, & carnaliũ voluptatum infundit obliuionẽ, humectãs interiora arẽtis conſcientiæ, eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quędam animæ membra, fidem roborans, ſpem cõfortans, vegetans ordinansque charitatem, & impinguans mores. Bernard. in Epiſt. Bernard.

Licet omni hora & omni loco oculi Domini nos ſpeculẽtur, maximè tamen in oratione: licet enim ſemper videamur, ſed tunc etiam præſentamus nos, & oſtendimus, quaſi facie ad faciem cum Domino colloquentes. Bernard. in Epiſt.

Timida oratio cælum non penetrat, quia reſtinguit animũ timor immoderatus, vt omnino non dico aſcendere, ſed procedere nequeat. Tepida verò in aſcenſu langueſcit & deficit, eo quòd non habeat vigorem. Temeraria aſcendit quidẽ ſed reſilit: reſiſtitur enim ei; nec tantùm non obtinet gratiã, ſed meretur offenſam. Quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cælum ſine dubio penetrabit: vnde certum eſt, quòd vacua redire non poſſit. Idem in Serm.

Scienti legem, & non facienti, peccatum eſt illi. Propterea ſciens quia in oratione datur bona voluntas, cùm videris quæ agenda ſunt, vt conualeſcas ad agendum quæ videris, aſcẽde tu ad orationem, ora inſtanter, ora perſeueranter. Idem ibidem.

Deſpiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles, ſeculi curis anxiæ, & rerum corporalium deſideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infecundæ. Hilar.

Oratio eſt in terreſti corpore incorporea operatio, aſpectus immotus animi in fide Deum aſpiciens, ordo rationalis animæ ad Deum, cui ſe ſtudio ſubdit; conſiſtentia animæ ante Deum, allocutio diuinas aures pulſans, ſuauis clamor in ſenſu cordis, negatio omnium (dum agitur) corporalium actionũ, reſtrictio ſenſuum, obliuio ſui & omnis creaturæ, portus vago ſpiritui, pręſentatio ſui coram iudice, diiudicatio ſui ad mortẽ ęternam, diffidentia ſuarũ actionũ, pręuentio ante aduentum, id eſt, iudicium ante diuinum iudicium; verum animæ ſpeculum, luminare ſplendidiſſimum, lux inuiſibilis ad actionem inuiſibilem, Simon Caſſia.

vmbra æstuantem refrigerans, iactatio sui in Deum, nihil volendo, nisi quod illi fuerit gratum. Simon Cassianus.

Beda. Multùm iuuat orationis puritatem, si omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis; si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus & linguã. Quæcumque enim sępiùs agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sępiùs ad animum, quasi solitam propriamq. recurrãt ad sedem: & sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta; ita cogitationes immundæ impuram mentem perturbant, castam verò spirituales sanctificant. Beda de templo Salomonis.

Isidor. Non conciliat Deum multiplex orationis sermo, sed purissima sinceraque cordis intentio. Isidorus.

Cassiod. Oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, subleuat ad cælestia, reddit capaces & dignos ad accipienda bona spiritualia. Cassiodorus.

Hugo. Oratio est piæ mentis & humilis ad Deum conuersio, fide, spe, & charitate subnixa. Hugo.

Cassian. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuãdum me festina, &c. Huius versiculi oratio in aduersis vt eruamur, in prosperis vt seruemur, ne extollamur, incessabili iucũditate fundenda est. Huius igitur versiculi meditatio in tuo pectore indirupta voluatur. Hunc in opere quolibet siue ministerio, siue in itinere constitutus, decantare non desinas: hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ necessitatibus meditare. Ioan. Cassianus in collat. 10. Isaac cap. 10.

Oratio posita est, per quã ira Dei suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, & pręmiorum largitas impetratur: Cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur, præsentem sibi facit quem videre non præualet: ad penetrandum iudicium precator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus inuenitur. Idem super Psalm.

Virtutem sanctæ orationis intende: quia tanto se credit celerius audiendam, quanto de imis penetralibus clamat ad Dominum. Idem super Psalm. 101.

Saluian. Aures eius in preces eorũ. Per id quod dicitur, diuinas aures in precibus semper esse iustorũ, non audientia tantùm Dei, sed quædã quasi obediẽtia demonstratur. Semper enim audit, semper exaudit, illico audita cõcedit. Quàm beati essemus, si quàm promptam erga nos Dei obedientiam legimus, tam promptè ipsi Dominum audire vellemus! Saluianus contra Gentes.

Dionys. Deus quidem omnibus adest, atque ipsi non adsunt omnia. Adsumus autem ei, vbi ipsum castissimis precibus, animoque purgato, atq. ad diuinam coniunctionem idoneo, inuocamus.

Itaque

Itaque nos ipsos ad celsiorem diuinorum contuitum orationibus in primis comparamus. Dionys. de diuin. nom. cap. 3.

Qui in fratrum medio consistit, non tantum ex Psalmorum modulatione, quantum ex oratione lucrari potest. Nam sępe ex alternis vocibus & modulationibus, ne virtutem intellectumq. Psalmi consequi possimus, impedimur. Ioan. Climacus. Climac.

Noli tristari aut mœrore vllo affici, si, dum oras, subtilissimè inimicus irrepit, animique intentionem clàm vt fur auertit: sed bono animo esto, dum semper lubricam reuocas mentem. Angelis enim solùm datũ est, huiusmodi nõ patere furibus. Idem.

Sta in orationis prece tremens, nec aliter quàm reus iudici assistens, vt & interiori & exteriori habitu fauorem iusti iudicis concilies: neque enim patitur animam viduam despicere sibi anxiè astantem. Idem de luctu, Gra. 7.

Conuenit iis qui nondum veram cordis orationem possederunt, corporeæ exercitatio orationis: videlicet manuum extensio, tunsio pectoris, gemituum singultuumq; perturbatio, sincerus atque iugis in cælum conspectus, perpetua genuum curuatio, quæ omnia dum nõnumquam propter præsentes facere non possumus, tunc maximè nos oppugnant dæmones. Idem Grad. 15.

Is qui, dum orat, Deo se assistere intimo cordis affectu existimat, vt columna perstabit immobilis. Idem Grad. 18.

Probat quidem aurum fornax: sed studium & charitatem in Deum monachorum, probat orationis intentissimæ qualitas. Idem ibidem. Simile.

Dei amator Monachus, mox vt sonus tubæ increpuerit, ad orationem vocans, lætus & hilaris dicit, Euge, euge: negligens verò, Væ mihi, væ mihi. Mensæ pręparatio gulæ deditos arguit: orationis autẽ exercitatio Dei amatores probat. Prior ille, dum instructam conspicit mensam, gestit lætitia; sequens autem mœstior fit. Somnus multus obliuionis est opifex, vigiliæ verò memoriam emundant. Diuitias agricolæ ex area & torculari colligũt; Monachi verò suas opes & scientiam vespertinis maximè nocturnisque orationibus, & animi exercitationibus congregant. Idem Grad. 19. Simile. Simile.

Sicuti fures cùm arma regia in loco aliquo posita viderint, non illuc facilè ascendunt: ita & qui corde orationem cõiunxit, non facilè ab intellectualibus latronibus violari poterit. Idem in Compend. supr. Simile.

Oratio secundùm qualitatem quidem suam coniunctio atq. vnio est hominum & Dei: secundùm actionem verò constantia mundi, reconciliatio Dei, lacrymarũ mater, earumq; item filia, peccatorum propitiatio, tentationũ pons, tribulationum

interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus inuisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, fidei demonstratio, tristitiæ solutio, Monachorum diuitiæ, solitariorum thesaurus, iræ imminutio, speculum profectus, mensurarum indicium, status insinuatio, futurorum reuelatio, flentibus clementiæ significatio. Oratio eis, qui rectè orant, curia & iudicium, & tribunal Domini ante futurum tribunal est. Exurgentes audiamus sacram hanc virtutum reginam excelsa ad nos voce clamantem ac dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiā. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris, plagisque vestris medicinam: iugum enim meum suaue est, & peccata sanat maxima. Idem Grad. 28.

Simile. Si vmquam visibili iudici obnoxius fuisti, non tibi alia forma iam opus erit, quam imitari debeas dū orationi insistis. Quòd si neque reus ipse adstitisti, nec alios examinari perspexisti, vel ex infirmorum precibus, quas medicis, dum secandi vel vrendi sunt, fundunt, huiusmodi aliquid addisce. Ibidem.

Cùm in orationis verbo vel dulcedine perfundi, vel compungi te sentis, in ipso persiste: tunc quippe custos noster nobiscum orat. Ibidem.

Etiam si totam virtutum scalam conscendisti, tamen pro remissione peccatorum ora, audiens de peccatoribus clamantem Paulum: Quorum primus ego sum. Idem ibidem.

Orationis quidem initium est, fluctus animo aduenientes solo & tacito mētis imperio ex ipsis initiis fugare: mediū verò, cùm in iis quæ dicuntur vel cogitantur, mens tota est: finis autem, raptus ad Dominum. Idem ibidem.

Si te semper exerceas, vt mens tua nunquam longiùs vagetur, etiam in ipsa mensæ appositione prope te erit. Sin autem effrenè & liberè vagari patiaris, numquam tecum permanere poterit. Ibidem.

Nihil est aliud oratio, nisi mundi visibilis atque inuisibilis alienatio. Quid enim mihi est in cælo? nihil. Et à te quid volui super terram? nihil, nisi tibi semper in oratione absque vlla distractione adhærere. Nonnullis quidem opes in desiderio sunt, aliis gloria, quibusdam mortalium quarumlibet rerum acquisitio, mihi autem adhærere Deo bonum est. Ibidem.

Simile. Non sicis qui condemnandus est, pœnæ suæ sententiam metuit, vt, qui orationis curam sollertiùs habet, cùm ad illam assistit, trepidat. Ibidem.

Præpara te per sempiternam animæ orationem ad assistendum

dum precibus tuis, & citò proficies. Idem ibidem.

Charitatem quidem militis ad Imperatorem suum, indicat bellum: Monachi verò charitas ad Deum, maximè quo tempore orationi astat, deprehenditur. Statum tuū oratio tua manifestabit tibi. Hāc enim Monachi esse speculum, Monachi rectissimè tradunt. Qui quodlibet opus incipit, & orationis tēpore adueniente adhuc in illo moratur, à dæmonibus illuditur: intētio namq. furibus est, horam per horam nobis furari. Ibidem.

Ea quæ pluribus precibus atque temporibus laboribusq; acquiruntur, solida sunt atque durabilia. Idem ibidem.

Dirum quidem est, aquam ex sitientis ore diripere: sed longè est dirius, animam summo affectu compunctionis orantem, priusquam perfectè consummatur oratio, se ipsam priuare iucundissimo isto nimiumque desiderabili statu. Noli ab oratione desilire, quoad videas ignem & áquam diuina dispensatione cessauisse: neq; enim huiusmodi tempus remissioni peccatorū aptissimum fortasse in omni vita tua inuenies. Qui orationis gustū cepit, vno sæpe verbo incautiùs emisso, inquinauit mentem; atque in oratione assistens, quem cupiebat, nequaquam, vt solebat, inuenit. Ibidem.

Idem ignis consumens, & lux illuminans dicitur. Vnde & quidam ab oratione exeuntes, veluti ex fornace ignis egrediūtur, sordis cuiusdam atque materiæ leuamen sentientes. Alij verò velut à luce illustrati, atque duplici humilitatis & exultationis amicti veste inde procedunt. Qui verò absque his duobus affectibus ab oratione exeunt, corpore, non spiritu (vt Iudaicè dixerim) orant. Ibidem.

Qui baculum orationis iugiter tenet, non offendet: sed & si offendere eum contigerit, non penitus cadet. Quippe oratio piè Deo vim infert. Ibidem.

Non possumus verbis discere aspicere: natura enim id sequitur. Neque orationis pulchritudinem per alterius doctrinā addiscere poterimus. Ipsa enim in seipsa Deum habet magistrum: qui docet hominem scientiam, datque orationem oranti, & benedicit iustorum annos. Idem ibidem.

Tu non audis orationem tuam, & Deum vis audire precem tuam? Flecto, inquis, genua: curuasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagabatur: corpus tuum intus in Ecclesia, sed animus tuus foris: os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat. Chrysostomus in serm. Chrysost.

Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione. Idem super Matth.

Ignis non ita extergit æruginem, vt nocturnæ preces pecca-

torum nostrorum sordes expurgant. Idem.

Coram Domino orat, qui animam suam vndequaq; colligit, & nihil commune habet cum terra, sed intra seipsum migrat, & omnem humanam cogitationem ex anima eiicit. Idem.

Vbi oratio & gratiarum actio est, sancti Spiritus gratia accedit, & fugantur dæmones, & omnis contraria potentia aufugit atque discedit. Idem.

Oratione acquiritur conuersatio Dei: seiungitur autem à Deo, qui non se coniunxerit ei. Qui verò separatur à Deo, illum necesse est aduersario coniungi. Idem.

Oratio custodia est temperantiæ, virginitatis sigillum, iræ castigatio, superbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, pacis confirmatio. Idem.

Pro se orare necessitas cogit, pro aliis autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. Idem sup. Matth.

Orans nihil nouum faciat quod aspiciant homines, nec voce clamet, nec manus expandat, nec oculos tollat, vt notabilis fiat. Ibidem.

Fuit Iacobus tanta vitæ sanctitate conspicuus, vt episcopatũ primus Hierosolymorũ acciperet. Aiunt genua eius obduruisse callo, & tantam in eo fuisse carnis incuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè membra morerentur, atque assiduitate orationis, iugique ad pauimentum prostratione corporis, frontem quoque eius callo similiter obductam, vt nihil etiam ipsa à cameli genibus discreparet. Samuel pro Saule tam diu orãs, nõ est exauditus; neque etiã pro sorore sua Moyses. Et apud Ezechielem; Si tres viri isti Moyses, Daniel, & Iob, &c. Habent vim orationes sanctorum, sed tunc sanè, cùm nos pariter pœnitendo postulamus. Idem sup. Matth. hom. 5. oper. perf.

Eadem de re animaduersa à Collectore.

Exod. 17. Moyses oraturus in monte, virgam Dei habet in manu sua; per quam crux Christi designatur: vt intelligas omnes nostras orationes crucifixi Domini Iesu meritis fulciendas ac iuuandas esse. Quorsum enim orationi virga adhibetur, nisi vt meritum illius virgæ, quæ de radice Iesse egressa est, innuatur? Id autem quotidie facit Ecclesia, cùm in calce orationum suarum addit: Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Apoc. 7. appellantur orationes sanctorum odoramẽta. Quare? Quia suauissimè ante Dominum redolent? Cur ita? Quia cùm Deus infinita & immensa bonitas sit, maximè ipsius naturæ consentaneũ est, de hominibus bene mereri, seq. illis communicare.

municare. Gaudet autē huiusmodi opportunitate bene faciendi oblata. Est autem maxima opportunitas bene faciendi, cùm creatura se per orationem suo creatori subiicit.

Quemadmodum piscis extra aquam positus, & arbor extra genitale solum posita læditur, quia hæc naturalia harum rerum loca sunt: ita planè cor hominis diuinæ contemplationi assuetum, vbi oculos à Deo deflexerit, malè habet, quia extra suum locum ac veluti centrum est.

Quisquis orationem suam fiducia fulcire velit, circumducat oculos per admiranda diuinæ prouidentiæ opera quibus Deus in seruandis alendisque animantibus vtitur. Videat quæ apes, quæ formicæ, quæ aranei, quæ vulpes, quæ lupi, cùm improba eos exagitat fames, cæteraque animantia faciunt, vt cibum sibi parent, vt vitam suam tueantur, vt pullos suos nutriant: deprehendetque non solùm ea facere quæ vix humana ratio excogitare potuisset; sed frequenter etiam quæ supra rationem posita sunt, attingere: nam & tempestates imminentes, & serenitates, & pluuias, & stragem hominum futuram, & aëris temporisque mutationes præsentiunt, sibiq. opportunè prospiciunt. Si ergo tanta cura Deus brutis animantibus necessaria prouidet, quæ illi gratiam nec habere, nec referre possunt; quónam modo nobilissimæ creaturę, quę ad vitæ vsum necessaria sunt, denegabit, quæ illius beneficiis grata esse potest, & propter quam cætera omnia condita sunt?

Deo, quatenus Deus & actus purus est, conuenit à nullo aliquid posse recipere, & ipsum omnibus dare. Creaturæ verò, quatenus creatura & indiga est, conuenit recipere. Ideo sicut creatoris proprium munus est, omnibus semper dare: ita creaturę esse deberet, ab illo semper petere. Cùm enim creatura petit, tunc vel maximè suum officium facit; quemadmodum cùm Deus dat, suo munere fungitur. Sed ille tamen semper hoc facit, eiusque hoc perpetuum munus est, cùm nos tamen in nostro officio frequenter deficiamus.

Vita Christiana est sicut arbor inuersa, quæ videlicet in cælo radices iaciens, è cælo pendet, & in terra germinat. Vnde sicut Simile. tota olitoris cura in fodiendis irrigandisque plantarum radicibus versatur, quibus è visceribus terræ succus in alimentum arboris trahitur: ita maxima piorum cura in eo esse debet, vt cogitationum & affectuum suorum radices in cælo figant, vt inde cælestis gratiæ succum trahant, quo virtutum germina in terra proferant. Hoc autem Propheta prestabat, cùm diceret: Leuaui Psal. 120. oculos meos in montes, vnde veniet auxiliũ mihi. Et rursum: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Hoc autem quid Psal. 122. aliud est, quàm radices virtutum cælestibus vndis irrigare?

Simile. Denique ſicut mũdus hic naturalis à cælo pendet; ita etiam ſupernaturalis (qui eſt Eccleſia, & anima etiam fidelis) à ſupernaturali mundo (hoc eſt Deo) ſpiritum & virtutem haurit.

Orationis præcipua cura eſſe debet, vt præceptis Dominicis obſequamur magis, quàm vt ſpirituali dulcedine oblectemur. Pſalm. 26. Hinc Propheta: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, &c. Quorſum hoc? Nimirum, vt videam voluntatem Domini: hoc eſt, vt audiendis ibi meditandisque diuinis legibus, intelligam voluntatem eius, quam videlicet ſtudioſiſſimè exequar.

Simile. Qui excutere è ſilice ignem vult, non contentus ſemel percuſſiſſe, iterum atque iterum percutit, donec tandem ſcintillam excutiat: ita quiſquis Dominum precatur, etiam ſi ilico ad votum non exaudiatur, perſeueret tamen: quoniam ſi perſeuerauerit pulſans, voti tandem compos fiet.

Gallina quę cõtinuò ouis incubat, & calore ſuo fouet, in pullos breui temporis ſpatio transformat. Quæ autem frequenter oua deſerit, vix pullos educit. Quo exemplo diſcimus, quantum perſeuerantia in acquiſitione virtutis & ſapientiæ iuuet; quantumque huius ſtudij & laboris frequens intermiſſio noceat.

Quando caſtigare populum Dominus vult, deprecatores è medio tollit, vt ſine vllo impedimento eius cenſura ſæuiat in Ezech. 22. peccantes. Vnde eſt illud: Quæſiui de eis virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus pro terra ne diſſiparẽ eam, & non inueni, & effudi ſuper eos indignationem meam. Rurſumque Hieremię ait: Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas laudem & orationem pro eis, & nõ obſiſtas mihi: non enim exaudiam te. Contrà verò cùm precatores adhibet, miſericordiã Pſalm. 65. præſtat, iuxta illud: Benedictus Deus, qui nõ amouit orationem meam & miſericordiam ſuam à me. Quo in loco Auguſtinus ait: Quàm diu Deus non tollit à te orationem tuam, non amouebit à te miſericordiam ſuam.

Danda opera eſt, vt frequenter mentem ad Deum per breues orationes, & pios amoris affectus eleuemus, etiam ſi nullum ex hac re fructum percipere videamur: ſæpe enim anima proficit, Simile. & ſe proficere neſcit. Sicut enim plantæ quotidie creſcunt, quãuis id non appareat: & vmbræ linea in horologio ſolari cõtinuè ſicut ipſe ſol mouetur, nec tamen moueri cernitur: ita virtutes Simile. & gratia inuiſibiliter in nobis hiſce actibus & motibus creſcũt. Et quamuis hoc meritum exiguum ſit, tamen ſicut hirundines exiguis luti particulis, quas ſecum baiulant, nidum paulatim conſtruunt grandiorẽ; ita piorũ mentes huiuſmodi licet paruis incrementis ad iuſtam gratiæ magnitudinem excreſcunt.

Imbecillitatis noſtræ magnitudo declarat, quantum diuina

ope

ope & orationis continuo studio egeamus, quo Dei opem imploremus. Omnia enim quæ infirma sunt, alieno subsidio egẽt, quo fulciantur. Aegrotus qui vix pedibus consistere valet, assidua eget alimonia, qua nutantia membra sustentet. Cæcus qui per iter difficile graditur, continuo eget ductore, qui eum in via dirigat. Arbor in arido plantata solo, frequentibus eget aquis quibus irrigetur, vt fructum proferat. Sordidus locus, fœtores ex se putidos noxiosque exhalans, bonis odoribus implẽdus est, ne noceat. Vlcus ardore suo finitimam carnem incendens, frigidis assiduè liquoribus refrigerandum est. Hæc autem mala omnia nobis propter peccatum obuenerũt. Nos enim infirmi, nos cæci, nos in arido mundi huius solo plantati, nos fomitem intra nos peccati gestantes, noxios variarum cupiditatum fœtores exhalamus; nos denique vlcere pessimo à planta pedis vsq; ad verticẽ deformati sumus: ideoq; frequentissimis remediis & medicamẽtis indigemus. Pręsentissima verò remedia sunt, sacra lectio, oratio, meditatio, ieiunia, silentium, occasionum peccandi fuga, sensuum diligens custodia, & frequens sacramentorum vsus. Hæc enim omnia miro modo imbecillitatem nostram adiuuant: sine quorum præsidio vita nostra inter innumera huius vitæ offendicula periclitatur. Si enim qui ista sæpe remedia frequentant, non omnino periculo vacant; in quo periculo erunt, qui ab his prorsus alieni sunt? Similium inductio.

Petite, & accipietis. Magnam nobis in orando fiduciam præbet non solũ immensa Dei nostri bonitas, sed horũ etiam verborum veritas. Quis princeps vmquam seruo suo pręcepit, vt ab eo aliquid peteret, quod non impetraret? Nec enim summa illa veritas & charitas sibi ipsi contraria est. Quorsum autem attinebat vt Deus iuberet petere, nisi vellet etiam donare? Simile.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem, &c. Orationis enim præcipuum munus est, auxilium petere, quo diuinam legem atque voluntatem possis implere. Vnde est illud, Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Non sufficit ergo orare, si malè viuas: cùm finis orationis, diuinæ legis adimpletio sit. Quorsum enim medicamẽta sine salute? arma sine victoria? studium sine scientia? & nauigatio, nisi perueniatur in portum? Matth. 7. Eccli. 35. Simile.

Quod, quæso, dum oramus, spei nostræ atque exauditionis maius argumentum est? Alius fortasse merita propria, & vitæ integritatem; alius percepta Dei beneficia, quæ sanctis olim Patribus magnam impetrandi fiduciam præbebant; alius immensam Dei misericordiam & veritatem prædicabit, quæ ad se humiliter confugientibus opem promisit. Inter hęc autem spei nostræ præsidia, verè maximum est, quòd cælestis Pater

 dilc-

dilectissimum Filium suum velut pignus & obsidem misericordiæ & exauditionis suæ nobis cõtulit: vt per eius gratiã & merita misericordiam inueniamus in auxilio opportuno. Si enim omnipotens Dei bonitas misericordiæ suæ pignus aliquod dare voluisset; quod, quęso, aliud pretiosius & firmius dare potuisset?
Rom. 8. Hoc autem Apostolus significauit cũ ait: Qui proprio suo Filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non cum illo omnia nobis donauit. Quidquid enim donare amplius potest, incomparabiliter minus est, quàm quod antè dedit.

Miro modo bonitatem & liberalitatem Dei commendat, quòd obsequij loco exigit, vt illum oremus, eiusque misericor-
Psalm.49. diam imploremus. Vnde est illud: Non accipiã de domo tua vitulos, &c. Inuoca me in die tribulationis. Item illud, Diru-
Psal. 128. pisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Rectè quidem propter dirupta vincula promittit sacrificium laudis. Hoc enim tali beneficio debebatur. Sed quorsum illud, Nomen Domini inuocabo? Quia nimirum intelligebat, Dominum nostris cõmoditatibus vt suis laudibus delectari: ideoque laudibus eius orationem quoque illi gratissimam iungit. Qui enim Dominum laudat, verbis eius prædicat misericordiam: qui verò eius nomen inuocat, nõ solùm verbis, sed rebus etiam eandem commendat. Neque enim misericordiam ab eo peteret, nisi misericordem crederet. Ideóque non minùs illum colit qui orat, quàm qui laudat: vtrumque enim ad religionis officium pertinet.

Manna incalescente sole liquefiebat, nec ampliùs inueniri aut colligi poterat, nisi diluculo colligeretur. Vnde Sap. 16. legimus: Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactũ, tabescebat: vt omnibus nomen esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucem te ibi adorare. Quibus verbis matutinum tempus maximè opportunum ad precandi munus esse declaratur.

Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Eccli. 35. Quare? Quia propriæ fragilitatis conscius, scit se non posse legem sine gratia seruare: ideoque continuis illam à Domino precibus flagitat.

Matutinum tempus & vespertinum lex attribuebat precationibus, sacrisque faciẽdis. Matutinum verò in primis accommodatum est, quòd ea hora magis vacui sumus à cæteris curis.
Psal. 5. Hinc Vates regius, Manè, inquit, astabo tibi, & videbo. Pro quo D. Hieron. ex Hebr. vertit, Manè astabo tibi, & cõtemplabor. Alius autem vertit, Manè instituam ad te orationem meam, & suspiciam. Hoc est, sublatis ad cælum oculis expectabo, dum mihi perdito & afflicto opem aliquam feras. Hinc etiam illud:
Deus,

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Et paulo pôst: In matutinis Domine meditabor in te, &c. Itẽ pro eo quod nos legimus, Pręueni in maturitate, & clamaui, &c. alij ex Hebręo verterũt, Præueni diluculum, & clamaui; quia in verba tua superſperaui. Præuenerunt oculi mei vigilias, vt meditarer eloquia tua. Huc pertinet & illud: Exurge gloria mea, exurge pſalteriũ & cithara: exurgam diluculo, vel (vt alij verterunt) excitabo auroram; hoc eſt, non expectabo vt illa me excitet, ſed ego illam morantem peruigil in oratione excitabo. Pſalm. 62. Pſal. 118. Pſalm. 56.

Optimus orationis & fiduciæ comes puritas & innocentia vitæ eſt. Propter hoc enim Dauid ſe à Domino exauditũ, & ex maximis periculis ereptũ teſtatur, cùm in Pſal. 17. ait: Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo. Quia omnia iudicia eius in cõſpectu meo, & iuſtitias eius nõ repuli à me, &c. Ex quibus verbis colligit deinde quod ſequitur: Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, &c. & cum peruerſo peruerteris. Hoc eſt, ita te cum hominibus geres, quomodo ipſi ſe gerunt erga te. Quam quidem ſententiam ſacræ litteræ frequentiſſimè ſonant. Hinc Azarias Propheta ſub Aſa Rege populo ex victoria redeunti Spiritu Domini actus ait: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum illo. Si quæſieritis Dominum, inuenietis eum; ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. Paral. 14. Item Oſeæ 4. Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar & ego filiorum tuorum.

Quas gratias agere Domino debeat is cuius oratio exaudita eſt, declarat exemplo ſuo Propheta, qui ob hoc pios omnes ad hoc officiũ vehementi oratione conuocat, dicẽs: Venite, audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Dominũ, quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamaui, &c. Quàm longè autem aberat ab inanis gloriæ periculo, cùm hanc gratiam prædicaret! Pſalm. 65.

Matutinum tempus vel nocturnum precandi officio maximè accommodatum eſſe, declarant illa Prophetæ verba: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, &c. Hinc Hieremias: Conſurge, inquit, in nocte, in principio vigiliarum, & effunde ſicut aquam cor tuum ante Dominum. In cuius rei typũ manna, quod ſpiritualem dulcedinem orationis comitem deſignat, media nocte cadere incipiebat: ideoque ſeruis Domini præcipitur: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Huius verò ſtudij gratia D. Franciſcus deuotum Monachum cicadam noctis appellabat. Noctis autem nomine vel nocturnum vel matutinum tempus intelligunt. Hoc enim poſtremum ſanctus Dauid huic operi ſe deſtinaſſe teſtatur cùm ait: Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum: in matutinis meditabor in te, &c. Pſal. 118. Thren. 2. Num. 11. Pſal. 133. Pſal. 62.

Gemitus & lacrymas piorum esse Deo gratissimas, declarant
Cant.2. illa verba Cant. Vox turturis audita est in terra nostra. Turtu-
rem autem gemitum habere pro cantu, notum est. Hinc pro eo
Psal.73. quod nos legimus, Ne tradas bestiis animas cõfitentes tibi; alij
ex Hebræo verterunt, Ne tradas bestiis animam turturis tuæ.
Psal.16. Vnde Propheta orat: Auribus percipe lacrymas meas. Idem
quoque efficit oratio magno affectu effusa. Vnde est illa vox,
Psal. 118. Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Extat huius
rei memorabile exemplum ac miraculum ingens, quod Augu-
stinus refert 22. De ciuitate Dei, cap. 8. Vbi piis hominibus pro
cuiusdam ægroti in magno periculo constituti sanitate magno
affectu & lacrymis orantibus, idem Augustinus cum eis orabat
dicens: Domine, quas preces exaudis, si has nõ exaudis? Horum
ergo precibus salus ægroto reddita est. Vide locum. Extat aliud
apud Palladiũ in fine historiæ Sanctorum, vbi Lectorẽ quen-
dam vi orationis & lacrymarum falsum crimen sibi à violata
virgine obiectum, mirabili ratione memorat diluisse. Quid hic
Annæ matris Samuelis, quid Saræ vxoris Tobiæ orationem re-
feram? Sed horum exemplorum nusquam non magna copia.

Psalm.95. Pro eo quod nos legimus, Sanctimonia & magnificentia in
s. e. Hieron. vertit, Fortitudo & exultatio in sanctuario eius.
Sanctuarium orationis locus est: orationis autem feruidæ co-
mites sunt fortitudo ad labores propter Deum subeundos, &
exultatio in Spiritu sancto: quæ duo munera pondus totum vi-
tæ spiritualis inuicto robore sustentant.

Psalm.35. Vbi lectio nostra habet, In quacunque die inuocauero te, ex-
audi me; alij hanc sententiam preteriti temporis verbo efferunt
hoc modo: In die qua inuocaui te, exaudisti me: multiplicasti in
anima mea fortitudinem. Quibus verbis orationis virtus & po-
tentia ostenditur, quæ vix ad Dominum effusa est, quando
(etiam si non impetret quòd petit) præsenti tamen quadã vir-
tute mentem roborat & confirmat: hoc est enim multiplicare
in anima virtutem siue fortitudinem: Deus enim est cui num-
quam sine spe misericordiæ supplicatur.

Psal. 144. Maximum sanè precantium solatium verba illa esse debent:
Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, o. i. e. i. v. Vo-
luntatẽ timentium se faciet, & deprecationẽ eorum ex. et. s. f. e.
Deut.34. Et illa item: Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos
appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecra-
Ioan. 15. tionibus nostris. Et illa item: Si manseritis in me, & verba mea
in vobis manserint, quodcunque v. p. &. f. v. Quid verò illa?
Lucæ 11. Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, &c.

Diligenter obseruanda sunt nouissima verba, & veluti ex-
tremum vale, quo dulcissimum illud epithalamium, hoc est,
nuptiale

nuptiale carmen finitur. Sponſus namq; valedicens Spōſæ, ait: Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te: fac me audire vocē tuam. Cant. 8. Quàm multa hortorum nomine intelligere licet! Nam triumphantem Eccleſiam & militantē, & ſingulares Eccleſias, & piorum conuentus, ac Monachorū cœtus, & ſacras litteras, & doctrinam ſimul & exempla ſanctorum, hortorum vel horti nomine non incommodè accipimus. Singuli verò iuſti velut huius horti arbores ſunt: quandoquidem de vnoquoque eorum dicitur; Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus, &c. Pſal. 1. In his igitur hortis pia mens deambulare ſolet, ac illorum fructibus paſci & oblectari. Ab hac igitur hortorum habitatrice vocem Sponſus exigit, eam videlicet de qua anteà dixerat: Sonet vox tua in auribus meis. Cant. 2. Eſt autem hæc vox humilis confeſſionis, orationis, laudis, & gratiarum actionis: omnes namque hæ voces Deo gratiſſimæ ſunt. Vt autem attentiùs ac deuotiùs hæc Spōſæ vox reſonet, addit nō modò ſe, ſed amicos etiā, hoc eſt, ſanctos Angelos, ſalutis noſtræ cuſtodes, ſimul cum eo auſcultare: qui libenter aſſiſtunt orantibus, eorumque preces quaſi thus quoddam ſuauiſſimum Deo offerunt. Hanc autem admonitionem extremo loco adiunxit, vt firmiùs memoriæ Sponſæ hæreret: quod iugiter faciendum eſſe in Euangelio docet, cùm ait; Quoniam oportet ſemper orare, & non Lucæ 18. deficere. Ex quibus verbis ſummam Dei erga nos bonitatē & benignitatem agnoſcere licet: qui pro maximo obſequio illud à nobis exigit, vt ab ipſo miſericordiam & clariſſima dona ſine intermiſſione petamus. Hæc igitur diſcedentis Sponſi poſtrema admonitio fuit.

Enos cœpiſſe dicitur inuocare nomē Domini, vbi initio naſcentis mundi omnes variarum artium inuentores numerantur. Gen. 4. Enos tamen velut orationis inuentor inducitur: quaſi ante illud tempus munus hoc parum apud multos vſitatum fuiſſet. Itaque huic ſcriptura tribuit, quòd fuerit orationis inuentor: atque vt Abraham pater credentium, ita hic orātium pater dici meritò debet: cuius inſtitutum innumerabiles poſtea Monachi & Anachoritæ ſectati ſunt: quorum omne opus erat cum mirabili inedia & ſolitudine coniuncta oratio, quæ his duabus alis inſtructa in cælum euolabat.

Sicut exaltantur cæli à terra, ſic (ait Dominus) exaltatæ ſunt Eſaiæ 55. viæ meæ à viis veſtris, &c. Quis vnquam hominum meriti & obſequij loco duxit, quòd mendicus aliquis eleemoſynam & munera ab eo peteret? Satis enim ad liberalitatis laudem eſt, ſi, quod ab homine petitur, gratis donet. Ea tamē bonitas & miſericordia Dei noſtri eſt, vt obſequij loco ducat, quòd ab eo gratiam & miſericordiam petas. Hoc enim inſinuare illa Prophetę

Psal. 115. verba videntur, Quid retribuam Domino, &c. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hinc Theologi orationem non modò impetrandi, sed etiam promerendi vim habere decernunt.

Magna sæpe cõtentione & perseuerãtia in oratione opus est, & more Iacob tota nocte cum Deo luctandum, nec ab hac pia lucta cessandum, donec optatam à Deo benedictionis gratiam consequamur. Denique eiusdem Patriarchæ verba vsurpare li-
Gen. 32. cebit, & suppliciter ac fidenter ad Dominũ dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Itaque non semper ad precationis officium tanquam ad cæleste epulum atque delicias, sed tamquam ad luctam & certamen accedendum est, in quo & cum Deo magnis clamorũ desideriis, & cũ ariditate cordis & variarum curarum & cogitationum agminibus decertandum est.

Gen. 50. Quemadmodum fratres Ioseph, qui sibi malè conscij erant, post mortem patris, veniam à fratre defuncti patris nomine petebant dicẽtes; Oramus vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc: ita nos, quos conscientiæ reatus accusat, veniam à cælesti Patre propter Christi merita petere debemus. Sicut autem illa oratio tantũ apud Ioseph valuit, vt illi etiam lacrymas excuteret: ita hæc oratio quæ Christi meritis innititur, Deo Patri gratissima, & ad impetrandum potentissima est.

Deut. 14. Pisces qui pinnulas & squammas habent, mũdi esse per legẽ decernuntur. Pinnulis quidem subsiliunt in aëra, & quodammodo volant; squammis verò, ceu quadam lorica, corpora sua contegunt. Quicunque ergo inter homines pinnulis orationis sese ad sublimia attollunt, & squammis, velut quadam lorica, ex virtutibus contexta, mentem suã muniunt, verè mundi esse iudicantur. Vtrumque ergo ad perfectam animæ puritatem requiritur, vt mentem videlicet eleuemus in Deum, & virtutibus diligenter studeamus. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.

Exod. 32. Cùm populus vitulũ fabricauit, iratus Dominus ait ad Moysem: Dimitte me, vt irascatur furor meus, &c. Quæ verba maximam viri iusti laudem, maximamq; deuotæ orationis continent commendationẽ. Quid enim aut potẽtius, aut gloriosius, quàm omnipotentem tenere, & quodãmodo ligare, & sæuientem illius iram vi orationis reprimere? Qui enim ait, Dimitte me; teneri se viri iusti virtute & oratione confitetur.

Num. 22. Quid est, quòd Balach Rex Moabitarum cùm exercitum ad pugnam instruere contra filios Israël deberet, hac omissa cura, ad Balaam mittit, vt imprecatoria oratione se ab illis defenderet? Huic quæstioni sic Origenes respondet: Quoniam Moabitarum Rex audierat, populum hunc orationibus vincere, & aduersus



aduersus hostes non gladio, sed ore pugnare; ideò ipse simili armorum genere aduersus eum dimicare volebat. Vt autem scias tale aliquid cogitasse Regem, ex scripturæ verbis intellige, quæ ego à magistro quodam, qui ex Hebreis crediderat, exposita didici. Scriptũ est ergo: Et dixit Moab ad seniores Madian: Nũc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt, sicut ablingit vitulus herbam campi. Cur, ait, tali vsus est exemplo? Ob hoc sine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam ex agris, & lingua tamquam falce, quæcumque inuenerit, secat. Ita ergo & populus hic quasi vitulus lingua & labiis pugnat, & arma habet in verbis ac precibus. Hactenus verba Origenis.

MEDITATIO, SIVE CONSIDERATIO, contraque Dei obliuio.



STVDE, quęso, & quotidie creatoris tui verba meditare: disce cor Dei in verbis Dei, vt ad æterna suspires, vt mens tua ad cęlestia gaudia maioribus desideriis accendatur: tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modò ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Gregor. in Mor. Gregor.

Quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat & gemit. Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio commendat orationem. August. in Medit. August.

Non putrefit cor, si leuetur ad Deum. Frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, leuares illud ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? frumentum leuares ad superiora, cor leua in cęlũ. Et vnde, inquis, possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus affectus est, iter tutum voluntas tuta est; amando ascendis, negligendo descendis; stans in terra in cælo es, si Deum diligis. Idem super Psalm. 85.

Vigilias times, & ieiunium, manuumq. laborẽ; sed hæc leuia sunt meditanti flãmas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinẽ. Si futurã cogitas de verbis otiosis discussionẽ, nõ valde displicebit silentium. Fletus æternus & stridor ille dentium ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet & mattam & culcitram. Bernard. in Epist. Bernard.

Primũ ipsum fontẽ suũ, id est, mentẽ, de qua oritur, consideratio purificat; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, cõponit mores, vitã honestat & ordinat, postremò diuinarum pariter & humanarũ rerũ scientiã cõfert. Idem de Consid.

Redi ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum: considera Hugo.

vnde

vnde venis,quò tendis,quomodo viuis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie proficis,vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incurſaris, quibus affectibus frequentiùs tangeris. Hugo lib. 3. de anima.

Tria ſunt genera meditationum : vnum in creaturis, vnū in ſcripturis, vnum in moribus. Primum ſurgit ex admiratione, ſecundum ex lectione,tertium ex circumſpectione. Admiratio generat quæſtionē,quæſtio inueſtigationē,inueſtigatio inuentionem. Lectio ad cognoſcendā veritatem materiam miniſtrat, meditatio coaptat,oratio ſubleuat,operatio componit, & contemplatio in ipſa exultat. Idem in Meditationibus ſuis.

Cogitatio vaga inceſſu ſemper huc & illuc diuertit: ſed meditatio deſtinata promotione ſemper in vlteriora tendit: contemplatio autē eſt libera mētis perſpicacia,in ſapientię ſpeculo cum admiratione ſuſpēſa. Meditationis eſt perſcrutari occulta, cōtemplationis eſt admirari perſpicua. Idē in lib. de arca myſt.

Simile. Sicut nullum eſt momentum quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordia: ſic nullum debet eſſe momentum quo eum prǽſentem non habeat in memoria. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidiſſe. Idem lib. 1. de clauſt. animæ.

Iſidor. Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim neſcimus, ex lectione diſcimus, meditatione conſeruamus. Iſidorus de ſummo bono.

Climac. Quidam dum lacrymas profundunt, in illo ipſo beato tempore, ne nihil omnino cogitent, ſibi ipſis vim faciunt. Improbè id quidem; non enim intelligunt lacrymas abſque cogitatione & intentione animi profuſas, brutæ, non rationabilis naturæ eſſe proprias. Ioannes Climac. de luctu, cap. 7.

Cùm in lectulo cubas, ſit tibi ipſe iacētis habitus figura in ſepulchro clauſi, minuſq. dormies. Ipſa quoque menſæ delibatio lamentandæ ſortis vermium illorum te admoneat, minuſque delicias requires. Sed ipſo aquæ potu, flammæ illius ſitim ne obliuiſcaris, atq; ita vim naturæ omnino facies. Memoria ęterni ignis tecū ſingulis noctibus dormiat, tecumq; euigilet: neq; vnquā pſalmodiæ tēpore dominabitur tibi negligētia. Ibidē.

Memoria mortis ſemper tecum quieſcat, tecumque ſimul euigilet, ſolaque ſemper ruminanda oratio Ieſu. Nullum enim adiutorium in ſomno his præſtantius aut efficacius inuenies. Idem Grad. 15.

Eſt è ſpiritibus vnus qui præcurſor dicitur; qui nos ex ſomno ſurgentes, protinus excipit, primumque noſtrum cogitatum inquinare nititur. Da Domino primitias diei. Erit enim tota eius qui priùs illam occupauerit. Idem Grad. 27.

Vide-

Videmus planè corporis oculos, cùm in fumo remorantur, lacrymas effundere; si verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluẽtibus, & saniores esse, multoque maiori aciei fulgore rutilare. Talis profectò est & mentis oculus: si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus atque lucidus, & acutiùs cuncta perlustrans: si verò in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur atque flebit. Chrysostomus super Matthæum homil. 2. O per. perf. Simile Chrysost.

Misisti, inquit, iram tuam, & deuorauit eos terra. Hoc ad verbum de Aegyptijs in mari submersis intelligitur. Quod tamen ad terrenos homines Origenes transfert his verbis: Impios quidem hodie deuorat terra. An non tibi videtur terra deuorare illum qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & omnem spem suam posuit in terra? qui ad cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat? Talem cùm videris, dicito quia deuorauit eum terra. Hæc Origenes. Origen.

Est animorũ ingeniorumq; nostrorum naturale quasi quoddam pabulũ, consideratio contemplatioq; naturæ: doctoq; homini & erudito, cogitare est viuere. Cicero lib. 4. Acad. quæst. Cicero.

Vt cùm in Sole ambulamus, etiam si aliam ob causam ambulemus, fit natura tamen vt coloremur: sic cùm doctorum libros studiosiùs legimus, sentimus orationem nostram quasi colorari. Idem libro 2. de Oratore. Simile.

Quod autem lectio, idem etiam ac multo magis præstat assidua eorum quæ legimus consideratio.

Animaduersa eadem de re à Collectore.

Nõ sine magna admiratione cernimus pullos omnes matres suas, quocunque perrexerint, sequi, nec ab earum latere diuelli. Quod videre est in agnis, hædis, & equarum gallinarumque pullis, &c. Si ergo Deus multo magis pater noster est, qui solus animam creauit, corpus verò (matre dormiente) mirabiliter in vtero formauit; quomodo non illi semper adhærescimus? quomodo tam diu ab illo animo & cogitatione separamur?

Præcipuum serui Dei studium esse debet, vt (quatenus fieri possit) nũquam à Dei præsentia oculos auertat. Quod sanctus ille Rex præcipuè intendere curabat, cùm diceret: Quęsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Et, Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Et, Proponebam Dominum in conspectu meo semper. Hac ratione charitatis feruor & deuotio meditationum igniculis coalescit; & homo semper Psal. 26. Psalm. 18. Psalm. 15.

ad omnem diaboli incursum munitus atque paratus est.

Sicut Pharaonis intentio erat, vt filij Israel aut semper in Aegypto manerent, aut certè non procul ab Aegypto recederent: ita contrà voluntas Dei nostri est, vel vt semper in eo per actualem amorem & memoriam maneamus: vel certè nō procul ab hoc studio recedamus: vt facilè, vnde digressi sumus, redire possimus. Sic sacra illa Ezechielis animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis: hoc est, maxima celeritate à studio piæ actionis, ad diuinæ contemplationis exercitium reuertebantur. Ezech. 1.

Simile. Sicut fulua cera ad Solis radios diu exposita candida fit; & quo diutiùs sub Sole manet, eo fit candidior: ita anima nostra radiis iustitiæ Solis exposita (quod quidem fit per eleuationem mentis in Deū) purior indies efficitur. Hinc Ecclesiasticus ait: Qui timent Deum, preparabunt corda sua, & in conspectu eius animas suas sanctificabunt. Eccli. 2.

Beneficiorum ac operum Domini consideratio magnopere homines in officio continet. Hæc enim meditatio efficit, vt neque præterita illi prætereant, neque futura absint, cùm vtraque ante mentis oculos tanquam præsentia ponat. Itaque ad illam pertinet quod in Esdra legimus: Reuoca diem præteritum, metire ventum, & ignem pondera. Quæ omnia meditatio efficit, quæ præterita Dei beneficia in memoriam reducit, quæ vitæ nostræ breuitatem (quæ instar venti est) metitur, & intolerandum gehennæ ignem assidua cogitatione ponderat. Harum verò rerum consideratio mentes nostras magnopere ad virtutem acuit.

Si quis hoc tecum pactum iniret, vt, quàm diu ipse te beneficiis prosequeretur, tu illius memorem animum gereres: an non libenter hanc conditionem acciperes? At Deus perpetuò tibi benefacit, cùm te in esse conseruat, & necessaria vitæ subministrat. In ipso quippe viuimus, mouemur, & sumus. Cur ergo non semper illum in mente habeas? imò verò cur illius perpetuò obliuisceris, sine quo non esses? Quo enim temporis momento à te oculos diuelleret, in nihilum protinus redires. Sicut enim hominis imago, qui faciem suam in speculo conspicit, protinus aboletur, vbi is sese ab eo auertit: ita si rerum conseruator Dominus respicere nos desineret, in nihilū prorsus, vnde facti sumus, rediremus. Quocirca sicut Deus tibi semper adest, ita tu operam dare debes, vt illi semper animo præsens sis. Act. 17. Simile.

Quemadmodum ad naturalem vitam degendam non sola sufficit ratio, sed affectus etiam necessariò dati sunt, quibus salutaria appeteremus, & noxia fugeremus: ita ad spiritualem vitam degendam non sufficit lumen intellectus, quod à fide &

doctrina proficiſcitur, niſi adſit etiam charitas, cæterique ſpirituales affectus, qui vi ſua nos ad ſpiritualia & diuina quodammodo impellant. Hos autem affectus oratio & diuinarum rerum meditatio mouere ſolet: quæ pro rerũ varietate, quas animo voluit, modò amoris, modò timoris, modò ſpiritualis lætitiæ motus in anima excitat.

Orationis & meditationis aſſiduæ vtilitas hoc argumento colligi poteſt: Inter ſpiritus & carnis affectus hoc diſcrimen eſt, quòd carnales affectus valde diuturni ſunt; & nimis frequenter medullis infixi hærent, vt diuitiarum aut honoris cupiditas, turpis amor, inueteratũ odium, quod vix à ſe multi hominum excutere perfectè poſſunt. At ſpirituales affectus in carnalibus præſertim hominibus (qui frequenter ſacris concionibus excitantur) parum durabiles ſunt: vix dum enim finita concione velut fumus euaneſcunt. Quare neceſſe eſt, vt eos quotidiano orationis & meditationis ſtudio inſtauremus, quo diuturniores, & ſtabiliores ſint. Ab his namq; vita ſpiritualis miro modo iuuatur: quandoquidem hoc in nobis affectus ſint, quod in auibus alæ, quodque in cæteris animantibus pedes. Hinc illud Auguſt. Pondus meum, amor meus: quocunque feror, amore feror. In cuius rei typum ſacerdotes quotidie in altari Domini ligna ſubiicere præcipiebantur, quo ignis ille perpetuus eſſet. Quamobrem ad hoc ſtudium concionatores populum frequẽter adhortari debent: ſi quos dicendo affectus excitauerunt, ſtabiles eſſe velint; ne de illis dicatur, Qui congregauit merces, Aggæi 1.
miſit eas in ſacculum pertuſum.

Præcipuum piorum ſtudium eſſe debet, opera Dei, quæ continuè à diuina prouidentia geruntur bonis tuendis & improbis vlciſcendis, meditari. Hoc Propheta præſtabat cùm ait: Et Pſal. 76.
meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Rurſumque: Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et iterum, Iuſtus periit, Eſaiæ 12.
quia non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, &c. Quid verò aliud ſunt Threni Hieremiæ, niſi cõſiderationes & grauiſſimæ ſententiæ, quas is ex illa Hieroſolymitana vaſtatione eliciebat: vbi de diuina ſeueritate, de malitia peccati, de obduratione hominũ, de negligẽtia paſtorũ, de odio Dei aduerſus impium & impietatem eius mirificè philoſophatur? Hoc exemplũ Chriſtianus homo ſequi deberet, ne in magno huius mundi velut theatro (in quo tã multa quotidie opera à diuina prouidẽtia fiunt) tanquam lapis ſuper lapidem ſedeat.

Sicut calor in aqua nõ ab aquæ natura, ſed vel à Sole, vel ab igne eſt (quo fit vt ab igne vel Solis ardore ſeparata, naturę ſuæ protinus reddatur:) ita planè deuotio (vt Diuus Thomas ait) ex

diuinarum rerum meditatione & contemplatione procedit: quibus sublatis, feruor ille deuotionis paulatim tepescit. Quare qui feruorem hunc perpetuum esse cupit, à Deo (qui ignis consumens est) recedere non debet. Si verò recedat, non magis mirum est, si is feruor spiritus immutatur, quàm aquæ calor, vbi ab ignis consortio separatur.

Cùm duplices in anima potentiæ sint, cognitiuæ videlicet & affectiuæ: cognitiuæ quidem sunt veluti animæ fores, affectiuæ autem velut centrum, & interior animæ fundus. Quo fit, vt neque bonarum, neque malarum rerum cognitio hominē aut meliorem aut deteriorem reddat: amor autē & affectio vtrumque habet. Quamobrem danda nobis opera est, vt in meditatione nostra amoris & deuotionis ignis exardescat: quo ipse animæ nostræ fundus cælesti luce atque calore compleatur. Vt enim speculatiua & nuda malarum rerum cognitio non perinde nocet; ita neque bonarum multùm iuuat, quamuis sua etiam vtilitate non careat.

Aristoteles in Meteoris mundum hunc inferiorem superiori coniunctum esse oportere testatur, quo videlicet cælestes influxus, astrorumque virtutes huic inferiori communicari possint. Ad hunc ergo modum danda nobis opera est, vt spiritus noster Spiritui diuino per continuum amorem & contemplationem coniungatur, vt hoc modo spirituales influxus diuinæque lucis radij ad eum pertingere possint, quibus mens nostra fecundata, fructus proferat æternæ vitæ. Præterea, sicut corpus animæ, rami arboris trunco, & solares radij Soli vniti esse debent, vt ab illis virtutem trahant: ita vir pius conari toto studio debet, vt non modò per habitualem charitatem, sed etiam per actualem eleuationem mentis in Deum illi vniatur, vt eius lucem & splendorem continuò diuinæ mentis influxu participet. Psalm 33. Ad hoc autem nos Propheta vocat, cùm ait, Accedite ad eum, & illuminamini, &c.

Res omnes tunc optimè in suo esse conseruantur, cùm iis causis vniuntur, à quibus existendi initium acceperunt. Hinc piscis gaudet in aqua, planta immobilis manet in terra, pulli siue auium, siue ferarum, lateribus semper matrum hærent, ipsasque, quocunque ierint, sequuntur. Si igitur mens hominis à Deo est, illi vniatur, illi hæreat, & in illo semper manere satagat, vt ab eo perficiatur in esse, à quo existendi initium accepit. Hoc sancti Anachoritæ potissimùm præstiterunt, qui, turbis vrbium derelictis, squallentis eremi incultas solitudines petierunt vt nulla re terrena impediri possent, quo minùs dies noctesque vnum Deum aspicerent, & in vno eo intentos semper oculos mentis haberent.

Nisi

Nisi quòd lex tua meditatio mea est, &c. Iuuat ergo diuinæ legis meditatio ad laborum patientiam. Qua de re vide Ambrosium super, Beati immaculati. Psal. 118.

Officium viri iusti esse describitur, meditari in lege Domini Psalm. 1. die ac nocte. Ad hoc nos studium vehementer Salomon in Prouerbiis hortatur his memorabilibus verbis: Conserua, fili Prou. 6. mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga eā in corde tuo iugiter, & circūda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum; cùm dormieris, custodiant te; & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ. Similem sententiam atque commēdationem non minùs certè notandam Deuteron. 6. & 11. leges, Eruntque verba mea hæc, &c.

Hac de causa existimo piam & religiosam mentem toties in Canticis Sponsam appellari: quia quemadmodum sponsa, dum adhuc recentis coniugij amore feruet, nihil agit, nihil cogitat, nihil nisi sponsum suum loquitur, & vix ab eo mentis oculos diuellit: ita planè spiritualis Christi sponsa erga illū affecta esse debet, vt videlicet rerū omnium atque sui ipsius quodammodo oblita, in illum per continuam cogitationem & amorem transcat. Simile. Itaque sicut poma diu multúmque saccharo aut melle decocta, vix proprij saporis aliquid retinent, sed solius sacchari dulcorē referunt: sic nimirū talis anima diuinarum rerum studio & cōtemplationi addicta esse deberet, vt vix in ea (quātum humanæ fragilitati concedi potest) veteris hominis pristiníque saporis quidquam resideret, sed solius Christi imaginem ita referret, vt iam cum Apostolo dicere possit, Viuo ego, iā non ego: Galat. 2. viuit verò in me Christus. Hoc est autem verum holocaustum fieri, & beatorum in hoc mortali corpore vitam imitari, qui iam in Deum quodāmodo trāsierunt, in quibus quod mortale erat, à vita absorptū est. Hoc autem modo videtur mihi ille vixisse de quo scriptum est: Cum Deo ambulauit, & fecit omnia quæ Genes. 6. præcepit ei Deus; & non apparuit, quia tulit illum Deus.

Improborum hominū est, diuina omnia obliuisci. Hi enim habitare dicuntur in terra obliuionis. Hinc illud Salomonis: Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Domi- Prou. 28. num, animaduertunt omnia. Ex hac autem obliuione tot vitiorum monstra oriuntur. Vnde est illud: Non est Deus in conspe- Psalm. 6. ctu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Quòd meditatio diuinæ legis non solùm pariat sapientiam, sed etiam promereatur, declarant illa Ecclesiastici verba: Cogi- Eccli. 6. tatum tuū habe in præceptis Altissimi, & in mandatis eius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Dare autem cor, est, diuinæ legis ac diui-

norum operum intelligentiam præbere, qua improbi carent, Psalm. 81. Oseæ 7.
iuxta illud: Nescierunt, nec intellexerunt: in tenebris ambulāt. Item, Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor: quæ videlicet apposita esca seducitur, nec positū ante oculos laqueum animaduertit.

Meditationis & sapientiæ studium describit Eccles. cap. 14. Eccli. 14. vbi ait: Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei: Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconsis suis intelligens: Vadens post illam, quasi inuestigator, & cætera quæ sequuntur. In quibus hoc inuestigatoris nomen suam emphasim habet: Designat enim studium animi cupidè & solicitè pretiosum aliquid inquirentis, nec vllo modo, nisi re inuenta, quiescētis: Hoc enim studio charitas & sapientia quærenda est.

Studium scripturarum ac diuinæ legis meditationem commendat Eccles. 39. his verbis: Sapientiam omnium antiquorū exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Occulta parabolarum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. Mirè autem verbo conuersandi, studium, animum, cogitationes, & mores spiritualis viri descripsit; quando is videlicet nihil aliud versat ac voluit, quàm diuinæ legis meditationem: cuius omnis conuersatio cum Apostolis & Prophetis est, & omnis enarratio in preceptis Altissimi. Ad quod etiam pertinet quod mox sequitur: Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum: & in cōspectū Altissimi deprecabitur. Huius autem studij fructum declarat protinus cùm ait: Si enim Dominus Eccli. 14. magnus voluerit, Spiritu sapientiæ adimplebit illum: & ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ, &c.

Considerationis defectum multorum malorum causam esse declarant illa Prophetę verba: Quoniam nō intellexerunt opera Psalm. 27. Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos. Hier. 12. Cui simile est & illud Hieremiæ: Desolatione desolata est omnis terra, eo quòd nullus sit qui recogitet corde. Item illud, Hier. 5. Audi popule stulte, qui non habes cor: quod videlicet opera Domini contempletur. Sed qua de causa amisit cor? Nimirum quia, Oseæ 4. Isaiæ 5. vt in Osea scriptum est, Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Vnde est & illud: Cithara, & lyra, & vinū in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

Meditationis tempus, materia, & scopus describitur Psal. 66. Psalm. 66. Ait enim Propheta: Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Quæ Hieronymus sic vertit: Recogitabam dies antiquos, annos seculorum: recor-

recordabar Psalmorum meorum in nocte: cum corde meo loquebar,& scopebam spiritum meum. Huc enim omnis oratio & meditatio nostra tendere debet,vt cordis puritatem & innocentiam consequamur.

De mysticis illis animalibus Ezechiel ait, quòd facies eorum & pennæ desuper extentæ essent. Facies,quæ præcipua corporis nostri pars,magisque conspicua est,operis nostri intentionem; pennæ verò mentis eleuationem designant. Hoc ergo in sanctis viris præcipuum esse debet, quòd omnis eorum intentio, omnis cogitatio ab infimis rebus abducta, ad cælestia feratur: ita vt in operibus suis nihil aliud quàm placere Deo intendant; in cogitationibus verò nihil aliud iuuet eos cogitare nisi Deum. Ezech. 1.

Ex alis quas mystica illa Ezechielis animalia habebant,duabus volabant,& duabus corpora sua tegebant. Quid hoc nobis innuit? Sunt qui cogitationum suarũ pennis ita ad sublimia eleuentur,vt mortalis vitæ virtutes(quibus in conuictu hominum vtendum est)penè obliuiscantur. Sciant ergo tales ita cogitationũ sanctarũ studium partiri debere, vt aliæ ad cælestia contemplanda,aliæ ad mores castè integreq; formandos referãtur: quo videlicet ita cælestibus rebus,quibus Deo vacant,intendãt, vt curam sui, & vitæ moderationem non abijciant, sed simili studio & ardore amplectantur.

Diuinorum operum considerationem commendat Moyses Deuter. 4. his verbis: Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos. Et infrà: Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis. Quo verbo sanctus vir perceptorum in eo itinere beneficiorum memoriam & assiduam meditationem commendat.

Affectus & propensiones animæ,à Philosophis rerum gerẽdarũ stimuli,ac veluti calcaria esse perhibentur. Vnde non animalia modò quæ ratione carent,sed plerique etiam hominum, affectuum impetum sequuntur. Sunt autem duplices affectus, alij qui ex corrupta natura vel cupiditate, alij qui à charitate & gratia oriuntur. Cæterùm in statu naturæ integræ illi deerant, isti aderant: modò verò in natura lapsa isti desunt, illi insunt. Vt amissos igitur eos (sine quibus spiritualis vita constare non potest) reuocemus, necessaria est primùm gratia quæ naturam sanet: deinde pia consideratio,quæ, rerum diuinarum dignitate ante mentis oculos posita, torpentes excitet affectus, & ad diuina erigat.

Vita actiua, & contemplatiua.

Gregor.  ARTHAE cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur: quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt; contemplatiuæ autem gaudia meliùs ex fine conualescunt. Gregorius in Mor.

Cùm contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, priùs se in campo per exercitium operis probent: vt solicitè sciant, si nulla iam mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus nequaquã mens lætitia soluitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur; ac deinde perpendant, si cùm ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quòd spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium vmbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt. Gregorius 6. Moralium.

Contemplatio nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit: quia à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit. Gregorius Moralium lib. 6. cap. 24.

Non est perfectus prædicator, qui vel propter contemplationis studia operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Ideo Dominus die operatur miracula, nocte pernoctat in oratione: docens prædicatores, vt quieti contemplantes sorbeant, quod erga proximos occupati refundant. Gregorius vbi suprà, cap. 25.

Quidam in ipsa vacatione laboris grauiùs laborant: quia tãto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentiùs ad cogitationes vacat. Gregorius vbi suprà.

Gregorius super illud Ezechielis 1. Similitudo manus hominis subtus pennas eorum erat; sic ait: Quid per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes sese cælestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cùm in proximi amore se dilatant, bona, quæ præualẽt, etiam corporaliter administrant: sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt.

Super illud Iob, Elegit suspendium, &c. Suspendium animæ elegit, & mortem ossium; quia dum mentis intentio ad alta te subleuat, omnem in se fortitudinem vitę exterioris necat. Gregorius vbi suprà lib. 8. cap. 18.

Contemplationem non perdit, qui eam, dum perdit, inquirit.

rit. Gergorius libro decimo Moralium, capite 19.

Quidam sancti temporalia interdum gubernant, sed vacant intrinsecus, cùm exteriùs occupantur, & per amorem Deum intus solùm desiderāt; per timorem autē humiliter explent suum munus: cedunt Deo quem diligunt, hinc diligūt, hinc seruiunt: extrà perstrepūt occupationes, intus in amore pacatissima quies tenetur. Sicut enim vigor mentis frenat motus carnis; sic tumultus occupationis bene regit amor quietis. Possunt enim quieto animo exteriora ministrari, si peruerso non appetūtur: ideo sancti interdum tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Gregorius 18. Moralium, cap. 29.

Sancti, etiam si terrenis deseruire cogantur, studiosè ad cordis secreta refugiunt: & legem quasi in monte percipiunt, dum in contemplationis vertice diuinam voluntatem perscrutātur. Vnde est illud, In monte saluum te fac, &c. Quare Moses ingressus tabernaculum, Dominum consulebat. Ibi Dominus cōsulitur, & quod agendum est publicè, intus silenter auditur. Gregorius 2. Moralium, cap. 23.

Priùs purgemus lugendo quod fecimus, & postea contemplemur gaudendo quod quæramus. Purgata enim mens superno lumine illustratur, per quod in gaudio securitatis absorbetur. Ibi mens superno rore aspergitur, contemplaturque se non sufficere ad id ad quod rapta est; & veritatem sentiendo videt, quod non videt quantum sit: tanto enim ei magis appropinquat, quanto existimat se longiùs esse: quam nisi conspiceret, nequaquam eam se conspicere non posse sentiret. Gregorius libro 24. Moralium, cap. 6.

Ad Dei visionem tēdimus, si eum in his, quæ fecit, miramur: atq. ideo per exteriora ad interiora perducimur. Gregorius 26. Moralium. cap. 8. Ibi multa de hac re.

In ipsis iisdem Deum inuenit anima, per quæ eum reliquit: per ea reuocatur, per quæ cecidit. Ibi enim surgimus, vbi cecideramus. Gregorius vbi suprà. Ibidem etiam multa de hac re.

Volitanti ad te animæ multa sunt quæ obstrepunt: iussu tuo Domine, conticescant mihi omnia. Ipsa sibi anima mea sileat, omnia pertranseat, omnia, quæ creata sunt, transcendat à se, & perueniat ad te, atque in te solo creatore omnium oculos fidei figat: tibi inhiet, tibi intendat: te meditetur, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde reuoluat verum & summum bonum, & gaudium sine fine mansurum. Multæ denique sunt contemplationes, quibus anima deuota tibi mirabiliter pascitur; sed in nulla earum ita delectatur & requiescit anima mea, sicut in te, & quando te solum cogitat, & contemplatur. Augustinus in Meditationibus. Augusti.

Spiritualis homo omnia iudicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo est autem, quando purissimè intelligit, & tota charitate, quod intelligit, diligit. Idem de verb. relig.

Ex tribus illis vitæ generibus, scilicet otioso, actuoso, & ex vtroq. composito, quamuis salua fide quisque possit in quolibet eorum vitã ducere, & ad sempiterna præmia peruenire; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Neque sic esse debet vnusquisque otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; neque sic actuosus, vt cõtemplationem non requirat Dei. Idem de ciuitate Dei.

Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ ac intuendæ vacandum est veritati. Idem ibidem.

Ambros. Anima nostra sicut aquila alta petat, super nubes volet, renouatis splẽdescat exuuiis, cælo volatus suos inferat, vbi in laqueos incidere non possit. Ambrosius.

Bernard. Contemplationis species quatuor sunt. Prima & maxima contemplatio est, admiratio diuinæ maiestatis: hæc requirit cor purgatum, vt à vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad superna leuetur: interdum quoque per aliquas morulas stupore & ecstasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic; est enim intuens iudicia Dei: quo sanè pauido aspectu dum vehementiùs concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat sapientiam, humilitatem seruat. Virtutum siquidem bonum quoddam & stabile fundamentum est humilitas: nempe si nutat illa, virtutum non nisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur vel potiùs otiatur circa memoriam beneficiorum; & ne dimittat ingratum, sollicitat amantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit

Psal. 144. Propheta: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. Quarta, quæ retrò sunt obliuiscens, in sola requiescit expectatione promissorum: quæ cùm sit meditatio æternitatis (siquidem quæ promittuntur, æterna sunt) longanimitati animi & perseuerantiæ dat vigorem. Puto iam facile est quatuor nostra hæc illis quatuor Apostoli assignare: dum longitudinem comprehendit meditatio promissorum; latitudinem, recordatio beneficiorum; sublimitatem, contemplatio maiestatis; profundum, inspectio iudiciorum. Bernardus de Consideratione.

Si quem fortè nostrûm aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, vt minimè auocet aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certè (ea quæ difficiliùs amouentur) irruentia imaginationum corporearum

pha-

phantasmata; poterit quidem hic (cùm ad nos redierit) gloriari & dicere: Introduxit me Rex in cubiculum suum. Idem super Cant. Cant. 6.

Aliter sanè afficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo: illic solicitat necessitas proximi, hîc inuitat suauitas verbi: & quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsa lætior: chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Idem super Cant.

Bonum acquirit gradum qui bene ministrauerit proximo; fortè meliorem, qui bene vacauerit Deo; optimum autem, qui perfectus est in vtroque. Idem in Serm.

Optimam partem elegit sibi Maria; licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conuersatio Marthæ: sed de electione Maria laudatur; quoniam illa quidem omnino quantum ad nos spectat, nobis eligenda; hæc verò si iniungitur, patienter est toleranda. Idem ibidem.

Absit vt qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Ibidem.

Noli nimis insistere oculis contemplationis: quia meliora sunt verba prædicationis. Nam etsi Rachel formosior, Lia tamen fecundior est. Idem super Cant. Serm. 9.

Bono opere peracto, securiùs & faciliùs in contemplatione dormitur. Idem.

Actiua vita mundanis bene vtitur; contemplatiua mundo renuncians, soli Deo viuere delectatur. Isidorus de Sum. bono. Isidor.

Super Psal. Fac cum seruo tuo, &c. Iustum est vt iugiter rogetur; qui, si non petatur, offenditur. Cassiodorus. Cassiod.

Qui diligenter inspicere velit quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quàm memoranda posteris virtutis suæ monumenta reliquerint, quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alij calcabant honores, alij proiecerunt diuitias, alij acceptis iniuriis gaudebant, alij pœnas spreuerunt, alij contubernia hominum deserentes, vltimos recessus & secreta eremi penetrantes, se soli philosophiæ dedicabant; vt quantum mente & intelligentia à cæteris differrent, ipsa locorum distantia demonstraret: ne vna teneret habitatio, quos non eadem sociabat intentio. Cuidam Philosopho referebat quidam dicens: Nunquid non vides quomodo te deridenr homines? Et ille, Ipsi me, inquit, derident, & eos asini. Cogita, si potes, quanti æstimauerit laudari ab ijs, à quibus nec vituperari timuit. Quid ergo nos propter diuinorum contemplationem facere par est? Hugo de sancto Victore. lib. 3. Didasc. Hugo.

Abs teipso atque ab omnibus purè abscedendo, ad diuinæ Dionys.

caliginis

caliginis radium, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus euolabis. Dionysius de Myst. cap. 1.

Moyses Exodi 19. primùm vt mundetur, admonetur: deinde vt separetur ab immundis: deinde clangores audit: inde segregatur à turbis; & ita contendit ad summitatem montis, vbi non Deum videt, sed locum in quo steterit. Idem ibidem.

Creata omnia linquens contemplatur, ingreditur ignorationis mysticam caliginem: eo quòd nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens. Idem ibidem.

Ad hanc lucidam caliginem admitti oramus, vbi non videre & non scire, est veraciter videre & scire, & eum, qui est super omnia, ex omnium ablatione celebrare: sicut imago pulchra, in ligno aut lapide formata, per ablationem fit. Idem ibidem, c. 2.

Simile.

Quanto ad altiora contendimus, tanto ipso contuitu intelligibilium verba contrahi necesse est: sicut contrà descendente, pro quantitate descensus ad congruam latitudinem oratio extenditur; post ascensum autem oratio obmutescit. Idem vbi suprà, capite 3.

Nazianz.

Gregorius Nazianzenus, contemplatiuæ vitę amore ductus, se Episcopi munus refugisse in Apologetico suo 1. docet his verbis: Cùm trãquillæ vitæ, atq; ab hominũ frequentia semotæ, amore flagrarem, non tuli me imperiosè cogi, atque in medios tumultus contrudi, ab hacque vita perinde atque ab asylo quodam per vim auelli. Nihil enim mihi fortunatius eo homine esse videbatur, qui clausis compressisq. corporis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, in seque collectus (nec nisi summa necessitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum in se & cum Deo colloquens) superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit, diuinasque species & imagines puras semper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas, in seipso circumfert, ac Dei rerumque diuinarum purum omnino speculum est, indiesq; efficitur; lucique lucem, obscuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri ęui bono fruitur, & cum Angelis versatur, &, licet adhuc in terris agens, terram deserit, atque à Spiritu in cælo collocatur. Si quis vestrũm hoc amore correptus tenetur, quid dicam intelligit, atque affectui ei, in quem tum incidi, facilè ignoscet.

Cicero.

Omnia aliorum causa sunt generata; vt fructus atque fruges, quas terra gignit, animantium causa, animantes autem hominum; vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi & custodiendi canem: ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum & imitandum. Cicero 1. de Natura deorum.

Vt ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, Intelligendum & agendum, natus est, tanquam

tanquam mortalis Deus. Idem secundo de Finibus.

Cùm animus, cognitis perceptisque virtutibus, à corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemq; sicut labem aliquam decoris oppresserit, omnemque mortis dolorisq; timorem effugerit; quid eo dici aut cogitari poterit beatius? Idemque cùm cælum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque vnde generata, quò recurrant, quando, quomodo obitura, quid in his mortale & caducum, quid diuinum & æternum sit, viderit; ipsumque ea moderantem & regentem penè prehenderit; seseque non vnis circundatum mœnibus, popularem alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi vnius orbis agnouerit: in hac illa magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, Dij immortales, quàm se ipse noscet (quod Apollo pręcepit Pythius) quàm cōtemnet, quàm despiciet, quàm pro nihilo putabit ea quæ vulgo dicuntur amplissima? Idem 1. de Legibus.

Vide etiam multa, & ea quidem præclara, apud Senecam in Collectaneis nostris, in verbo, Contemplatio naturæ.

Præter ea quæ ex sanctorum Patrum dictis hactenus recensuimus, hæc etiam addere mihi visum fuit.

Qui diuinarum rerum contemplationi addicti & quasi cōsecrati sunt, externis occupationibus (nisi cum charitatis aut obedientiæ necessitas vrget) velut sale vti debēt, cuius modica portio cibos condit, magna verò insipidos reddit. Immodicis enim occupationibus obruitur animus, & à statu suo depellitur. Vnde Dominus: Martha, Martha, solicita es, &c.

Sunt in artibus summa quędam ac difficilia, quæ nisi maxima cura & attentione perfici non possunt. At in vsu virtutum magnum quiddam & arduum est, mentem ab omnibus terrenis curis abductam in Deum attollere, quem solum intellectus nostri apex attingit: quò cùm peruenerit, mutato nomine, non tam intellectus, quàm intelligentia nuncupatur. Ad hunc autem altissimum ascensum cùm alia multa, tū præcipuè duplex ieiuniū, corporis videlicet & animę, exigitur. Corporis quidem, vt omnes animæ vires in Deum ferātur, ne aliæ in palatio, aliæ in culina versentur. Animæ verò ieiuniū est, vt nō modò à terrenis affectibus, sed à corporearum rerū imaginibus ieiuna, purum Deum pura mente contempletur. Ad quod præstandum necesse est, vt orationis tempore homo magna cura & studio terrena omnia transcendat, vt vacua mente ad diuinarum

rerum

rerum contemplationē assurgat. Minora astra ab aspectu Solis & splendorem & virtutem accipiunt: sic homo, dū Deum aspicit, lucem ab eo & gratiam recipit. Tunc verò Deum aspicere dicitur, cùm intellectum & voluntatem ipsam eleuat, & quasi ante illum expandit. Hæ namque duæ animæ nostræ vires ad Deum vsque pertingunt, & ab eo illustrantur.

Intra sanctuarium Domini erat quidem in medio candelabrum, à sinistris verò mensa cum panibus, à dextris autem altare aureum, in quo thus adolebatur. Et quidem per candelabrum rectè fidei lucernam intelligimus: cui duplicia adiacent opera; altera quæ ad actiuam, altera quæ ad contemplatiuam vitam pertinent: quæ non incommodè per hanc mensam & altare aureum designantur. Mensa enim propositionis panum eos rectè figurat, qui frangunt esurienti panem suum, & actiuæ vitæ operibus vacant: altare autem aureum eos designat, qui orationi & rerum cælestium contemplationi se totos addixerunt. Sicut enim altare hoc nulli vsui, nisi ad solum thuris suffitum deseruiebat: ita sunt sanctorum multi, qui ab omni rerum humanarum commercio separati, soli rerum diuinarum contemplationi perpetuò vacant: quales sancti Anachoritæ olim fuerunt, qui in solitudine degentes, cælestem in terris vitam agebant. Quisquis ergo se ita à mundo separauit, & cælestibus rebus addixit, altare aureum est, quod est ante oculos Domini.

De studio sapientiæ atque diuinæ contemplationis arbitror
Prou. 5. accipienda illa Salomonis verba: Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima & gratissimus hinnulus (videlicet Spiritus sancti gaudium quod à sapientia proficiscitur) vbera eius inebrient te omni tempore, & in amicitia eius delectare iugiter. Vbera verò hæc fructus illi sunt, ad quos eadem nos sa-
Eccli. 24. pientia inuitat, cùm ait: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Mulierem autem adolescentiæ appellari hoc in loco sapientiam, satis indicat idem Salomon Prouerb. 7. cùm ait: Dic sapientię, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. Et Sapient. 8. dicitur: Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius. Et mox: Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam communicabit mecum de bonis suis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei, hoc est, me in huius ærumnosæ vitæ miseriis consolabitur, & omne ab animo meo fastidium atque tædium discutiet.

Hoc maximè cuique piorum propositū esse debet, vt, quantum per huius vitæ occupationes licuerit, se totum diuinis laudi-

laudibus, cælestiumque rerum cõtemplationi addicat, illamque Dauidis vocem toto corde vsurpet: Vnam petij à Domino, hãc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini, vel (vt Hieron. ex Heb. vertit) vt videam pulchritudinem Domini, & attendam ad templum eius. Veræ autem contemplationis munus est, diuinæ pulchritudinis specie animum pascere & oblectare. Idem quoque præ se fert illa vox, Benedicam Dominũ in omni tempore, &c. Et, Repleatur os meum laude. Et, Proponebam Dominum in conspectu meo semper. Et, Quomodo dilexi, &c. tota die meditatio mea est. Ideoque viri iusti officium esse describitur, meditari in lege Domini die ac nocte.

Psalm. 26. Psalm. 33. Psalm. 70. Psalm. 15. Psal. 118. Psalm. 1.

Qua animi submissione & pudore se fidelis anima erga Spõsum Christum gerere debeat, quando dulciter cum illo agit, & ad eius vocatur amplexus, insinuat Sponsus ipse Cant. 4. cùm ait: Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, &c. Genarum namq. lenis rubor, pudoris & submissionis indicium est: quo nomine Sponsa commẽdatur, quòd hoc pudore suffusa sese illi submittat. Meritò autem humilis, verecunda, & (vt ita dicam) rubore perfusa, coram Sponso assistit Ecclesia, quando admirabilem Sponsi dignationem, beneficiaque innumera & maxima erga se contemplatur, cùm tamen ipsa non habeat vnde illi vicẽ reddere, aut gratias persoluere dignas valeat.

Rachel decora nitet facie, Lia verò lippis est oculis: vt intelligamus, animæ puritatem, contemplatiuam vitam sectantibus propriam & familiarem esse. Quo nomine à vero Iacob, videlicet animarum Sponso Christo, magnopere diligũtur. Lia verò, id est, actiuorum vita, lippitudine laborat oculorũ, quam ex hominum consuetudine terrenarumq; rerum commercio contrahit. Sicut enim (Aristotele auctore) altissimarum rerũ contemplatio intellectus aciem nobilitat & acuit; ita inferiorum rerũ consideratio deiicit ac hebetat. Vnde Mathematici Lunæ maculam, quæ in ea conspicitur, ex terrarũ confinio illi contingere testantur. Quo minùs mirandum est, si actiuorum facies, oculorum lippitudine aliquo modo suffundantur, quæ proximorum charitate ducta, terrenis sæpè negotiis implicatur, & cum seculi hominibus agit.

Multa vi precum, multisque rationibus vix filij Israël patri persuadere potuerunt, vt à se amantissimum filium Beniamin dimitteret, vt cum illis in Aegyptum empturus frumenta pergeret. Quid enim non fecit pius senex, quò à dilectissimi filij complexu non diuelleretur? At Beniamin diuinæ contemplationis quietem & delicias repræsentat, vtpote de quo scriptum sit: Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in Deut. 33.

eo;

eò quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. His enim verbis, diuinę contemplationis munus declaratur. Cùm ergo pater adeò ægrè hunc à se filium dimittit, hoc planè docet, vt, quisquis diuinarum rerum contemplationi addictus est, quiduis potiùs patiatur, quàm à diuinæ contemplationis studio (nisi vrgente proximi necessitate, vel maiorum obedientia) diuelli. Quod quidem (vt alios omittam) B. Franciscus exemplo suo docuit, qui ab hoc officio ad animarum lucra captanda, nisi deuota oratione præuia, & magno habito consilio, accedere noluit, ne ab huius Beniamin complexu separaretur. Palladius verò memorat, quędam ex sanctis Anachoritis, cùm ad Episcopi munus obeundum à populo peteretur, alteram aurem sibi abscidisse, ne sic mutilus ordinaretur. Cumque adhuc populus ex ordinatoris iussu fugientem sequeretur, conuersus ad illum iurauit, se (si adhuc instarēt) linguam etiam abscissurum. Hoc autem vir sanctus diuini Spiritus impulsu (quod aliàs non licebat) fecisse credendus est. Id autem fecit, nō ob hoc solum quòd Episcopi munus formidaret, sed ne dilectæ solitudinis contemplatione & quiete careret.

Quibus virtutum gradibus ad contemplationis arcem, & diuinas illuminationes perueniatur, initio statim mundi in quatuor dierum operibus (vt Hugo de S. Victore ait) quodāmodo adumbratum fuit. Primo namque die fit lux: qua homo à Deo illuminatus, viam veritatis agnoscit. Secundo fit firmamētum: per quod firmissimum non peccandi propositum intelligimus; quod quidem magna Christianæ vitæ portio est. Tertio, congregantur aquæ in locum vnum: cùm fluxi & vagi motus animæ nostræ, rationis atque timoris Domini imperio coërcētur.
Rom. 8. Ait enim Apostolus: Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hic autem tertius dies officium continet mortificationis. Post quem deinceps quarto die creatur Sol: quo mens diuinis illuminationibus irradiata, inuisibilia contemplatur. Ad hunc autem diem sine aliorum antecessione velle peruenire, perinde est atque id quod aiunt, per saltum ad sacros ordines promoueri. Accedite
Psalm. 33. (inquit Propheta) ad eum, & illuminamini. Sic Moyses in montem ascendens, & cum Deo versans, ab eo didicit, quemadmodum illi tabernaculum fabricare deberet. Ad hunc ergo modum mens, quæ terrena despiciens ad Deum eleuatur, ab eo discit qua ratione seipsam dignum Deo tabernaculum præparet.

PRAE-



PRÆPARATIO ANIMI AD ORATIONEM, ET RERUM CAELESTIUM CONTEMPLATIONEM.



NTENTIONI animæ si exterior euagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quò extra se spargi propter disciplinam mens nõ potest, eò supra se intendere per profectum potest: quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. Gregorius in Moral. Gregor. Simile.

Mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quàm est: &, nisi in statu suo arcta custodię disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Gregorius vbi suprà.

Gregor. super illud Iob, Per somniũ in visione, &c. sic ait: Dei secreta nõ cognoscimus, si vigilemus in desideriis terrenis. Vnde Moyses in interiori deserto Deũ videt, & in montẽ ducitur, vt cum Deo loquatur. 23. Mor. c. 29. Lege hoc aureum cap. Iob 33.

Ad ipsum Deum cogitandũ, sicut dignũ est ab homine cogitari Deum, quãta impediunt, veluti interpellãtia, de necessitate corruptionis humanæ! quãta reuocant! quanta à sublimi intẽtione detorquent! quanta interpellant! Quæ turba phantasmatum! qui populi suggestionũ! Totũ hoc in corde humano, tanquã de vermibus huius corruptionis scatet. Aug. sup. Psal. 102. August.

Attende & vide quanta aguntur in corde humano, & quemadmodũ ipsæ plerumq; orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suũ. Vult se tenere vt stet, & quodãmodo fugit à se, nec inuenit cãcellos, quibus se includat, aut obices quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet iocundari à Deo suo. Vix est vt occurrat stabilis oratio inter multas orationes. Diceret vnusquisq. sibi cõtingere, & alteri nõ contingere, nisi inueniremus in scripturis Dei, Dauid orantẽ quodã in loco, & dicentẽ: Quoniã inueni Domine cor meũ, vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suũ, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & nõ posse cõprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniã cor meũ dereliquit me. Itaq. fratres mei, attendentes quod hîc ait: Suauis es tu & mitis; videor mihi videre ad hoc dixisse mitẽ Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem, vt perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè, & exaudit: nec meminit tantas quas inconditè fundimus, & accipit vnam quam vix inuenimus. August. super Psal. 85. 2. Reg. 7.

Si enim Angeli te adorantes & laudantes tremunt, mira exultatione repleti: ego peccator, dum tibi assisto, laudes dico, sacri-

sacrificium offero, cur nō corde paueo? vultu palleo? labris tremo? toto corpore inhorresco? subque obortis lacrymis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo, quia nequeo quod desidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno. Sed quis hoc sine ope gratiæ tuæ? Vniuersa enim salus nostra, magna misericordia tua. Miserum me, quomodo sic insensata facta est anima mea, vt nō terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me, quomodo sic induruit cor meū, vt oculi mei non indesinenter producant flumina lacrymarum, dum seruus sermocinatur coram Domino suo, homo cum Deo, creatura cum Creatore; qui factus est ex limo, cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Augustinus in Meditationibus.

Bernard. Iuge silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies, cogit cælestia meditari. Bernardus in Epist.

Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montē vbi Dominus videt vel videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, pœnæ, seruitutes, expectate me hîc cum asino, corpore isto; donec ego cum puero, ratione scilicet & intelligētia, vsque illuc properantes, reuertamur ad vos: reuertemur enim, & heu reuertemur quàm citò. Idem de Amore Dei.

Viscus contemplationis est amor possessionum, affectus cognationis, cupiditas honoris, & voluptas carnis: quibus anima inuiscatur & irretitur, vt non pennis contemplationis per plateas supernæ Sion discurrere possit. Idem in Meditationibus.

Eadem de re animaduersa à Collectore.

Isaiæ 58. Et vocaberis, inquit, sabbatum delicatum. Hęc dies sabbati ad vacandum Deo, ac diuina meditanda instituta est. Dictu autem mirum est, quàm arduum ac difficile piis etiam hominibus sit, mentem à terrenis ad cælestia perfectè eleuare. Non enim à peccatis solùm vel leuissimis (quæ feruorem charitatis tepefaciunt) sed à multis etiam aliis, quæ, quamuis peccata non sint, mentem tamen distrahūt, & ab interna illa vacatione vel auocant vel impediunt, abstinendum est. Ideo non mirum, si sabbatum delicatum Dominus à nobis exigat: quòd videlicet delicatè, hoc est, non segniter aut oscitanter, sed magna cura & attentione, quod in eo præcipitur, agendum sit.

Quanta puritate & studio niti deceat eum qui se totum diuinæ pulchritudinis contemplationi addixit, hoc argumento vtcumque intelligi potest. Constat res omnes, quæ in mundo sunt, in duas veluti sphæras diuidi: alteram rerum spiritualium, alteram corporalium. Et in corporalibus quidem materia prima est

ma eſt infimum, homo verò ſupremum; in ſpiritualibus autem homo eſt infimum, & altiſſima intelligentia, quæ infra Deum eſt, ſupremum. Homo enim velut in vmbra infimæ intelligentiæ conditus eſſe dicitur. Ceterùm quo ſuprema illa intelligẽtia ſublimior, & Deo propior eſt, eo clariùs diuinam ſpeciem contemplatur: quo verò diſtantior, eo & obſcuriùs. Quo fit, vt anima rationalis, quæ in hoc ordine infima eſt, corporis & peccati pondere depreſſa, diuina etiam gratia ſuffulta, difficulter ſe ad hanc tantam lucem attollere poſſit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: quemadmodum aggrauaretur aquila, Simile.
ſi maſſam plumbeam pedibus ligatam circũferre volando cogeretur. Quam ob cauſam Ariſtoteles ſapientiã, hoc eſt, diuina- Ariſtot.
rum rerum cognitionem, dixit eſſe diuinam poſſeſſionem: quoniam (vt ipſe ait) natura hominis multipliciter ſerua, & infinitis penè curis & neceſſitatibus obnoxia, non poteſt ſe totã ſapientiæ ſtudio tradere: quòd ad eam conſequẽdã neceſſariũ eſt. Ex quo patet, quãta cura & ſtudio puritati cordis incũbere debeat, qui in hoc pulcherrimo ſtadio exerceri cupit, vt virtute, induſtria, & diuina gratia ſuppleat, quod infirma natura nõ præſtat.

Moyſes ſolus aſcendit in montẽ cum Deo locuturus: & nec homo neq; beſtia ad hunc locum accedere permittitur. Ac deinde, quo maior adhuc ſolitudo eſſet, ſolitudini caligo additur, quæ corporea cuncta à conſpectu orantis auferret. Similique ratione ſacerdos ſanctuarium ingrediens, fumo thuris locũ tenebris obducere iubetur, vt cũ Deo locuturus nihil aliud quàm Deum cogitaret. His autem rebus admonemur, tantam eſſe debere ſpiritualem ſolitudinem orantis, vt non ſolùm ab omni extraneo affectu, ſed ab omni etiam peregrino phantaſmate alienus ſit. Hoc enim eſt ſilentium illud, quod fit in cælo, cùm arcana Dei ſancti contemplantur. De quo Diuus Auguſtinus Auguſt.
in Meditat. Sileant, inquit, animæ meæ omnia, ſileat anima mea ſibi ipſi. Hinc ille ſomnus, quem amantiſſimus Sponſus in Sponſa ſua cupit non interturbari, cùm ait, Adiuro vos, filiæ Cant. 2.
Hieruſalem, per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Sicut enim Simile.
parentes ægrotante filio, ſi ſomnum fortè ſalutarem carpit, obſeruare ſtudioſè ſolent, ne aliquo domeſticorum ſtrepitu ſomnus ille intercidatur: ita cæleſtis Sponſus, anima in illo dulciter quieſcente & obdormiente, diligenter curat, ne ſalutaris iſte ac vitalis ſomnus intercipiatur. Quid autem tali Sponſo dulcius, quid amantius, qui tali ſtudio, taliqúe adiuratione ſaluti & incolumitati ſuorum proſpicit?

Quid eſt quod in oratione cor noſtrum tam multis imaginibus & cogitationibus infeſtatur? Tres huius rei præcipuæ cauſæ

mihi esse videntur. Prima est instabilitas imaginationis nostræ, quæ (sicut appetitus ipse) per peccatum ita grauiter læsa fuit. Quo fit, vt frequentissimè eius imperio reluctetur, & vix, vbi iubetur stare, diu hæreat. Quo quidem morbo (sicut in aliis naturæ ægritudinibus) quidam grauiùs, quidam verò leuiùs laborant. Altera causa est, assidua terrenarum rerum meditatio atq; Simile. tractatio: facilè quippe homo ad assueta rapitur. Sic videmus catellos, cùm in aliam domum ab ea, in qua nutriti sunt, trãsferuntur, protinus ad priorem regredi. Cui malo assidua lectione & meditatione scripturarũ sanctarũ subueniendũ est, vt omnis videlicet enarratio nostra sit in præceptis Altissimi. Tertia verò causa est, charitatis & dulcedinis diuinæ (quæ charitatis comes est) siue imperfectio, siue defectus. Scitũ enim est illud Poëtæ: Trahit sua quemque voluptas. Natura quippe (vt Aristot. ait) maximè appetit delectabilia, & fugit tristia. Quo fit, vt glutinũ cogitationis, delectatio sit cordis: quę facit, vt homo immobilis hæreat iis quæ diligit, & in quibus vehementer oblectatur.

Profunda intellectus speculatio circa philosophicas disciplinas, deuotionis affectũ magis impedit, quàm quæuis corporalis exercitatio. Hæc enim si non multum aut laboris aut attẽtionis exigat, non impedit, quo minus & intellectum & affectum pius Cassian. homo eleuare possit in Deum. Vnde monachi in Aegypto (vt Cassianus ait) operãtes manibus suis ab oratione nõ cessabant. Cęterùm philosophica speculatio totam intellectus nostri vim ad se trahit, & quodãmodo ebibit. Intellectu autẽ ita occupato, affectus non habet à quo in Deum dirigatur, & excitetur; atque ita mens sterilis & ieiuna manet, dum intellectus circa alia peregrinatur. Et hoc forsitan in causa est, vt simplices & rudes viri feminæq; deuotiores interdũ quàm aliqui viri docti reperiãtur; vt D. Thom. ait: quod quidem non litterarum, sed hominis vitio tribuendum esse, idem sanctus Doctor asserit.

Vt commodius, ita & facilius est, quotidie Deo vacare, & se Simile. intra se colligere, quàm rarò id facere. Cithara quę assiduè artificis manu pulsatur, minimo negotio ad hoc ipsum paratur; quæ verò diu siluit, vix longo spatio ad hoc instruitur: sic igitur qui assiduè orat, facilè puram mentem in Deum leuat; qui verò hoc diu distulit, variis terrenarum rerum (quibus assueuit) imaginibus infestatur, & ab interna vacatione & silentio auocatur. Itaque cùm in cælum mentem attollere nititur, in ipso cona- Cant. 5. tu à terrenis curis & cogitationibus ad terram trahitur. Hinc Sponsa domo egressa, per plateas Sponsum quærẽs, à vigilibus ciuitatis percutitur, laceratur, & spoliatur. Similes enim iniurias intra se anima patitur, cùm internæ solitudinis & silentij domo egressa, & negotiis secularibus implicata, Sponsum quæ-

rere

rere, & ad cæleſtia nititur aduolare. Animum feriatum & vacantem ad rerum diuinarum contemplationem requiri declarant illa Domini verba: Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus. Vnde ſcriptum eſt: Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis. Et, Qui minoratur actu, perficiet ſapientiam. Pſalm. 45. Eccli. 38. Ibidem.

Pro eo quod nos legimus, Reſpexit in orationem humiliũ: Hieron. vertit, Reſpexit in orationem vacui, hoc eſt, egeni, & omni humana ope deſtituti. Idem autem alibi ſignificauit cùm ait: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro quo idem vertit, Solitariam meam: quod eundem ſenſum reddit. Significat enim ſe omnibus præſidiis nudatum, ſolius Dei ope niti. Poſſumus etiam vacui nomine eos intelligere, qui mundas preces ab omni affectuum, & cogitationum, & imaginum terrenarum fæce purgatas Deo offerunt. Hæc enim vel præcipua præparatio animi ad orandum eſt. Pſal. 101. Pſalm. 21.

Properantem Moyſem ad videndum rubum, Dominus, qui in eo erat, compeſcuit dicẽs, Solue calceamẽta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quicunq; ergo Deum adire cupis, quidquid terrenum & mortale eſt, ſeponere primũ debes. Hoc ſibi dictũ putet quiſquis Dominũ oraturus accedit: quẽ idẽ ipſe Moyſes cunctis obſecrationibus noſtris præſentem eſſe ait. Magna ergo animi puritate ad hoc officium accedendũ eſt, & illud implendum: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo mentis tuæ oſtio (ne quid in eam terrenum eo tempore ingrediatur) ora Patrem tuũ in abſcondito. Quid ſpiritui noſtro cum terrena ſubſtantia? Cur non potiùs ſpiritualia & quærit & ſapit? Verùm corpus quod corrumpitur aggrauat animã: & terrena inhabitatio, &c. Neceſſitates multæ corporis detinent nos. Viſcus quidã praui deſiderij & delectationis terrenæ mentem noſtram ad cæleſtia aſpirantem retrahere nititur. Referuntur autem à D. Bernardo quatuor velut compedes animæ noſtræ: nempe neceſſitas, vanitas, curioſitas, & voluptas. Singula quæque horum, vt cordis noſtri puritatem inficiunt, ita aſcenſum in cælum impediunt. Exod. 3. Deut. 4. Matth. 6. Sapien. 9. Bernard.

Præcepit Dominus in lege poſt Nadab & Abiu incendiũ, vt vinum, & omne quod inebriare poſſet, nõ biberent ſacerdotes, quoties illis ad altaris miniſterium accedendum eſſet. Quo intelligimus, magna nos præparatione, ſobrietate, ac religione parari debere, quoties ad orandum Dominũ, & vitulos labiorum confitentium nomini eius, hoc eſt, ſpirituales hoſtias offerẽdas, accedimus. Propter hoc enim dictum eſt, Pſallite ſapiẽter. Magnum eſt, hominẽ cum Deo colloqui: maius, erga diuina affici, & eorum guſtu delectari: maximum verò, quod à Deo petieris, impetrare: quæ tria ad orationis virtutem pertinent. Leuit. 10. Pſalm. 46.

DEVOTIO, DEVOTIONIS ADIVMENTA ET IMPEDIMENTA, &c.

Gregor. NVMQVEMQVE electum suum diuina gratia tunc magis erudiēdo custodit, cùm eum quasi percutiens deserit. Gregor. in Moral.

Lucæ 8. dicitur cuidam sanato, Redi in domum tuam; cùm ille vellet sequi Dominum: vt ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeret. In abscōdendo enim maiestatis suæ gloriam, amoris sui vim Dominus per æstum desiderij auget. Gregor. in Moral. lib. 16. cap. 13.

August. Si habet animus vnde delectetur exteriùs, sine deliciis manet interiùs. August. super Ioannem.

Bernard. Vbi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & fauum mēti propinare non dignatur. Vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem, cælestis panis ieiunam deserit mentem. Bernard. in Epist.

Cassian. Tria sunt quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio, & oratio: quarum assiduitas & iugis intentio confert animæ stabilem firmitatem. Ioan. Cassianus.

Climac. Quoties anima seipsam prodiderit, caloremque illum amabilem ac beatissimum amiserit, inquirat diligenter qua ex causa id sibi contigerit, ac aduersus illam bellum omne ac studium summis viribus resumat: neque enim poterit per aliam portam illum reuocare, nisi per quam egressus est. Ioan. Climacus.

Quoties anima nihil etiam curantibus vel studiosè operantibus nobis in lacrymas vi secretæ compunctionis excitata in solo fletu requieuerit, curramus sollicitè. Dominus enim non vocatus aduenit, spongiamq; diuini mœroris & refrigerij piarumque lacrymarum aquas nobis clemens porrigit, quibus deleantur scelera chirographi nostri. Serua eam vt pupillam oculi tui, donec sponte abeat. Longè enim maior est huiusmodi compunctionis vis, quàm eius quam studio nostro & labore quæsiuimus. Idem de Luct. cap. 7.

Quidam honesti huius boni probatus operarius ista mihi de se narrauit. Cùm, inquit, sæpius studiosè instituerem, aduersus inanem gloriam, siue iracundiam, siue ventris saturitatem, omnino bellum gerere, luctus ratio succlamās mihi intrinsecus attestabatur: Noli inani gloria efferri, non recedam abs te. Similiter quoque in aliis perturbationibus dicebat. Cui ego, Nunquam, aiebam, tibi ero inobediens, donec me Christo Domino sistas. Idem ibidem.

Abscon-

Abſcondit ſeipſam infantis mater: quem ſi ſe viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur; ſicque illum inſtruit, ſibi adhærere iugiter, affectumque ſui altiùs infanti imprimit, eumque ad ſe amandum ardentiùs inuitat. Ibidem. Simile.

Verbum vnum nonnunquam diſſoluit luctum: mirum verò ſi vnum quoque verbum rurſus illum reuocare, poſtquam auolauerit, poſſit. Ibidem.

Animaduerſa eadem de re à Collectore.

Vnguentum quod curandis vulneribus adhibetur, diu iiſdem hærere debet, quo ſanitatem afferre poſſit. Cùm ergo vnguentum animæ vulnera ſanans, & ſuauiſſimo odore carnis noſtræ fœtorem conſumens, deuotio ſit, quæ ex oratione atque meditatione procedit; diutiùs orationi inſtandum, & in ea perſeuerandum eſt, vt ſpiritualis ſanitatis & virtutis eius participes reddamur. Simile.

Quod ſaluatum fuerit de Iuda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. Hoc autē ſpiritualiter efficit Dominus, cùm aliquando charitatis feruorem nobis ſubtrahit, aliquando verò auget; modò nos deſerere videtur, modò rurſum viſitat; ſicut ſcriptum eſt: Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Altero enim nobis diffidere, altero illi fidere docemur: & altero quidem in humilitate radicamur, altero verò in charitate adoleſcimus: vtrumque enim ad ſpiritualem vitæ profectum maximè neceſſarium eſt. 4. Reg. 19.

Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Aqua deuotio eſt, quæ in terram cordis noſtri effuſa, omnes virtutum plantas rigat. Eius enim munus eſt, ad omnia Dei obſequia & virtutum officia alacrem hominem reddere. Quare quemadmodum horto arboribus conſito prima cura eſt, ad eas irrigandas puteum fodere, aut aliunde aquam deriuare, ne labor omnis irritus ſit: ita quiſquis virtutum plantas excolere ardenti deſiderio cupit; deuotionis quoque exercitia colere debet, quibus virtutum plantas alat atque ſuſtentet. Pſal. 142.

Ioſeph ad fratres ſuos quaſi ad alienos duriùs loquebatur, cùm tamen eos fraterno complecteretur amore. Hoc ipſum Dominus cum piis hominibus agere ſolet. Aliquando enim illis ſe velut mulieri Samaritanæ exhibet, dum non rogatus vltrò ipſe rogat, & inuitat, & viſitationis ſuæ gratiam vel nō petentibus offert. Aliquando verò ita ſe cum illis gerit, quemadmodū cum muliere Chananæa, cui poſt multas lacrymas & preces tandem præſtitit quod popoſcit. Gen. 42.

Omni cuſtodia ſeruandum eſſe cor noſtrum Salomon docet. Quare? Nimirum quia de corde exeunt cogitationes malę, Prou. 4.

 homi-

homicidia,&c. Rursumque à corde vita procedit. Quale enim cor, talia sunt & verba, & opera quæ à corde proficiscuntur. Quapropter quisquis vitã suam rectè instituere velit, non contentus externis virtutibus, magnam quoque, imò primam cordis sui curam habeat. Si enim hepar calido humore exæstuans, flammas in faciem manusque diffundit: non admodum refert externa hæc membra aquis refrigerare, nisi ipsum caloris fontem extinguas. Si terra, in qua virgulta plantare vis, sentibus atque dumis plena est, parum prodest spinarũ ramos abscindere, si earum radices protinus germinaturę in terra defixæ manent. At verò medicina cordis nostri deuotio est: quæ propterea vnguentum appellatur, quoniam eius vulneribus medetur. deuotio enim cupiditatum nostrarum incendium temperat, vires carnis debilitat, robur & fortitudinem tribuit, sancta desideria acuit, intellectum illuminat, spiritualem lætitiam auget, qua dilatatum cor, diuinorum mãdatorum celeriter viam currit. De his verò qui externa solùm opera sine vlla interna pietate sectantur, Hieremias ait: Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorũ. Et rursum: Et dilexerũt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, cor autẽ eorum non erat rectũ cum eo, &c.

Simile.

Hier. 12.

Psalm. 77.

Qui deuotioni studet, non modò cùm ad orandum aut meditandum accedit, sed multo antè in omnibus temporibus atque negotijs eam captare debet. Id autem fit, cùm vbique mentem ad Deum eleuamus, & puritati cordis diligenter studemus. Hoc autem prę stabat sancta illa mulier de qua scriptum est, Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum. Panis enim, quo anima in spirituali vita alitur, deuotio est: quam de longè trahimus, cùm non modò orationis tempore, sed multo antè, hoc est, in omni tempore atque negotio illam studiosè quærimus. Huius verò studij neglectus, præcipua spiritualis ariditatis causa esse solet.

Prou. 31.

Quod frequenter Dominus consolationis atque dulcedinis suæ præsentiam pijs hominibus subtrahat, quidque illis hoc tempore faciendum sit, longa oratione Sponsa Cant. 3. describit his verbis: In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quęsiui illum, & non inueni, &c. Lectulus, quietis & deliciarum locus est: in quo loco Sponsa quærit Sponsum, cùm in intimo cordis sui otio atque silentio (vbi eius delicijs & amplexibus frui solet) illũ quęrit. Et quęrit per noctes, quando videlicet clausis ad omnes curas & cogitationes terrenas mentis oculis, ad illum toto corde atque conatu amplectendum solito more se erigit. Sed nec sic tamen illum inuenit, quem aliàs in hoc lecto inuenire solita fuit. Quid igitur hoc tempore fidelis anima agere debet? Subdit protinus: Surgam, videlicet

amoris

amoris impatiens, & circumibo ciuitatem, &c. Non enim inerti otio dissolui hoc tēpore debet: sed excusso omni torpore atque dormitantia, alacri animo excitare se ad omnia virtutis opera & consueta exercitia debet; & cum Propheta dicere, Si dedero somnum oculis meis, &c. donec inueniam locum Domino. Psal. 131.
Quinetiam ad illum clamet clamore grandi in toto corde suo, illa Sponsæ verba repetens, Reuertere, reuertere, dilecte mi: similis esto capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Conduplicatio verbi, affectus & desiderij vim ostendit: quod tamen magis similitudo sequens declarat, quando illum ea celeritate & cursu ad se regredi postulat, qua hinnulus ceruorum super montes Bethel. Sed neque his clamoribus contenta, per vicos & plateas ciuitatis Sponsum quærit. Qui tamen sæpe internę consolationis spiritualisque lætitiæ ad tempus gratiam subtrahit, quòd velit aliquando proximorum necessitatibus Sponsam suam deseruire, & à pio charitatis otio ad necessarium eiusdem negotium transire. Quod tamen prudenter & cautè faciēdum est, ne sub hoc obtentu interna cōtemplationis exercitia prorsus deserantur. Sed danda opera est, vt, quemadmodum sancta illa Ezechielis animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis: ita nos promptissimo & celeri animo ad vtraque munera, interna scilicet & externa, progrediamur & regrediamur: non laboris interni solatium in externis operibus requirentes, sed solum Sponsi obsequium vtrobique cantantes. Ezech. 1. Vigiles quoque, qui custodiunt ciuitatem, hoc tempore cōsulendi & interrogandi sunt: hoc est, pastores & doctores Ecclesiæ cōsulendi erunt, cùm hæc mentis ariditas & sterilitas vel diuturna fuerit, vel nocitura videbitur. Nullum enim lapidem non mouere debemus, cùm cælestis hic Sponsus abest, vt iterum ad nos reuertatur. Videmus enim inferiora huius mundi corpora in deliquio Solis (quod breui tempore durat) detrimentum pati. Quocirca mirum non est, si detrimentum patiatur anima, quando consolationis suæ radios ab ea Sol iustitię Christus Dominus diutiùs subtraxit. Simile. Cùm verò pia mens hæc omnia diuino amore saucia lustrauerit, nihilque intentatum reliquerit, tandem se illi cælestis Sponsus fruendum præbet: quem illa inuentum tanto arctioris amoris complexu stringit, quanto illum cum maiori mœrore amisit, maiorique labore amissum quæsiuit. Ideoque ait: Tenui illum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meę, &c. quę domus, cælestis illa Ierusalem est, quæ est mater nostra. Ait ergo se daturam operam, vt nunquam illum ampliùs (quoad eius fieri possit) amittat, donec quod gustauit internum, fiat illi in cælesti cubiculo æternum. Cant. 3.

Cant. 4. Singularem prouidentiam, quam horti sui, hoc est, Ecclesiæ suæ cælestis Sponsus gerit, illa verba declarant, Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius. His enim verbis ostendit, se dare operam, vt ventus Aquilo, frigoris & inertiæ auctor, à piorum hominum cordibus abigatur, & ea perflet Auster à meridie spirans, qui vi sua eadem & diuini amoris calore incendat, & blando deuotionis imbre molliat; quo sanctorum desideriorum aromata, charitatis igne resoluta, fluere incipiant. Est enim deuotio, sanctorum desideriorũ nutrix atque ministra.

Postea quàm Sponsa pulsanti & vocanti spõso pessulũ ostij subtraxit, & fores aperuit; illum iam declinasse ait, nec nisi magno deinde labore quæsiuit & inuenit. Quid igitur est, quòd patefactum adytum, quod tam blandis antea vocibus Sponsus exquisierat, modò respuat, & aufugiat? Nimirũ hac pœna plectuntur, qui vocanti Spõso excusationis verba respondẽt, qualia Sponsa paulo antè responderat, dicens: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, &c. Ad puniendam ergo præteritam hanc tarditatem, qua Sponso diu pulsanti aperire negleximus; ille meritò, cùm aperire voluimus, subtrahit se. Non enim potest iustiùs ista Sponsæ tarditas puniri, quàm vt vicissim Sponsus eam cogat præstolari: vt sicut volente introire Sponso, non statim ipsa consensit neque occurrit; sic vicissim Sponsa volente copulari Sponso ipsumq. ad se introducere, non statim eius obtẽperet desiderio. Et quomodo illa inutiles protraxit moras, ne Sponsum statim reciperet; sic ipse iustis rationibus non statim se ostendat quæsitus, vt cogatur illum iam quęrere cum dolore & labore, qui se priùs ante ianuam vltrò videbatur offerre. Altera quoque ratio huius dispensationis esse videtur, ne Sponsi præsentia nimis vilesceret, si tam facile absque omni molestia inquisitionis passim acquiri posset & teneri.

Cant. 5. (margin beside "exquisierat")

Quòd sæpe Dominus sine vllo piorum demerito spiritualis visitationis & consolationis gratiam ad tempus subtrahit, quo vel maius sui desideriũ excitet, vel pluris hanc gratiam ęstimari faciat (vilescunt enim frequenter & sordẽt quæ possunt semper haberi, & in promptu inueniri) vel hoc argumento declaratur, quòd vbi Sponsa pessulum ostij sui sustulit, & ostium aperuit, & Sponsum vocauit, ác diligenter quęsiuit, minimè tamẽ inuenit. Sic enim ait: Quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respondit mihi. Hæc consideratio, piorum mœrorem temperare debet: cùm se ita destitutos vident. Quamuis tutius est, vt, de se semper humiliter sentientes, negligentia sua se hoc donũ amisisse credant: sed ita credant, ne nimio mœrore absorbeantur; cùm hoc dispensatione diuina, non humana negligentia interdum

Cant. 5.

dum contingat, vt ita inter spem metumq. suspensi, & à nimio mœrore, & malè tuta securitate immunes sint.

Magnum spiritualis ariditatis ac desolationis nostræ in sanctarum scripturarum lectione ac meditatione remedium positum est, Apostolo testante, qui scripta omnia diuina ad eruditionem & consolationem nostrã destinata esse confirmat. Hoc autẽ nobis (vt quidã ex Patribus ait) sanctus Patriarcha Isaac repræsentauit: qui post mortem matris ad vesperam profectus est ad meditandum in agrum, vbi inuenit Rebeccam, quæ illũ miro modo consolata est. Quoties mihi, Iesu bone, dies vergit in vesperam, quoties paruæ alicui consolationi intolerabilis dolor quasi nocturna caligo succedit, vertuntur in fastidium omnia, oneri sunt cuncta quæ video. Si quis loquitur, vix audio, vix sentio, & in modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorũ vena siccatur. Quid tunc? Ex eo certè ad meditandum in agrũ, sacrum reuoluo codicem. Tunc subitò mihi occurrens Rebecca, hoc est, tua gratia, Iesu bone, sua luce meas tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit. Mox suspiriis cedunt lacrymæ, & lacrymas cæleste gaudium comitatur. Infelices, quos cùm tristia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediuntur vt gaudeant. Hæc Ailredus. Rom.15. Gen.24.

GAVDIVM SPIRITVALE, SIVE Spiritualis dulcedo atque suauitas.



DVLCE est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cælestibus gaudia nulla gustauit: quia quanto minùs æterna intelligit, tanto delectabiliùs in temporalibus requiescit. Gregorius super Ezechielem. Gregor.

Si quis iam cordis ore gustauerit quæ sit illa dulcedo cælestium præmiorum, qui illi hymnidici chori Angelorum, quæ incomprehensibilis visio Trinitatis: huic quanto dulce sit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur quod foris sustinet. Gregorius vbi suprà.

Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantùm possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea, quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis liber, deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

Super illud Iob 4. Ad me dictum est verbũ absconditũ, &c.

D. Gre-

D.Gregor.ait: Diuina aſpiratio, humanam mentem tangendo ſubleuat; & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc deſideriis inflammat. Dicitur autem abſconditum: quia non poteſt ſciri, niſi à quo poteſt haberi. Sicut enim Paracletus inuiſibilis eſt; ita omnem, quem repleuerit, ad deſideranda inuiſibilia accendit. Seculares autem mentes quantum ſe foris per deſideria dilatant, tantum ad receptionem illius ſinum cordis anguſtant. Lib. 5. Moral. c. 19. Vide locum.

Super illud Iob 4. Cùm ſpiritus tranſiret, &c. Gregor. ait: Cùm mens internam dulcedinem deguſtat, amore æſtuat; videtque ſe videre non poſſe quod ardenter diligit: nec tamen ardẽter diligeret, niſi aliquatenus videret. Nõ ergo ſtat, ſed trãſit ſpiritus: quia ſupernam lucem nobis inhiantibus contemplatio aperit, ſed mox infirmantibus abſcondit. Vbi ſuprà, cap. 23.

Qui ſuperna deguſtat, inferiora tolerat: quia plenè intus cõſpicit, quanti æſtimet quod foris agit. Vbi ſuprà, cap. 26.

Cuncta quæ foris eminẽt, occultis iuſti obtutibus per deſpectum iacent. Nam ſupra ſe interiùs rapti, in alto animũ figunt: atque dum extra carnem fieri mente decertant, ipſa penè quæ patiuntur ignorant. Nam velut in magni montis vertice ſiti, ſubiecta ſibi intus vident, quæ per carnalem gloriam foris tument. Vbi ſuprà, cap. 22.

Simile.

Vt homo & gratiæ dona habeat, & infirmitatem ſuam agnoſcat, viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Sic Helias cælum aperit, & Iezabel fugit: ſic Paulus paradiſum intrat, & carne tentatur. Gregorius vbi ſuprà, cap. 20.

Quia animus non vult conſiderare pręmia quæ reſtant, grauia æſtimat eſſe quę tolerat. At ſi deguſtat gaudium quod intus permanet, leue fit protinus omne quod intus dolet. Gregorius vbi ſuprà, lib. 10. cap. 19.

Aliquando iuſti viri anima ad inuſitatam dulcedinem interni ſaporis admittitur, ac raptim ardenti ſpiritu afflata renouatur: tantoque magis inhiat, quanto magis quædã guſtat. Gregor. 23. Moral. cap. 21. Vide locum.

Gregor. ſuper illud ex Pſal. 88. Beatus populus qui ſcit iubilationem. Non dicit, qui loquitur, ſed, qui ſcit. Sciri enim poteſt, exprimi nõ poteſt: ſentitur enim per illam, quod vltra ſenſum eſt. 24. Moral. cap. 6.

Tenet anima tranſeuntia amore, ipſa tempore tranſiens: at poſtquam ſupernæ lucis radios contigit, admiratione ſummorum tranſeuntia deſpicit, nec iam illi, niſi quæ æterna ſunt, libent. Gregorius 27. Moral. cap. 12.

Dulcis cibus qui de ſupernis accipitur, vocatur Manna. Quid eſt hoc? Cùm enim anima ab infima cogitatione ſuſpenditur,

ea quæ

ea quæ de supernis conspicit, insolita miratur: sicq; appetit contempta, contemnit appetita. Gregor. 27. Moral. cap. 17.

Electorum mens iam terrena desideria subiicit; iam cuncta quæ considerat, præterire transcendit; iam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quæ sint bona inuisibilia rimatur: atq; hæc agens plerumque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur, & ardenti desiderio interesse spiritualibus Angelorum ministeriis conatur: gustu incircũscripti luminis pascitur, & vltra se euecta, ad semetipsam relabi dedignatur. Greg. li. 8. Mor.

Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. Augustinus super Psal. 127. Augus.

Quanquam autem hæc infima habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tui suauis est, & quietus. Nam pectora quæ possides, dulcedine, & suauitate, & tranquillitate reples. Et contrà amor seculi & carnis anxius est & perturbatus; animas certè quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus & perturbationibus, variisque timoribus solicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum: & meritò. Quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudiũ Domini sui; & non timebit ampliùs: sed habebit se optimè in optimo. Augustinus in Meditationibus.

Ecce video lumen cæli, oculis mentis meæ desuper interlucet radius à facie luminis, & lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge, quæso, luminis auctor, auge, quæso, quod interlucet in me. Dilatetur obsecro, dilatetur ex me. Quid est hoc quod sentio? Quis est ignis qui calefacit cor meũ? Quæ est lux quæ irradiat cor meum? O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me. O lux, quæ semper luces, & nunquam obfuscaris, illumina me. O vtinam arderem ex te! Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris! Augustinus in Meditationibus.

Cætera creatura vilescat, vt Creator in corde dulcescat. Idem in Sermonibus.

Est gaudiũ quod nõ datur impiis, sed iis qui te gratis colunt, Domine, quorũ gaudiũ tu ipse es: & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non altera. Idem in Confess.

Nulla caro exultat in Deo, quæ viuit in vitiis.

Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quale vinum est, vnde inebriari laudabile est! quale vinum est, quod nõ turbat, sed dirigit mentẽ! quale vinũ est, quod perpetuò facit sanum, non inebriando facit insanum! Inebriabuntur. Vnde? Ab vbertate domus tuæ. Et torrente vo- Psalm. 35.

luptatis

luptatis tuæ potabis eos. Vnde? Quia apud te fons est vitæ. Ipse fons vitæ ambulabat in terra: ipse dicebat, Qui sitit, veniat ad me.

Bernard. Stans in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritũ: & nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporẽ quidem sentio, dulcedinem adeò confortantem, vt, si perficeretur in me, nihil vltrà quærerem. Bernardus de Amore Dei.

Gustato spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti cælestia, terrena non sapiunt: æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Idem in Epist.

Præoccupatum secularibus desideriis animũ delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis; vt pariter sapias quę sursum sunt, & quæ super terram. Idem. Serm. 77.

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. Idem in Sermonibus.

Cæsarius. Verum gaudium non possidetur, nisi pax & iustitia teneatur. Prima enim est, & quasi radix, iustitia; secunda pax; tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Cęsarius in Admonit. 2.

Auctor de Spiritu & anima. Anima priùs sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur. Auctor de Spiritu & Anima.

Eufeb. Emiss. Habet hanc vim dulcedo cælestium pulchritudinũ, vt quantò intensiùs quæritur, tanto intensiùs desideretur. Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de satietate fastidium. Eusebius Emiss. Hom. de B. Maximo Episcopo.

Climac. Qui superna gustauit, facilè terrena cõtemnet: qui verò sine gustu illorũ est, terrenis possessionibus lętatur. Clim. Grad. 16.

Si ad supernam gratiam festinamus accurrere, supremam gloriam degustare studeamus. qui enim illam degustauerit, terrenam omnem protinus contemnet. Miror enim si quis absque illius gustu hanc possit aspernari. Idem Gradu 21.

Cicero. Onus non est appellandum, quod cum lætitia feras ac voluptate. Cicero 5. Act. in Verrem.

Oportet vt ipsa mens se vitiis exutam cognoscat, coniunctamque cum diuina mente se sentiat: ex quo insatiabili gaudio compleatur. Idem lib. 5. Tuscul.

Animaduersa eadem de re à Collectore.

Quisquis diuinis consolationibus donisque cælestibus potiri optat, terrenas procul à se cõsolationes pellat: vt, quoniam esse sine delectatione animus non potest, cùm carnalibus destituitur,

tur, spirituales quærat. Vehementiùs enim nos aliquando necessitas, quàm sperata vtilitas aut cupiditas ad aliquid agendum vel aggrediendum impellit. Cortesius ille, qui nouã Hispaniam inuênit, & in ditionẽ Hispanorum redegit, sedecim naues, quibus ad hæc littora applicuit, perforatis clanculum earũ carinis submergi fecit: vt milites, omni spe fugiendi sublata, ferro iter aperirent, & locum, in quo manerent, armis occuparent. Id ni fecisset, nunquam ita facilè eam prouinciam subegisset. Sic sæpe nos ærumnæ ad Deum ire cõpellunt. Quocirca mirum non est, si multæ nobiles viduæ (quę ob immaturã virorum mortem omni terreno solatio destitutæ sunt) se totas necessitate cogẽte rerum spiritualium studio tradant, quo spirituales delicias pro terrenis, quas amiserũt, in vero felicitatis fonte inueniant, quibus enutritæ, placitam ac tranquillam vitam agant. Simile.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Duo his verbis priuilegia singulari laude dignissima prædicantur: quibus pios homines Dominus ornare atq. iuuare solet. Alterũ est paterna cura & prouidẽtia, qua sub vmbra alarũ suarũ illos protegit, & in abscõdito faciei suæ tuetur à conturbatione hominum, & à contradictione linguarũ: alterũ est mirabilis quædã dulcedo, qua ipsos lactat, & secũ mirabili amoris & suauitatis glutino copulat. Hoc est enim quod ait: Fructus eius dulcis gutturi meo. Hæc autẽ dulcedo ita illos Deo vnit, vt vix eius à se pręsentiam abdicare possint. Itaq. cùm carnales homines vix mentẽ ad Deũ eleuare queãt, hi eò deuenerunt, vt vix ab eo mentẽ diuellere possint. Quod de B. Clara Herpius memorat. Quid enim mirum si hoc in amore Dei inueniatur, quod in carnali amore passim deprehenditur? Neque enim ex natura sua minùs potens est gratia, quàm cupiditas & corrupta natura: nec minùs efficax boni natura quàm mali. Cant. 2. Dissimil.

Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quomodo caro in Deo exultare potest? Hac nimirum ratione: Lux illa cælestis, quæ nouo quodam splendore piorum mentes frequenter illuminat, ab intellectu protinus descendit in voluntatem, illamque diuino amore incendit: voluntas verò partẽ animæ concupiscibilem sibi coniunctam lætitia afficit. Hæc autem vis, quoniã carni coniuncta est, carnem quoq; ipsam mirabili quadam ratione exhilarat. Sicut enim primus orbis cælestis secundum mouet, & secundus tertiũ, atq. alios: ita hoc in loco vis intelligendi mouet voluntatem, voluntas appetitum, appetitus verò carnem, propter magnam harum inter se virium cõiunctionem. Aliter autẽ quomodo verum esset quod Salomon ait: Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa? Psalm. 83. Simile. Prou. 17.

Quanta

Quanta ſit ſpiritualis lætitia, & gaudium Spiritus, declarant illa verba Sap. 8. Intrans in domum meam conquieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem cõuictus illius, nec tędium cõuerſatio illius, ſed lætitiam & gaudium. Hinc illud Prophe-
Pſalm. 30. tæ, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, q. a. t. t.
Pſalm. 34. Et illud, Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tui? Et illud item Eccleſ. 40. Vinum & muſica lætificant cor, & ſuper vtrunque dilectio ſapientię. Hinc toties in Cant. ſpirituales deliciæ vino, hoc eſt, omnibus mundi voluptatibus anteferuntur.

Pro eo quod nos legimus Pſal. 35. Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus: Hieronym. ex Heb. vertit; Quàm ſpecioſa miſericordia tua Deus! & filij Adam in vmbra alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quibus verbis diuinæ dulcedinis magnitudo maximè inſinuatur.

Spiritualis lætitia illis potiſſimùm impēditur, qui variis pro Chriſto moleſtiis & incommodis afficiuntur. Vnde eſt illud,
Prou. 31. Date ſicerã mœrẽtibus, &c. Item illud; Gaudete, ait, in lætitia, qui in triſtitia fuiſtis, &c. Ideoque Propheta iure ſuo quodammodo petit: Lętifica nos pro diebus quibus nos humiliaſti, pro annis quibus vidimus mala. Et Apoſtolus, ſicut, inquit, abundant paſſiones Chriſti in nobis, &c. 2. Cor. 1.

Si quis veram ſalutem & lætitiam quærit, fruſtra eam alibi
Pſal. 117. quàm in iuſtitia quærit. Sic enim legimus, Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. In tabernaculis enim Aegy-
Pſalm. 13. ptiorum nulla domus abſque luctu eſt. Contritio enim & infelicitas in viis eorum.

Quàm diu homo diuinę dulcedinis expers eſt, vacillat nutatque in obſeruatione legum diuinarum: vbi verò particeps eius
Pſal. 118. factus eſt, ibi cum Propheta clamat: Hæreditate acquiſiui teſt. t. i. æ. quia exultatio cordis mei ſunt. Ideoque non mirum eſt, ſi alibi idem Propheta exultationem hanc tanquam virtutis
Pſalm. 83. & religionis adiutricem poſtulat, dicens: Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Verè enim dictum eſt, Delectatio perficit opus. Ideoq; opera omnia, quæ naturæ auctor ab animantibus effici voluit, velut quadam voluptatis eſca condiuit. Omnem quippe naturalem operationem ſequitur delectatio.

Nihil aut maius, aut pretioſius, aut optabilius, quàm à Deo diligi. Quid enim deeſſe illi ad ſalutem poterit, qui ab omnipotente Deo diligitur? Quod cùm ita ſit, nihil amanti animæ optabilius, quàm diuini erga ſe amoris iudicia experiri: ideoque nihil mirum, ſi inter omnia ſponſæ vota ac deſideria illud pri-
Cant. 1. mum ſit: Oſculetur me oſculo oris ſui: oſculum enim certiſſimum amoris indicium eſt. Cùm ſint autẽ multa huius amoris indicia

indicia, non postremum est, præueniri à Deo in benedictionibus dulcedinis, & gaudij spiritualis. Gaudium enim amoris comes esse dicitur. Quare quisquis in Deo & cũ Deo gaudet, magnum diuinæ erga se dilectionis argumentum habet. Græcè autem legitur: Osculetur me osculis, siue, ab osculis oris sui. Non enim vnum tantùm osculum, sed crebra & quotidiana oscula petit: quibus magis ac magis in amorẽ Sponsi exardescat. Hoc enim inter spirituales atque carnales delicias distat; quòd hæ, cùm multiplicantur, fastidium; illæ verò esuriem atq. sitim pariunt. Vnde est illud: Qui edunt me, adhuc esurient, &c. Dissimil.

Trahe me post te: curremus in odorẽ vnguentorum tuorum. Cant. 1. Vnguenta enim odorifera Spõsi, sunt innumera beneficia eius, viscera misericordiæ eius, & suauissima vbera cõsolationis eius. His autem cælestibus donis Saluator vehementi quodã amoris æstu trahit nos post se, & ita trahit, vt currere nos faciat. Quod quidẽ regius Propheta apertiùs designauit cùm ait: Viam mandatorũ tuorũ cucurri, cùm dilatasti cor meum. Psal. 118. Nec hoc sanè mirũ est; quoniã (vt D. Bernardus ait) latitudo eius, dilectio eius est. Duæ autem hoc in loco insignes hæreses paucis verbis cõfutantur. Quod enim Sponsa dicit; Trahe, diuinæ gratiæ necessitatem confitetur, contra Pelagianos: quod verò ait, Curremus, libertatem arbitrij nostri insinuat, aduersus Lutheranos. Deus enim operatur, nos cooperamur: ille trahit; nos, ipso trahente & excitante, currimus. Quare nemo ita sibi fidat, vt sua se opera atque virtute tantùm speret pręstare posse quod debet: nemoq; rursus ita onus totum in solam Dei gratiam proiiciat, vt, quæ suarum partium sunt, obliuiscatur.

Deum electis suis prægustationem quãdam, & veluti arrham futuræ felicitatis in hac peregrinatione tribuere (quo auidiùs ad illa summa bona ferantur, quorum iam odorem perceperunt) Sponsa in Canticis insinuat, cùm se introductam à Rege Cant. 1. in cellaria sua, siue in cellam vinariam memorat. Nam & introducendi verbum, & cella vinaria aliquid supra communem hominum captum, imò supra hunc mundum designat: supra quem vinorum omnium, hoc est, amorum ac deliciarum omnium apotheca plenissima est. Qui autem huc peruenerunt, cùm primitias Spiritus acceperint, continuè ingemiscũt, habitationem quæ de cælo est superindui cupientes. Hi sunt autem qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia. Ex his autem colligere licet, quanta sit illa dulcedo, quæ æternæ dulcedinis prægustationem quãdam continet; cui omnis mundi dulcedo comparata, amaritudo est amarissima. Vnde mox sequitur: Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum? Hoc est, super omnia quæ in hoc mundo delectare

poſſunt. Cuncta enim hęc à diuinæ conſolationis vberibus longè ſuperantur.

Ad Beniamin Moyſes in benedictionibus ait: Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Deut. 33. Super hoc autem loco Richardus ait: Per Beniamin, qui filius dexteræ interpretatur, dulcedo contemplationis exprimitur. Quid autem putas, quòd tota die in thalamo moram facit, quòd ibi iugiter requieſcit, adeò vt nec ad horam ſaltem exire velit? Illud autem ſcimus, quòd in thalamo ſponſus & ſponſa ſoleant ſimul cõmorari, amoris obſequiis in alterutrum occupari, mutuis amplexibus confoueri. Mirandæ ergo pulchritudinis prærogatiua, quæcunque ſit illa Beniamin dilecta, cuius contubernium numquam faſtidire valet, & à cuius amplexibus nec ad horam abeſſe vult. Dixi, inquit, ſapientiæ, ſoror mea es; & prudentiam vocaui amicam meam. Propter caſtam autẽ ſimul & ardentiſſimam dilectionem, amicam ſimul nominat & ſororẽ.
Sapi. 18. Intrans, inquit, in domum meam conquieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium: & in amicitia ipſius dilectio bona. Vnum igitur ſcio; quia quiſquis huiuſmodi amicæ deſiderio flagrat, quanto eam familiariùs nouit, tanto eam ampliùs amat; & quo frequentiùs eius fruitur amplexibus, eo vehementiùs eius exæſtuat deſiderio.

Simile. Quemadmodum cùm quis vocatum puerum, & ad ſe venire recuſantem, oſtenſo aliquo pomo, aut re aliqua, quæ nitore ac decore ſuo oculos eius alliciat, trahere ad ſe ſolet: ita Dominus, quos Eccleſiæ ſuæ vocibus aut internis etiam inſpirationibus ad ſe non trahit, oſtenſa & exhibita ſuauitatis ſuæ dulcedine, ad ſe conuertit. Verè enim à Poëta dictum eſt: Trahit ſua quemque voluptas. Hi ſunt autem quos Dominus præuenit in benedictionibus dulcedinis.

Simile. Sol huic viſibili mundo ſalutaris atque vtilis eſt, non ſolùm cùm ad nos accedit, ſed etiam cùm hiemis tempore recedit. Hoc enim tempus ad faciendam ſemẽtem, illud ad fruges fructuſque maturandos aptiſſimum eſt. Ad hunc ergo modũ verus iuſtitiæ Sol Chriſtus, & cùm per viſitationis & ſpiritualis conſolationis gratiam quaſi pręſens adeſt, & cùm per eius ſubtractionem quodammodo abeſt, ſemper piis hominibus & vtilis & ſalutaris eſt: illo enim tempore charitatem, hoc autem humilitatem in eis nutrit.

AD



AD LECTOREM.


V M libellus hic, amice Lector, ad calcem ferè perductus esset, duæ insignes virtutes, nempe ieiuniũ & eleëmosyna, grauiter me neglecti officij mei accusarunt, quòd eas ab orationis complexu in hoc libello secreuissem; præsertim cùm nõ magno negotio ea, quæ de his duabus virtutibus iamdudũ in scriniolis condita erant, his adiungere potuissem. Ieiunium quippe se orationis contubernalem & comitem esse dixit. Vt enim animi, ita & corporis præparatio ad orandum necessaria est: quorum illud compressa mentis euagatione, hoc ieiunio & abstinentia fit. Corpus enim ciborum pondere grauatum, ægrè admodum se ad sublimia atque diuina attollit. Onere quippe ciborum ad terram deprimitur, somno mergitur, & futili lætitia, atq; inani loquacitate soluitur. Quocirca sicut nerui citharæ priùs tẽperandi sunt, quo suauem, dum pulsantur, concentũ efficiant: ita & corpus & animus hisce, quas suprà diximus, virtutibus aptandi sunt, vt oratio ipsa suauẽ apud diuinas aures vocẽ emittat. Ieiunus accipiter celeriùs volat, auidiusq; prędam inuadit: sic etiam mens nostra ieiuno corpore velociùs atque liberiùs in sublimia fertur. Hac de causa in litteris sanctis ieiuniũ frequenter cum oratione copulatur. Sic Anna vidua sanctissima ex Euangelio, ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte in tẽplo vacare memoratur. Daniel vir desideriorum ieiuniis & orationibus diuinorum mysteriorum intelligentiã consecutus est. Moyses quadraginta dierum ieiunio & oratione præuaricatori populo veniam impetrauit. Sancta virgo Cæcilia biduanis ac triduanis ieiuniis suam Domino pudicitiã precibus cõmendabat. Iam verò in sanctis illis Anachoritis, qui ab hominum frequentia semoti, cælestẽ in terris vitam meditabãtur, quid aliud vel legimus, vel miramur, quàm continuã orationis perseuerantiam cum incredibili ciborum abstinentia coniunctam? Deniq; hæ duæ virtutes ita sibi cohærent, vt altera alterã iuuet, & altera alterius ope indigeat. Vt enim D. Bernardus ait, oratio virtutem impetrat ieiunandi, ieiunium verò gratiam promeretur orandi. Hinc D. Augustinus: Quemadmodum sine potu nõ est plena refectio; sic & ieiuniũ sine refectione orationis non potest animam perfectè nutrire. Hinc etiam D. Chrysostomus: Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite; sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione.

Simile. *Dissimil.* *Bernard.* *August.* *Chrysost.*

Simili ratione misericordia & eleemosyna cõquesta est, quòd eam ab his duabus sororibus suis disiunxerim: quibus eam Raphael Angelus copulauit, cùm Tobiæ dixit: Bona est oratio *Tob.12.*

cum ieiunio & eleëmosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est quę purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Eadem etiam misericordia, quã opem Domini oratio petit, assequitur; cùm Veritas ipsa dicat: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequētur. (Math. 5.) Cùm verò idem Dominus præcipiat, ne ante eius conspectum vacui appareamus, eadem præstat, vt misericordiæ operibus suffulti, ad illum accedentes, eius gratiam promereamur. Iam verò ieiunium ita misericordiæ patrocinio eget, vt sancti Patres tale esse sine charitate, & charitatis comite misericordia, ieiunium prædicent, qualis sine oleo lucerna est. Hinc Petrus Chrysol. (Petrus Chrysol.) Misericordia, inquit, & pietas ieiunij sunt alæ, per quas tollitur & portatur in cælum: sine quibus iacet & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulachrum famis est, non imago sanctitatis.

Cùm ergo hæ duæ virtutes germana charitate & ipsæ inter se, & cum oratione coniunctæ sint, boni cõsulet studiosus Concionator, si informem hanc veluti siluam illi ante oculos proposuero, vt ex hoc veluti promptuario atque penu eligere possit, quæ hisce de rebus sibi dicenda videbuntur. Quod quidem eo libentiùs fecimus, quòd ætatis nostræ hæretici (qui se totos ventris obsequio & inertiæ dediderunt) ieiuniorum laborē, & bonorum operum studium, à se, & à perditis hominibus (qui eorum perfidiam sectantur) penitus ablegarint. Quorum quàm sit detestabilis & execrandus error (vt nihil aliud in præsentia dicam) sanctissimorum Patrum dicta, & grauissimæ sententiæ quæ mox sequentur, apertissimè declarant. Vale.

ABSTINENTIA. IEIVNIVM.



Gregor. ADMONENDI sunt abstinentes; vt nouerint, quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, cùm ea, quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largiuntur. Gregorius.

Cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Idem.

Per Simonem, qui signantur, nisi abstinentes: qui foris carnem affligunt, interiùs tamen fructum abstinentiæ non acquirunt. Crucem igitur Domini Simon in angaria portat, quia cùm ad bonum opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo crucem portat, sed in cruce non moritur: quia abstinentes exteriùs per abstinentiam corpus affligunt, sed interius per desiderium mundo viuunt. Gregorius super Euang.

Solus

Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit. Idem lib. 5. Moralium.

Abstinentia est, quæ edendi horam non præuenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis; non lautiora quærit edere, vt Israëlitæ in deserto; non accuratiùs parare, vt filij Heli in Silo; nō ad superfluitatem, vt Sodomitæ; non vile quodlibet, vt Esau edulium in fame concupiuit. Gregorius, vbi suprà.

Magnus discretionis labor est exactori, & aliquid impendere, & aliquid denegare: & non dando gulam restringere, & dando naturam nutrire. Gregorius lib. 30. Moralium.

Cogitandum summopere est, vt, qui se illicita meminit commisisse, à quibusdā etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt, qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat & concessa; & se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. Gregor. Hom. 35. super Euang.

Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solui debitum necessitas petit, voluptas expleri desideriū suggerit: & tanto gula securiùs in præceps ruit, quāto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Gregorius lib. 30. Moralium.

Est alia malitia diei, quæ vtinā sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo. Nunc autem suauis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, &, ne capiar, quotidianum bellum gero. Et mox: Hoc autem me docuisti, Domine, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedisequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo. Nec idem modus vtriusq. est. Nā quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertū fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditas fallaci ministerio se petat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis: vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Ebrietas longè est à me, misereberis, ne propinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo, misereberis, vt longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immun-

August.

Simile.

immunditiam cupiditatis, ideoq; & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio aduersus Dominum murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non enim est quòd semel præscindere, & non vlteriùs attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis tēperata relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis ille est, magnus profectò est; magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis qui vicit seculum, numerās me inter infirma membra corporis sui: quia & imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Augustinus in Confessionibus.

Fieri potest, vt sine aliquo vitio crapulę vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur; insipiens autē fœdissima gulę flamma in cibum vilissimum inardescat. August. de Doct. Christ.

Simile. Sicut ęger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisque accedere; nequaquam scilicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Idem de Conflictu virt.

Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Idem in Sermonibus de ieiunio.

Hieron. Nihil scias conferre Christianis adolescentibus, vt esum olerum. Ardorque corporis frigidioribus epulis temperandus est. Hieronymus in Epistolis.

Nonnulli, vitam pudicam appetentes, in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnis seruant, & leguminibus onerant stomachum. Idem ibidem.

Ante annos robustæ ætatis periculosa est teneris abstinentia grauis. Idem ad Lætam.

Quid prodest tenuari corpus abstinētia, si animus intumescit superbia? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira & odio inebriari? Idem ad Geruntiam.

Pulchrè dicitur apud Græcos: Pinguis venter tenuem non gignit mentem. Sint tibi simplicia, non superstitiosa ieiunia. Quid enim prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultatesque ciborū quærere? caricas, piper, nuces, &c. ac denique totas hortorum culturas vexare? Nouum genus aucupij, famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Idem in Epist. ad Nepotian.

Indorum Brachmanes, & Aegyptiorum Gymnosophistæ in polenta, & oriza, & pomis solummodo victitabant, vt animum transferrent ad sapientiam. Si ergo tanti illi vitrum comparabant,

bant, cur non maioris nos pretiosissimum æstimemus margaritum? Idem ad Lætam.

Cibus puellæ olusculum sit, & similia, raroque pisculi. Sic comedat, vt semper esuriat, vt statim post cibum possit legere & orare. Displicent autem mihi in teneris maximè immoderata ieiunia. Experimento enim didici, asellum in via, cùm lassus Simile. fuerit, diuerticula quærere. Idem ibidem.

Parcus cibus & venter semper esuriens triduanis ieiuniis præfertur: & melius est quotidie parum quàm semel satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram: Simile. subitus & nimis imber in præceps arua subuertit. Quando ergo comedis, cogita quód tibi orandum, & ilicò legendum sit. Idem ad Furiam.

Cùm per omnem annum Asella iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens; tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante coniungens. Et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem possibile, ita ad quinquagenariam peruenit ętatem, vt non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus, in qua cubabat, iacentia membra conficeret, non sacco asperata cutis fœtorem situmque cótraheret: sed sana corpore, animo sanior, solitudinem putaret delicias, & in vrbe turbida eremum inueniret Monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occalluisse reperta est. Nec citus nec tardus incessus: sermo silens, & silentium loquens. Idem de Laudibus Asellæ virginis nobilissimæ.

Si quid in me potest esse consilij, si experto creditur, sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Paulus Timotheo vinum permittit, sed modicum. Meminerat enim se dixisse, Vinum in quo est luxuria. Et, Bonum est homini vinum non bibere, & carnem non manducare. Noë vinum bibit, & inebriatus est. Et vt intelligas in omnibus scripturæ sacramentum (margaritum quippe est sermo Dei, & ex omni parte personari potest) post ebrietatem nudatio femorum consecuta est, libido iuncta luxuriæ. Prius enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur. Lot amicus Dei in monte saluatus, & de tot millibus populi solus iustus inuentus, inebriatur à filiabus suis: quæ etiam, deficiente hominum genere, nihil mali credebant virum iustum, nisi ebrium, esse facturum. Inde nascuntur Moabitæ & Ammonitæ, qui vsq; ad quartam decimam generationem non ingrediuntur in Ecclesiam Dei. Heliæ fatigato, & sedéti in itinere, Dominus panem & aquam solùm, non

carnes aut vinum obtulit. Abacuc Danieli prandium portat, sed, vt arbitror, rusticanum: ideoque & desideriorum vir appellatus est: quia panem desideriorum non comedit, & vinum concupiscentiæ non bibit. Idem ad Eustoch. de Virg. seruanda.

Exceptis diebus festiuis, vix oleum in cibo Paula capiebat: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino, & ouis, & piscibus, cæterisq. iudicaret. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur. Idem in Epitaph. Paulæ.

Quid memorem clementiam & sedulitatem in ægrotantes, quos miris obsequiis & ministeriis confouebat? Cumque aliis languentibus largè præberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium; si quando ipsa ægrota esset, sibi nō indulgebat: & in eo inæqualis videbatur, quod in aliis clementiam, in se duritiam exercebat. Mense Iulio, feruentissimis æstibus, incidit in ardorem febris: & post desperationem cùm Dei misericordia respirasset, & medici persuaderēt ob refectionem corporis, vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens in hydropisim verteretur, & ego clàm rogarem beatum Papam Epiphanium, vt eam moneret, imò compelleret vinum bibere: illa, vt erat prudēs & sollertis ingenij, statim sensit insidias, & subridēs, meum esse quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cùm beatus Pontifex post multa hortamenta exiisset foras, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, vt seni homini penè persuaserit, ne vinum bibam. Hæc refero, nō quòd probem (dicente Scriptura, Supra te onus ne leuaueris) sed quo mentis eius ardorem significem. Idem ibidem.

Galenus, vel doctissimus Galeni interpres ait, eos quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse: animasque ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare. Hieronymus in Epist.

Simile. Non sanat oculum quod calcaneo adhibetur: ieiunio passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis. Idem super Marcum.

Bernard. Obseruandus est sumendi cibi modus & tempus, quantitas & qualitas: fugienda quoq. sunt superflua & adulterina condimenta. Obseruandus est modus, vt non effundat qui comedit animam suam super omnem cibum. Tempus, ne ante horam. Qualitas, quibus vtitur communitas fraternitatis, excepta causa manifestæ infirmitatis. Bernardus in Epistolis.

Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit: si verò peccauerunt & cætera membra, quare non ieiunent & ipsa? Ieiunet ergo oculus, qui deprædatus est animam: ieiunet auris, ieiunet

ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa, à propria scilicet voluntate. Idem in Sermonibus.

Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit: talis misericordia crudelitate plena est, qua etiam ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ etenim charitas est, carnem diligere, & negligere spiritum? quæ discretio, totum dare corpori, & animæ nihil? qualis misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam. Idem in Apologia.

Duriùs tractandum quidem est corpus, ne rebellet, ne insolescat: sic tamen, vt seruire sufficiat, quia ad seruiendum spiritui datum est. Neque sic habendum est, tanquam propter illud viuamus, sed tanquam sine quo viuere non possimus. Idem in Epistolis.

Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, moue brachia, cõplosas explica manus, exercitare in aliquo: & statim senties, sola te appetere quę famem tollãt, non fauces demulceant. Reddet enim sapores cibis exercitium, quos tulit inertia. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desiderio. Idem ibidem.

Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico vtar, iuxta consilium Apostoli. Abstinebo & à carnibus, ne, dum mihi nimis carnem nutriunt, simul & carnis nutriant vitia. Panem etiam ipsum cum mensura studebo sumere, ne, onerato ventre, stare ad orandum tædeat. Idem super Cant.

Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiã promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ieiunium sanctificat, & Deo repræsentat. Idem in Sermonibus.

Quid nobis ieiunium proderit, si relinquatur in terra? Subleuetur penna quadam orationis. Idem ibidem.

Ieiunia cum operibus bonis Deo acceptabilia sunt. Qui à cibis abstinent, & praua agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper adest. Isidor. de Summo bono. Isidor.

Hoc est perfectum & rationabile ieiunium, quando noster homo exterior ieiunat, interior orat: faciliùs enim per ieiunium oratio penetrat cælum. Idem ibidem.

Spernitur ieiunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur. Spernitur ieiunium, quod in vesperum deliciis compensatur. Tota enim die epulas in cogitatione ruminat, qui ad replendam gulam vespere cibi delicias præparat. Idem.

Corporis debilitas nimia vires animæ frangit, mentisque ieiunium facit arescere, nec valet quicquam boni per imbecillitatem perficere. Idem.

Ligna multa magnam extollunt flammam, abundantiæ autem escarum nutriunt desideria mala. Ex vit. Patr.

Euseb. Emiss. Erit magnus coram Domino; vinum & siceram non bibet. Abstinentiæ merita,& iter arduum militiæ spiritualis, humano generi insinuare curauit. Sciuit quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria: sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ diuina in se vota seruare contendit. Euseb. Emiss. Hom. de sancto Ioanne Baptista.

Chrysost. Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps verò indifferens est quod ingeritur: omnia ex æquo ad fœtorem vsque alterante natura perueniunt. Chrysostomus.

Petrus Rauen. Est quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Est ieiunium pax corporis, membrorũ decus, & ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, Ecclesiasticæ vitæ viaticũ salutare. Est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc vincit, tũc viget, tunc triumphat, cùm duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas, ieiunij sunt alæ; per quas tollitur & portatur ad cælum: sine quibus iacet & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulacrũ famis est, non imago sanctitatis. Sine pietate ieiuniũ occasio est auaritiæ, non est propositum parcitatis: quia parcitas ista quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sacculo. Qui nõ ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans prandium suum non erogat, sed reponit, cupiditati probatur ieiunare, nõ Christo. Ieiunantes ergo, fratres, prandium nostrum ponamus in manu pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Petrus Chrysologus in Sermone de Ieiunio & eleëmosyna.

Hugo. Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri templum est coquina, altare, mensa, ministri, coqui; immolatæ pecudes, coctæ carnes; fumus incensorum, odor saporum. Hugo in Claustro.

Innoc. Initium vitæ hominis, aqua & panis: gulosis autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aues cæli; sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, & nutriuntur altilia, capiuntur obesa. Quæ studiosè coquuntur arte coquorum, quæ lautè parantur officio ministrorum, alius contundit & colat, alius confundit & conficit, substantiam conuertit in accidens, naturam mutat in artem, vt saturitas in esuriem. Innocent. de vilitate conditionis humanæ.

Ioan. Cassian. Pulchrè abbas Macharius cuidam percunctanti, cur fame ab hora

hora tertia pulſaretur, qui in cœnobio hebdomadis integris refectionem ſæpe contemnens, non ſenſiſſet eſuriem; reſpondit: Quia hîc nullus eſt ieiunij tui teſtis, qui te ſuis laudibus nutriat aut ſuſtentet. Ibi autem digitus hominum, & xenodochiæ refectio ſaginabat. In Collat. Serapion.

Sæpe ſi obſeruemus, ridiculũ quid dæmones cõtra nos moliri inueniemus: ſaturatos enim nos pungunt (id eſt, inſtigant ad lacrymas) ieiunantes autẽ indurant; vt ſpuriis lacrymis decepti, voluptati perturbationũ parenti nos dedamus; quibus non obediendum, ſed contrarium potiùs faciendum eſt. Climacus. Ioan. Clim.

Maledicta in ſeculo atq; iniuriæ multa ſæpe diſſidia fecerũt; ita & in religioſis congregationibus gulæ illecebræ ruinam omnem, & negligentiam, atque contemptum operantur. Hanc tu rabidam dominam ſi ſubigere volueris, omni in loco placidiſſimam quietem acquirere valebis. Illa verò ſi tibi dominetur, extra monumentum omni loco periclitaberis. Idem.

Mens ieiunantis cum ſobrietate orat: intemperantis autem impletur immundis imaginibus. Qui ventri dum obſequitur, fornicationis ſpiritum vincere vult; is ei ſimilis eſt, qui oleo incendium extinguere nititur. Si affligatur venter, humiliabitur cor: ſi autẽ ille foueatur, ſuperbit cogitatio. Afflige ventrem, & omninò frenabitur lingua: quippe multitudine eſcarum hæc neruos accipit. Idem ibidem.

Cùm ad menſam epulis inſtructã diſcũbis, procedat in medium iudicij mortiſq; memoria. Vix enim vel parum concupiſcentię obſiſtes. Dum calicem bibis, memento item aceti felliſq; Domini tui: prorſuſque aut continebis, aut certè per gemitum ſenſu humiliore eris. Noli errare. Nunquam à Pharaone liberaberis, neque ſupernum Paſcha celebrabis, niſi amaritudines comederis. Amaritudines ſunt ieiunij violentia & afflictio. Azyma verò, ſenſus minimè inflatus. Idem ibidem.

Ieiunium eſt naturæ violentia, circuncíſio ſuauitatis fauciũ, incentiuorum omnium abſciſſio, malarum cogitationũ amputatio, inſomniorum liberatio, orationis munditia, inſigne lumẽ animæ, mentis cuſtodia, obcæcationis ſolutio, compunctionis ianua, ſuſpirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occaſio, obedientiæ cuſtos, ſomni alleuiatio, ſanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remiſſio, paradiſi porta & deliciæ. Idem ibidem.

Cùm veniſſem aliquando in caſtellum quoddam ſiue ciuitatem, ſederemque ad menſam iuuenis adhuc, duobus ſimul vitiis oppugnari me ſenſi: gulæ concupiſcentia, atque inani gloria. metuens tamen inſaniſſimæ gulæ progeniem, inani gloriæ magis me ſuperandum dedi. Idem Gradu 29.

Apud

Apud eos quidem qui in mundo sunt, radix malorum omnium est auaritia: apud Monachos verò gulæ concupiscentia. Idem ibidem.

Simile. Sicut stercoris copia multitudinem vermium gignit; ita multitudo ciborum, lapsuum & malarum cogitationum atq; somniorum operatur multitudinem. Idem de compendios. suprà dict. om. recap.

Simile. Sicuti is qui aduersum leonem pugnat, si ab eo oculum aliorsum deflectat, confestim perit: ita & qui contra carnem suam pugnat, si hanc per quietem nimiùm fouerit. Idem ibidem.

Mensa neglecta mater est confidentiæ, & per fenestram charitatis ventris sæpe ingluuies ingreditur. Clim. Grad. 9.

Gastrimargia est simulatio ventris: cùm enim satiatus fuerit, indigere se clamat; & cùm distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. Gastrimargia est saporũ variorumq; liquaminum opifex, suauitatum fons, Gastrimargia est oculorum seductio, modica suscipiens, & vniuersa simul absorbere suggerens. Escarum satietas fornicationis est mater, afflictio autem vẽtris charitatem parit. Qui leonem blãda demulcet manu, nonnũquam illum ita mansuefacit: qui verò corpus obsequiis fouet, ipsum ampliùs efferauit. Mox vt aduenit hospes, in charitate totus ex gulæ concupiscentia mouetur, detrimentumque suum cõsolationem fratris existimat: in aduentu quorundam vinum bibere statuit, & dum virtutem abstinentiæ sibi videtur occulere, vitij seruus efficitur. Aduersus gastrimargiam sæpè inanis gloria inimicitias gerit, & super infelici Monacho, quasi venali mancipio, inuicem pugnant. Idem Gradu 14.

Dissimil.

Laxi & molliti vteres capaciores fiunt: sin autem negligãtur, minus capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatauit intestina: qui verò aduersus hunc pugnat, contraxit ac restrinxit illa. His autem restrictis, nihil est opus pluribus cibis, tuncque iam naturaliter ieiunantes efficimur. Idem ibidem.

Simile. Neque illud te lateat, quòd plerumque dæmon stomacho insidet nostro, facitque vt homo nunquam satietur, etiam si vniuersam comederit Aegyptum, totumque Nilum biberit. Post cibum, gulæ iniquus spiritus abscedit, fornicationisque nobis spiritum immittit, illique quid fecerit, nũcians, Apprehẽde, inquit, illum, occupa, atque perturba. Nam ventre distento, non multum in deijciendo laborabis: qui cùm venerit, cõtinuò subridet, somnoque deuinctis nostris manibus & pedibus; omnia quæcunq. voluerit facit, atque animam nostram corpusque contaminat phantasiis, inquinationibus, obsceniique liquoris egestionibus. Et est sanè mirandum spectaculum, videre incorpoream mentem fœda corporis colluuione maculari atque obscura-

obſcurari,eandemque rurſus per carnis huius lutum emundari, atque in tenuiſſimam naturæ ſuæ redire ſubſtantiam. Idem ibidem.

Princeps eſt dæmonum qui cecidit Lucifer, & princeps vitiorum concupiſcentiæ gulæ. Cùm ad menſam epulis inſtructam diſcumbis,procedat in medium iudicij mortiſque memoria. Vix enim vel parum concupiſcentiæ obſiſtes. Dum calicem bibis, memento item aceti, felliſque Domini tui, prorſuſque aut cõtinebis,aut certè per gemitum ſenſu humiliore eris. Noli errare. Nunquam à Pharaone liberaberis, neque ſupernum Paſcha celebrabis, niſi amaritudines comederis. Amaritudines ſunt, ieiunii violentia & afflictio; azyma verò, ſenſus minimè inflatus. Idem ibidem.

Interrogemus vt alios, ita & hunc, imò verò præ aliis omnibus hunc noſtrorum hoſtium præceptorem, vitiorum ianuam, ruinam Adam, Eſau perniciem, interitum Iſraëlitarum, Noë turpitudinem, Gomorrhæorum proditorem, Lot crimen, filiorum Heli exterminationem, inquinationum ducem, vnde gignatur? quinam ſint eius nati? quis item ſit à quo conteratur, & à quo in finem perimatur? Dic nobis ô mortalium omnium nimiùm violenta domina (quæ omnes auro inexplebilitatis emiſti) vnde tibi introitum in nobis paras? quídve poſt ingreſſum tuum parare conſueuiſti? & quis nam ſit exitus ex nobis tuus? quonam ſcilicet modo abs te liberamur? Illa verò agitata contumeliis, nobis ita tyrannicè cruenta feroxque reſpondebit: Quid me maledictis inceſſitis, qui mihi eſtis obnoxij? aut quomodo ſeparari à me ſtudetis, quæ naturæ connexa ſum? Stirpium verò mearum nomina quomodo quæritis addiſcere? Dinumerabo eas, & ſuper arenam multiplicabuntur. Primogenitorum tamen meorum, eorum qui chariſſimi ſunt, appellationes audite. Filius primogenitus meus fornicationis incentor eſt. Secundus ab illo eſt obdurationis auctor. Somnus eſt tertius. Mare cogitationum, inquinationum fluctus, profundumque ſecretarum atque ignotarum immunditiarum ex me prodeunt. Filiæ verò meæ ſunt deſidia, loquacitas, confidentia, ſcurrilitas riſum mouens, contradictio, ceruicis duritia, tarditas ad audiendum, inſenſibilitas, captiuitas, elatio atque tumor, temeritas, mundi amor. Cui ſuccedunt oratio immunda, fluctuſque cogitationum: nonnunquam verò calamitates quoque præter omnem ſpem & expectationem, quas deſperatio ſequitur, omnibus acerbior & grauior. Oppugnat quidem me, ſed non ſuperat, peccatorum memoria: inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. Nihil verò in hominibus eſt, quod me perfectè deſtruat. Qui paracletum poſſidet, interpellet eum

cum aduersum me, illeque exoratus, non me permittet operari vitiosè. Qui verò nullum illius gustum susceperunt, dulcedinis ac suauitatis meæ rapiuntur illecebris. Idem ibidem.

Philo. Continentiæ proprium est sanitas & robur; incontinentiæ autem, imbecillitas & ægritudo morti vicina.

Epictet. In conuiuiis memento duos tibi hospites esse nutriendos, corpus, inquam, & animam: & quidquid in corpus contuleris, id statim effundi; quod autem in animam, perpetuò seruari.

Anach. Anacharsis dixit: Primum quidem poculum quod infunditur, sanitatis est, alterum voluptatis, tertium iniuriæ, vltimum insaniæ.

Sueton. Nemo minùs metuendus, quàm qui de solo victu cogitat.

Cicero. Vt bona valetudo iucũdior est iis qui è graui morbo recreati sunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: sic omnia desiderata magis quàm assiduè percepta delectant. Cicero pòst reditum ad Quirites.

Animaduersa eadem de re à Collectore.

Extractus à Tobia piscis à flumine in siccum cœpit palpitare; qui intra aquam positus, ipsum penè deuoraturus fuisset. Idem autem euenit carni nostræ, cùm vel deliciis fruitur, vel macie & inedia attenuatur: illic enim furit & impugnat spiritum; hîc verò victa atque prostrata iacet.

In omnibus penè rebus quæ animũ oblectant, quàm diu res ipsæ perseuerant, perseuerat item & oblectationis causa. Plantasti pomariũ, ædificasti domum, parasti splendidam vestẽ: hæc ipsa delectant non modò cùm fiunt, sed etiam vbi facta sunt. At tactus & gustus delectationes tam diu perseuerant, quã diu obiectũ hoc supra sensum manet: quo discedẽte, protinus abeũt. Talis autem est edendi bibendique voluptas, cæteræq. similes, vt rectissimè sentire videantur, qui huiusmodi voluptates somniantium voluptatibus similes esse dicant, aut iis etiam quas in scena homines percipiunt, vbi Regis aut Pontificis personam gerunt, quibus nihil breuius esse potest. Quæ ergo insania est, propter adeò breues & momentaneas voluptates & animã inquinare, & patrimonium prodigere, & famam obscurare, & ipsam corporis firmitatem frangere & eneruare?

Prou. 20. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque in his delectatur, non erit sapiens. Item, Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. Quo in loco studiũ magis & animus quàm res ipsa notatur, cùm dicitur; Qui diligit epulas: &, Qui amat vinũ & pinguia: &, Quicunq. his delectatur. Itaque in his delectari, hæc immodicè diligere, est à virtutis & sapientiæ studijs cura carnis auocari.

Quàm

Quàm ſit ingrata Deo ingluuies, latè declaratur Num. 11. vbi populus carnium deſiderio flagrans, bis à Domino percuſſus eſt. Cùm enim cœperunt propter hoc aduerſus Dominum murmurare; ignis ab eo egreſſus, deuorauit extremam partem caſtrorum. Poſteà verò vbi ſe inexplebili auiditate carnibus ab ipſo etiam Deo immiſſis ingurgitare cœperunt; rurſus furor Domini concitatus, percuſſit eum plaga magna nimis. Ex quo loco diſcimus, cupiditatis immoderantiam erga illa etiam quæ conceſſa ſunt, multorum ſæpe malorum cauſam eſſe. Hęc enim cupiditas populum adegit, vt aduerſus Deum rebellaret, & beneficium liberationis ab Aegypto, & quotidiani victus à cælo demiſſi parui penderet, & honeſtum itineris laborem muliebri infirmitate detrectaret. Ex quo diſcimus id quod Auguſtinus ait, ſæpe Dominum iratum petentibus concedere quod propitius negauiſſet. Carnes enim deſiderantibus conceſſit: ſed adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcẽdit ſuper eos, &c. Quia verò horum malorum omnium concupiſcentia illa origo fuit, ideo congruum loco nomen impoſitum eſt, Sepulchra concupiſcentiæ: ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat.

Dæmon dormire dicitur in locis humentibus, hoc eſt, in eorum mentibus, qui ſeſe voluptatibus & ventris obſequio dediderunt. Quid enim ſpirituale aut diuinum cogitare poterunt, qui toto pectore in terram defixi, ventrem ſuum ſibi Deum ſtatuerunt, cui omnia vitæ ſtudia deſtinarunt?

Sobrietatem ac modeſtiam in menſa retinendam monet Ecleſ. 37. his verbis: Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquat ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autẽ abſtinens eſt, adiiciet ad vitam. Eadem de re multa inuenies eiuſdem Eccleſ. 31. cap. vbi ait: Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, vt non, cùm manducas multum, odio habearis. Ceſſa prior cauſa diſciplinæ, &c. Denique ait: Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito: ſomnus ſanitatis in homine parco: & cætera quæ ſequuntur. His omnibus ſententiis Eccleſiaſticus nobis & parſimoniam commendat, & modum in cibo potuque ſumendo præſcribit.

A cæterorum vitiorum congreſſu induciæ nobis ſæpè dantur; nam & auaritiæ & luxuriæ æſtus ſæpe conquieſcunt: ſed cùm edendi auiditate quotidie nobis pugnandum eſt, cùm parcè ac temperanter nobis quotidie cibus ſumendus ſit. Vt enim Caſſianus ait, ſemper nobis edulij & eſcarum ingenitus ac naturalis viget affectus, quamuis amputare ſuperfluos eius appetitus ac deſideria feſtinemus, iuxta illud: Et carnis curam ne

fecceritis

feceritis in desideriis. Hoc enim quidam ex Patribus sub hoc problematis colore figurans, eleganter expressit: Multis, inquit, creditoribus pater meus me reliquit obnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni conuentionis eorum molestia liberatus sum, vni satisfacere quotidie soluendo non possum.

Si quis sanctorum Anachoritarum & Monachorum vitas, quas Theodoretus, Palladius, D. Hieronymus, & Cassianus, cæterique Patres scripserunt, attentè consideret, non poterit satis admirari, cùm tam incredibilem in illis carnis macerationem animaduertit. Non solùm enim inedia, sed ferreis etiam ponderibus, & catenis, & asperrimo vitæ cultu corpus atterebant. Cùm enim satis esse arbitremur, carnem ita castigare, vt in seruitutem spiritus redigatur: isti tamen longè vlteriùs progressi sunt: non enim illam castigare, sed penè conterere, & ad nihilum redigere videbantur. Vt enim alia infinita exempla prætercam, Eusebius Monachus (vt in vita D. Martiani Theodoretus memorat) 120. libras ferri corpori suo impositas gestabat. Mortuo autem magistro Martiano, 80. eius sibi adiecit: beato verò Agapeto condiscipulo suo mortuo, 50. quibus ille onustus incedebat, sibi addidit. De beato autem Sabino mirabile ibidem abstinentiæ genus memoratur. Miscebat quippe farinæ aquam in mensis vnius cibum, vt corruptus alimenti huius & odor & sapor non tam ipsum reficeret, quàm cruciaret. Erit autem operæ pretium huius tantæ rei causas indagare: cùm par sit credere, omnia hæc singulari quodam Spiritus sancti impulsu, non humano consilio, facta fuisse. His enim indagatis, singulares abstinentiæ fructus agnoscemus, quam infelices ætatis nostræ hæretici exsibilare, atque ab Ecclesia eliminare contendunt. Huius ergo rei sex præcipuè causæ (vt alias prętermittam) mihi fuisse videntur. Quæ omnes à perfectæ charitatis natura originem ducunt.

Primùm enim hoc ad plenissimam pro præteritæ vitæ delictis satisfactionem agebant. Vt enim charitatis est, Deo placere velle, & in eius obsequio delectari: ita contrà de commissis aduersus illũ mœrere, & illatæ iniuriæ corporis (quod illis offensionum causa fuit) cruciatibus velle satisfacere. Quod quidem tanto vehementiùs cupiebant, quanto Deum ardentiùs diligebant. Hinc tot rationes excogitatæ, quibus corpus non solùm inedia, sed etiam catenis, & ferreis põderibus, & Solis æstu atque hiemis rigore cruciarent, semetipsos acriter in hoc seculo iudicantes, ne in altero à Domino iudicarentur. Hoc autem affectu atque consilio qui iam ex sanctis illis Anachoritis variis laboribus atque ieiuniis carnem suam macerabat. A quo cùm quidam quęsisset, cur adeò acriter corpus suum penè occideret,

iustè

iuſtè (inquit ſanctus vir) hoc facio; quia illud me priùs occidit.

Secundò verò hac eadem ratione non modò pro veteribus peccatis ſatisfaciebant, ſed ad futura etiam vitanda incredibili virtute & fortitudine armabantur: ad quod eos eadem in Deum charitas incitabat. Scitum enim eſt illud Prophetæ: Qui diligitis Dominum, odite malum. Eiuſdem quippe charitatis eſt, Deum ſummo amore diligere, & peccatum ſummo odio proſequi. Nemo autem peccatum odit, quin peccati radicem & ſeminarium ſimili odio proſequatur. Medicus enim ſimili cura ac ſtudio & contra morbũ & contra morbi cauſas pugnat. Præcipua verò malorum noſtrorum cauſa caro noſtra, hoc eſt, immoderatus eius amor eſt. Ea namq; inter tres præcipuos animæ noſtræ hoſtes numeratur: quoniam & per ſe ſpiritum noſtrum impugnat, & aliis hoſtibus materiam atque aditum in illũ præbere ſolet. Tunc verò aduerſus ſpiritum pugnat, cùm blanda, & mollia, & voluptuoſa, tanta auiditate & ardore concupiſcit, vt diuinas leges propter hæc ipſa bona fruenda violare nos faciat. Hac ergo ratione innumerabilium penè malorũ cauſa exiſtit. Quocirca viri ſancti hoc ipſum probè intelligentes, non hoc ſolum curabant, ne his eius deſideriis ſatisfacerent, ſed vlteriùs etiam progreſſi, ipſam multis modis affligere & macerare nitebantur: vt ſic tandem multo longiùs ab eius indulgentia & obſequio abeſſent. Vt enim hi qui cum hoſte luctantur, non ſatis habent, ſi ita ſe in certamine gerãt, ne ab eo in terram deiiciantur; ſed in hoc etiam nituntur, vt ipſum deiiciant atque proſternant, quo longiùs à periculo abſint: ita hi cum carne ſua, hoc eſt, cum domeſtico & familiari hoſte decertantes, non contenti eò vſque in eius maceratione proceſſiſſe, vt ab illa minimè proſternerentur, in hoc etiam neruos omnes intendebant, vt illam admirabili auſteritate macerarent, quo ab eius ſupplantatione tutiores eſſent. Simile quiddam Philoſophum quendã D. Hieronymus multique alij auctores feciſſe memorãt: qui cùm intelligeret, pecuniã, quæ illi hæreditate obuenerat, curarũ atque malorũ ſibi materiam ſubminiſtrare, ingentem auri maſſam in mare proiecit, dicens: Abite in profundum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Ad hunc ergo modum ſancti illi Patres cum corpore ſuo ſe geſſiſſe videntur, &c.

Pſalm. 96.

Simile.

Simile.

Quia verò ad plenam iuſtitiam ſpectat, non modò à malo declinare, ſed etiam bonum facere, hoc eſt, auctori ſuo gratiſſima obſequia & iuſtitiæ ſacrificia exhibere, ad hoc ipſum hæc abſtinentiæ virtus charitate imperante atque exſtimulãte mirificè illos iuuabat. Vera enim eſt illa D. Gregorij ſententia: Amor Dei nunquam eſt otioſus; operatur enim magna, ſi eſt, &c. Magna verò & Deo grata ſunt, quæ maximè ardua ſunt

Gregor.

(qualis fuit Abrahę obedientia, & sanctorum Martyrum atque B. Iob patientia) ad quę incredibili quodam ardore aspirat charitas, quæ maximè Deo placere desiderat. Quod exemplo suo (vt alios prætercam) B. Pater Dominicus docuit, qui ardore martyrij succensus, omnes corporis sui articulos membratim abscindi, & oculis ostendi, & ipsos deinde oculos effodi, & truncum corpus in sanguine suo volutari vehementissimè cupiebat. Cùm igitur hæc sit diuini amoris natura; quid mirum si sancti illi Anachoritę, ardentissima charitate succensi, cùm martyriorum occasiones deessent, hos corporum suorum cruciatus elegerint: vt per eos tanto magis illi placerent, quem flagrantissimo amore diligebant, quanto grauiores propter illum labores perferebant. Magnum enim veri amoris indicium & argumentum, alacris propter eum, quem diligas, laborũ atque dolorum tolerantia est. Alia quoque huius singularis abstinentiæ causa fuit: quoniam ad contemplationis & charitatis studium (cui illi penitus addicti erant) non satis est à peccatis abstinere; sed omnibus etiam curis & negotijs secularibus renuntiandum est. Curarum enim & negotiorum multitudo mentem distrahit ac deprimit, & à diuinæ pulchritudinis intuitu auocat. Martha
Lucæ 10. quippe sollicita est, & turbatur erga plurima. Hac ergo de causa sancti illi omnes curarum & negotiorum occasiones amputauerunt, dum paucissimis eisdemque obuijs rebus contenti, cætera omnia tanquam curarum & negotiorum seminaria à se repudiarunt. Quod etiam alia ratione confirmatur. Cùm enim perfectio atque profectio Euangelicæ vitæ in hoc præcipuè sita sit (vt quando homo ex corpore & spiritu, velut media quædam inter Angelum & pecudem creatura, constet) necesse est, vt quisquis ad huiusmodi perfectionem aspirat, nobiliorem sui partem in vitæ institutione sequatur, & Angelorum quàm pecudum similior fieri studeat. Vita autem Angelorum est, terrenis omnibus curis & voluptatibus (quibus non egent) neglectis, diuinorum contemplationi semper intendere: nec ab hoc studio vllius mundanæ rei cura auocari. Huc igitur sancti peruenire (quatenus fieri posset) omni ratione contendebant. Et ne corporis cupiditatibus ab hoc studio vllo modo retraherentur, non contenti superflua corporis resecasse, necessaria fre-
Simile. quenter illi subtrahebant: quemadmodum ij faciunt qui curua in rectum flectere volentes, ea in contrariam partem vrgent; hac ratione vt illa ad rectitudinem perducant.

His autem causis aliam quoque addere licet, quæ illorum temporum propria extitisse videtur. His enim laboribus sanctissimi illi viri se ad Martyrum agones perferendos illo tempore parabant; ne, si aliquando fidei vel iustitiæ & religionis gratia

gratia aut exilium, aut alij labores & incōmoda ſubeūda eſſent, hæc ipſa velut inſueta horrentes, in agone deficerent. Cuius rei exemplū nobis Portia Catonis filia, & Bruti vxor exhibet: quæ poſteaquam ſenſit conſpiratum eſſe de Cęſare interficiendo, ea nocte quæ pręceſſit diē in quo Cęſar occiſus eſt, egreſſo cubiculum Bruto, cultellum tonſorium velut vnguium reſecandorum gratia popoſcit: eoque quaſi fortè de manibus elapſo, ſeipſam grauiter vulnerauit. Mox Brutus clamore ancillarū in cubiculū reuocatus, obiurgare eam cœpit, quòd tonſoris præripuiſſet officium. Hîc illa clàm marito, Non hoc, inquit, temerè feci: nam experiri volui, ſi, quod conſtitutum eſt, parum ceſſerit ex ſententia, quàm æquo animo me ferro ſim peremptura. Hoc planè à Chriſtiana religione alienum eſt, quod tamen exempli gratia induximus. Si enim hæc femina viri ſui amantiſſima, his ſe præludiis ad mortem præparabat; quid mirum, ſi ſancti illi Patres, qui pro iuſtitia ad mortem vſque certare parati erāt, his ſe ſpontaneis laborum rudimentis in pace exercerent, quos in vero certamine non iam vt tirones, ſed vt veterani milites non perhorreſcerent? His etiam adde, quòd eadem vitæ aſperitas ad ſolitariam vitam degendam (quam illi tamquam innocētiæ cuſtodem atque miniſtram maximè ſectabantur) vehementer eos adiuuaret. Ad hanc autem vitam Hieremias Propheta inuitat his verbis: Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & tacebit. Quod quidem ipſe Propheta, vt omnes peccandi occaſiones declinaret, ſe quoque captare fatebatur, cùm ad Dominum diceret: Sedebam ſolus, quia comminatione repleſti me. Hoc autem vitæ genus facilè ſequi poterit, quiſquis vili cibo eoque obuio contentus, corpus alere ſtudet, non oblectare. Itaque Ioannes Baptiſta, qui tam vili ac parabili cultu victuque contentus erat, poterat planè in deſerto vitam agere; qui ſi aliud voluiſſet, neceſſariò turbam & frequentiam hominum quærere debuiſſet.

Thren. 3.

Hier. 15.

Inſigne exemplum tum orationis, tum etiam abſtinentiæ (quæ orationis comes eſt) refertur in vita B. Doſithei diſcipuli B. Dorothei, quod hoc in loco propter vtilitatem legentium attexere libuit: in quo mira etiam propriæ voluntatis abnegatio atque abdicatio apparet. Sic igitur de eo ſcriptum inueni: Vixit B. Doſitheus circiter annos quinque, & ſub obedientiæ mortuus eſt iugo. Dedit autē operam, vt omnibus in rebus ſeſe voluntati magiſtri ſui ſubderet. Quādo verò langueſcere & ægrotare cœpit, ac ſanguinē ſpuere (tabifico enim morbo extinctus eſt) audiuit à quodam, oua ſorbilia multùm cōferre ac prodeſſe his qui ſanguinē excreant. Ait ergo magiſtro ſuo B. Doſitheus, Pater, vellem tibi dicere de re quadam, quam mihi admodum

profuturam audiui. Sed nollem mihi eam concederes, neque impartires omnino, quoniam me admodum huiusce rei cogitatio infestat. Ait illi Dorotheus: Dic mihi, Dosithee, dic mihi, quæso, quænam sit res illa? Ait Dositheus: Sponde mihi non daturum illam, quandoquidem (vt dixi) illius rei cogitatio me infestat. Cui Dorotheus, Probè, inquit, faciam vt dicis. Quid nam vis? Audiui, inquit ille, à quibusdam, quòd oua sorbilia multùm his, qui sanguinem expuūt, cōferant. Sed te per Deum obsecro, cùm non tu præueneris vt dares mihi, noli ampliùs exhibere propter animi mei cogitationem. Ait illi B. Dorotheus: Quoniam non vis, non dabo tibi, ne affligaris. Studebat autem Dorotheus exhibere illi pro ouis alia quędam vtilia, atque illi morbo salutaria, quandoquidem ipse dixerat turbari se in ouorum cogitatione. Ecce cùm in tam lethiferi morbi esset agitatione, conabatur tamen, & virili certamine pugnabat propriam abrumpere voluntatem. Habebat enim Dei sui iugem memoriam. Nam ei totum se mancipauerat dediderat que, iugiter dicendo: Domine Iesu Christe, miserere mei. Interdum verò, Fili Dei, aiebat, adiuua me. Huiuscemodi quidem orationem semper ore suo voluebat. Cùm verò ita languidus esset & imbecillis, vt vlteriùs progredi penitus nequiret, dicebat B. Dorotheus: Dosithee meditare, ac contemplare, & curæ tibi sit oratio; caue ne illam remittas. Ille autem respondebat: Bene, pater; ora pro me. Rursùs cùm subingrauesceret morbus, ait illi Dorotheus: Quid est Dosithee? Quomodo se habet oratio? Adhuc perstát-né, an cessat? Cui ille: Etiam pater, sed tuis precibus. Vbi verò magis ac magis ingrauescere cœpit morbus & imbecillitas, ita vt in sindone gestaretur; ait illi: Quomodo oratio Dosithee? Tunc ille ait: Ignosce mihi pater, iam ampliùs incumbere illi nequeo. Ait illi Dorotheus: igitur dimitte eam, & ab oratione cessa. Verumtamen Dei memoria nunquam abscedat abs te. Cogita illum semper adesse, teque illius conspectui semper assistere. Hoc autem exemplum, & cætera quæ de viris sanctissimis paulo antè commemoraui, non tam ad imitationem, quàm ad diuinæ virtutis & gratiæ admirationem scripta sunt. Ad hæc enim sanctissimos illos viros Spiritus sanctus excitabat, vt hoc exemplo nobis & gratiæ suæ potentiam commendaret, quæ multo plus etiam, quàm quod diuinis legibus decernitur, præstare potest; & negligentium socordiam damnaret, qui, ne tantis quidem diuinæ gratiæ opibus adiuti, diuinis præceptis obsequi volunt.

MISE-




VNC plena cordis nostri compassio est, cùm mala inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, vt illum à passione liberemus. Plus est aliquando cōpati ex corde, quàm dare: quia quisquis indigenti perfectè compatitur, minùs æstimat omne quod dat, & rem quamlibet plerumque dat qui non compatitur. Gregorius libro 20. Moralium. Gregor.

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectiùs sentit dolores alienos. Gregorius 19. Moralium.

Sic mens per compassionem doleat, vt & larga manus affectum doloris ostendat. Gregorius in Homiliis.

Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est, obtulit auctori; & hoc quod maius est, seruauit iniquitati. Gregorius 19. Moralium.

Ille perfectè tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit, vt priùs in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Gregorius vbi suprà.

Gregorius super illud Iob 27. Diues, cùm dormierit, nihil secum auferet; sic ait: Tolleret tunc res secum, si ad petentis vocem sibi tulisset: nam terrena seruando, amittimus; largiendo, seruamus. Diu cum rebus nostris durare non possumus: agendum ergo, vt res perituras in non perituram faciamus transire mercedem. Moralium 18. cap. 10.

Diues epulo serò oculos aperuit, compulsus in damnatione cognoscere quid perdidit, quando Lazarum non agnouit. Iustè autem qui de abundantia peccauit, æstuanti crematur inopia: guttam aquæ petiit, qui micas panis negauit. Gregorius Moralium 18. cap. 10.

Cùm suppetunt temporalia, celeriùs dantis manus dationē inuenit, quàm animus dolorem. Ille ergo perfectè tribuit, qui cùm pecuniam afflicto porrigit, eius in se animum sumit. Gregorius 20. Moralium cap. 27.

Tunc plena est cordis compassio, cùm inopiam pro proximo suscipere non metuimus, vt illum liberemus. Quare Christus nequaquam nobis vim suæ dilectionis ostenderet, si hoc, quod à nobis tulit, non ad tēpus ipse sustineret. Gregorius vbi suprà.

Qui exteriora largitur, rem extra se positam tribuit: qui autem fletum aut compassionem, aliquid sui ipsius dat. Gregorius vbi suprà.

Gregorius super illud Iob 31. Si comedi buccellā; sic ait: Pie-

tati se præiudicium facere existimat, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset. 21. Moral. c. 12.

Quidam priùs pauperem contumeliis afficiunt, quàm dent eleemosynam. Videtur ergo quòd illatæ iniuriæ satisfactionem soluunt, dum dona largiuntur. Gregor. 21. Moral. c. 13.

Gregor. super illud Lucæ 16. Vt, cùm defeceritis, recipiant vos, &c. sic ait: Ergo patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis largiamur. 21. Moral. c. 14.

Cùm pauperes conspicimus, quanta nobis desint interiora pensemus; quatenus sese cogitatio nostra super inopes non eleuet, cùm videt quòd quanto interiùs, tanto veriùs pauperes sumus. Gregor. 21. Moral. c. 14.

Gregor. super illud Iob 31. Si despexi prætereuntem, &c. sic ait: Nempe quia apud piam mentem plus natura valet, quàm notitia. Qui enim indiget, eo ipso, quo est homo, ei non est ignotus. 21. Moral. c. 14.

Gregor. Hom. 27. in Euangelia super his verbis: Et fructus vester maneat, sic ait: Omne quod secundùm præsens seculum laboramus, vix vsque ad mortem sufficit. Mors namq. interueniens fructum nostri laboris abscindit. Quod verò pro æterna vita agitur, etiam post mortem seruatur. Et tunc apparere incipit, cùm laborum carnalium fructus cœperit nõ videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, vbi ista terminatur. Tales fructus operemur, qui maneant: tales fructus operemur, qui (cùm mors cuncta interimat) ipsi exordium à morte sumant. Nam quòd à

Psal. 126. morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta, qui dicit: Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem terrenam: sed cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini: quia electi Dei, postquam peruenerint ad mortem, tunc inueniunt hæreditatem. Gregor. vbi suprà.

Terrena omnia seruando amittimus, largiendo seruamus. Idem.

August. Memento quid purpurato diuiti contigerit: qui non ideo damnatus est, quòd aliena tulerit, sed quòd egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hîc parua negauit. August. de conflictu vit.

Qui dat eleemosynam vt careat tædio interpellantis non vt reficiat viscera indigentis, & rem & meritum perdit. Idem super Psalmos.

Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. Idem super Ioan. in Homil.

Hieron. Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores: & impossi-

impossibile est multorũ preces nõ exaudiri. Hieron. ad Nepot.

Sanctus Exuperius, Tholosanæ vrbis Episcopus, esuriẽs pascit alios; & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena; omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro: qui auaritiam eiecit à templo, & cathedras vendentium euertit. Idem in Epist. ad Rust. monach.

Velimus, nolimus, senescimus. Paret sibi viaticum quod longo itineri necessarium est. Secum portet quod inuitus dimissurus est: imò præmittat in cælum, quod si negauerit, terra sumptura est. Idem ad Furiam.

Beata Paula pauperes omnes ac debiles curiosissimè tota vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam eorum cibo sustentaretur alieno. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur. Et mox: Fateor errorem meum, cùm in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferẽs de Apostolo, non vt aliis refrigerium, nobis autem tribulatio. Et, Qui habet duas tunicas, &c. Illa contrà testem inuocabat Deum, se hoc habere voti, vt mendicans moreretur, vt vnum numũ filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra ac seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur: quos in sapphirũ, & smaragdum, & iaspidem esse vertendos Scriptura commemorat. Idem in Epitaphio Paulæ.

2. Cor. 8.
Lucæ 3.

Misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire; iuuare pauperem, non examinare iustitiam. Ambros. in Epist. *Ambros.*

Affectus dantis, collatorem aut diuitem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Idem de offic.

Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat etiam necessitatibus. Idem ibidem.

Necessitates aliorum, quantum possumus, iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Nihil tàm secundùm naturam est, quàm iuuare consortem naturæ. Idem de offic.

Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. Idem ibidem.

Non minoris est criminis, habenti tollere; quàm cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum, quod tu includis; miserorum redemptio & absolutio pecunia quam tu in terra fodis: tãtorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare, & nolis.

Non sunt bona hominis quæ secũ ferre nõ potest. Sola miseri-

cordia comes est defunctorum. Idem in quodam Sermone.

Psalm. 75. Super illud, Dormierunt somnum, &c. Hoc est dicere: Nihil inuenerunt in operibus suis diuites, qui nihil pauperibus contulerunt. Nullius iuuerunt inopiam, nihil ad vtilitatem suam proficientes reperire potuerunt. Idem.

Bernard. O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit: de sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. Bernardus in Apologia.

Petrus Rauen. O insignem paupertatis excellentiam! hæc Dei persona fit: Deus in paupere absconditur; & pauper quidem porrigit manum, Deus autem suscipit quod offertur. Chrysologus.

Eleemosyna non æstimatur ex mensura largitionis, sed ex animi liberalitate. Idem.

Obturatis auribus diuitis, nihil esset vox vnius clamantis. Vnde Dominus ad aperiendum cor eius, totum corpus Lazari vlceribus cooperuit, vt tot essent ora clamantia, quot ylcera existentia. Idem in Serm. de diuite & Lazaro.

Super illud Matthæi: Esuriui, &c. In regno cæli coram omnibus Angelis, in conuentu resurgentium, quòd Abel passus sit, quòd mundum conseruauit Noë, quòd Abraham fidem seruauit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem Iesu primus ascendit, Deus tacet; & clamat solùm, quòd pauper comedit, dicens: Esuriui, &c. Qui enim misericors est, misericordia dignus est. Idem in quodam Sermone.

Fratres, esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris Simile. ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota faciunt germina florere camporum: ita misericordia tota ieiunij semina producit in florem, in cælestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, Simile. hoc ieiunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna no- Simile. scitur esse ieiunio. Sicut iubar solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem: sic eleemosyna ieiunij sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, cùm à corpore anima recedit: ita mors est ieiunij largitatis abscessus. Idem de ieiunio & eleemosyna.

Manus

Manus pauperis, Abrahæ ſinus eſt: vbi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Theſaurus cæli eſt manus pauperis: quod ſuſcipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Theſaurizate vobis (inquit) theſauros in cælo. Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti; quia quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum: da numum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus: Miſericordiam volo. Oſeæ 6. Qui, quod vult Deus, Deo negat; à Deo ſibi, quod deſiderat, vult negari. Miſericordiam volo. Homo, petit Deus, ſed tibi, non ſibi. Miſericordiam volo. Humanam miſericordiam petit, vt largiatur diuinam. Eſt in cælis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias peruenitur. Domine (inquit) Pſalm. 34. in cælo miſericordia tua. Dicturus cauſam in iudicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet: Beati (inquit) miſericordes: quia ipſi Matth. 5. miſericordiā conſequentur. Gratis miſericordiam ſperat ibi, qui hîc non fecerit miſericordiam. Qui facit miſericordiam, currit ad præmium: qui non facit miſericordiam, decurrit ad pœnam. Idem ibidem.

Nulli paruus eſt cenſus, cui magnus eſt animus; nec de rei Leo Papa. familiaris menſura pendet modus pietatis. Maiora quidem ſunt impendia diuitum, & minora mediocrium: ſed nec diſcrepat fructus operum, vbi non deeſt affectus operantium. Leo Papa in apparit. Domini.

Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Idem ibidem.

Miſericordię virtus tanta eſt, vt ſine illa cęteræ, etſi ſint, prodeſſe non poſſint. Quamuis enim aliquis fidelis ſit & caſtus, & ſobrius, & aliis maioribus ornatus inſignibus, ſi miſericors tamen non eſt, miſericordiam non meretur. Idem in Serm. de apparit. Domini.

Compaſſio ex virtute eſt, quando propter Deum alienis doloribus Hugo. compatimur: cùm ſcilicet iuſtitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compaſſio ex vitio culpabilis eſt: compaſſio ex natura irreprehenſibilis eſt: compaſſio ex virtute laudabilis eſt. Prima reprehenditur, tertia laudatur; ſecunda nec culpam habet, quia ex natura eſt; nec præmium, quia ex virtute non eſt. Hugo de 3. volunt. Chriſti.

Differunt miſericordia & miſeratio, ſicut fons & riuulus. Miſericordia enim quaſi fons eſt affectus: miſeratio quaſi riuulus affectus. Idem.

Euseb. Emiss. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te; orationibus autem & eleemosynis purgantur peccata. Per vtramque ergo rem, sed maximè per eleemosynam, Dei misericordia requirenda est. Oportet itaque vt sibi res vtraque consentiat; illa rogat, hæc impetrat: illa quodammodo iudicis audientiam deprecatur, hæc gratiam promeretur: illa ostium pulsat, hæc aperit: illa prodit desiderium, hæc desiderij procurat effectum: ista supplicat, sed supplicantem ista commendat. Deinde Tabithæ exemplum profert, & amplificat. Eus. Emis. in Hom. de initio Quadrag.

Charitas prona sit ad misericordiam; non insultans peccantibus, sed condolens: facilis enim est lapsus ad vitia; & fragilitas cōditionis humanæ, quidquid cernit in alio, hoc in se debet pertimescere: cumque alius fuerit pro errore correptus, illius emēdatio nostra sit cautio. Idem in Hom. 8. de Pascha.

Cassiod. Oleum pietatis, & miserationis vnguentum, quanto copiosiùs in fraternas necessitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur. Alludit ad viduæ oleum, quod effusione augebatur. Cassiod. in Epist.

Marcus. Magna vis est eleemosynæ: siquidem nutritores suos multa cum fiducia in regnum cælorum introducit. Nota est enim ianitoribus cæli, qui thalami fores custodiunt: nec nota solùm, sed etiam venerabilis: & à quibuscumque se honoratam cognouerit, illos confidenter introducet. Nam si Deum in terram deduxit, & hominem fieri persuasit; multo magis hominem in cęlum adducere poterit. Marcus.

Penes nos situm est, vt Deus misereatur nostri: ipse nobis hanc gratiam condonauit. Nempe si offeramus ei quæ misericordia & benignitate eius indigna non sint, miserebitur nostri: si verò nos nulla nostri misericordia tangamur, quis nobis parcet? Miserere proximi, & misericordiam à Deo consequêris. Non ita laudandus est qui magnum aliquem suscipit, vt qui miserum & ærumnosum. Et qui colit hominem præstantem & clarum, sæpe ad ostentationem coram hominibus id facit: qui verò abiectum & desperatum curat, propter solum Dei præceptum id agit. Idem.

Misericordia expers est omnis sceleris, omnia reddit pura. Hæc & ieiunio & cubitu super humum (quamuis molestioribus magisque laboriosis) melior est, vtpote vtilior: hæc animam colorat; subtilem, pulchram, & formosam efficit. Idem.

Anima, sine misericordia sterilis est. Hoc illud est, quo Deo similes nos euadere licet, misereri, inquam, & condolere. Hoc nisi habeamus, priuati sumus omnibus. Christus non dixit, Si ieiunetis, similes eritis Patri vestro; nec, si castitatem tueamini.

Quid

Quid igitur? Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est. Et, Misericordiam, inquit, volo, non sacrificium. Lucæ 6. Oseæ 6.

Nisi essent pauperes, non tam multa peccata abolerentur. Pauperes nobis vulnerum nostrorum medici sunt. Remedia nobis porrigunt manus suę. Non adeò medicus extendens manus, & imponens pharmaca, sanationem efficit, quàm pauper manus extendens, & quæ porrigimus accipiens, abstersio est malorum nostrorum. Idem.

Cæcus misericordiam consecutus ad regnum cælorum deducere nouit: & quamuis ad parietes offendens, & incidens in foueas, ducem se præstat ascensionis in cælum. Idem.

Quid frustra laboras, ô diues, res pauperum in thesauris tuis recondens? Cur indignaris petentibus illis, tanquam de tuo expendas? Bona paterna petunt, non tua: quæ tibi commissa sunt ipsorum gratia, non tecum nata. Da quę accepisti, & vsum eorũ tibi concessum in lucro ponas. Satis est tibi, quòd dare, non accipere destinatus sis. Idem.

Sacerdotes antiquo ritu inungebãtur oleo, vt & sacerdotium à misericordia inchoaret. Reges etiã vngebantur oleo. Omniũ enim, inquit, misereri debes, cùm possis omnia. Nempe hoc ipsum misereri proprium est principatus. Cogita quòd mundus per misericordiã constitutus sit, & imitare Dominum. Misericordia hominis in proximum suum, Domini autem in omnes homines extenditur. Idem.

Facilè posset Deus neminem facere pauperem; sed ita beneficentiæ ansam adimeret, nec ampliùs vellet aliquis condolere. Nunc verò alij aliorum gratia vel diuites vel egeni sunt, vt locus & materia beneficentiæ suppetat. Idem.

Omne quod nostrum est, tunc magis nostrum est, si sit nobis commune cum fratribus. Chrys. in Serm. Chrysost.

Non bene facit, qui benefacit: sed beneficium ipse accipit potiùs quàm dat. Maiora enim accipit quàm largiatur: quoniã Deo mutuum dat, non hominibus. Auget opes, non minuit. Minuit autem, si nihil elargiatur. Idem.

Qui parcè seminat, parcè & metet. Qua igitur, quæso, ratione parcis ac retines? Si terram fertilem coleres, non tantùm illam seminando propria horrea vacuares, verùm etiam mutuares aliunde quod sereres. In cælo verò operans, atque ibi fructum requirens, vbi nulla aëris inęqualitas, corruptio nulla vẽtorum est, sed plurimo vbique cum fœnore semina cuncta proueniunt, cunctaris atque dissimulas, nec intelligis quia possumus & parcendo perdere, & spargendo colligere. Idem super Matth. Hom. 5. oper. perf. Simile.

Talem te famulis tuis præbe, qualem tibi Deum optas: au- Philon.

diemur

diemur enim à Deo, ſicut nos audimus: & aſpiciemur ab ipſo, vt nos aſpicimus. Offeramus igitur miſericordiam pro miſericordia, vt pro ſimili ſimile adipiſcamur. Philon.

Quintil. *Nihil ingenioſius vera pietate eſt.*
Ouid. *Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis.*
Adilon. *Miſeratio comes eſt calamitatis.*

Cicero. Homines ad Deum nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Cicero pro Ligario.

Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines. Idem 1. de Oratore.

Animaduerſa eadem de re à Collectore.

Auguſt. Miratur iure D. Auguſtinus quòd filij huius ſeculi lõgè plura & grauiora pro perituris huius ſeculi rebus patiantur, quàm nos propter Deum noſtrum, qui nos, cùm nondũ eſſemus, condidit; & cùm perditi eſſemus, redemit. Cõſidera quid agricolæ, quid opifices, quid nautæ, quid milites in bello exigui lucelli gratia patiantur: quantumque diuitiarum nobiles viri inaniſſimi honoris obtentu profundant. Nos verò vix obolum petenti pauperi propter Christum damus, vixque vno aut altero die carnem inedia maceramus.

Contra auaros & immiſericordes in pauperes illud meritò iactari poteſt, quòd cùm eis velut in altera libræ lance proponatur Deus, gratia, gloria, remiſſio peccatorum, regnum cælorum, cæteraque ſimilia benignitatis præmia: in altera verò parua pecunia indigentibus eroganda: plus iſti ad hoc lucellum, quàm ad pretioſiſſima illa bona afficiantur: quòd certè indigniſſimum eſt.

Prou. 16. Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus, impiũ quoque ad diem malum. Variis autẽ in locis Dominus alias atque alias virtutes ſuas declarat. In cælo namque bonitatem, in inferno iuſtitiam, in terra verò miſericordiam potiſſimùm exercet atque oſtendit. Vnde ſcriptum eſt: Miſericordia Domini
Eſaiæ 18. plena eſt terra. Quiſquis ergo miſer es, ne deſpondeas animum, néve ad illum accedere verearis, quando illi declarandæ miſericordiæ ſuæ materiam tribuis, ad quam is declarandum hunc medium mundi globum condidit.

Prou. 11. Anima quæ benedicit, impinguabitur; & quæ inebriat, ipſa
Matth. 5. quoque inebriabitur. Hoc illud eſt quod Dominus ait: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Hinc
Prou. 11. conſequens eſt & illud: Benefacit animæ ſuæ vir miſericors.
Ibidem. Hinc etiam & illud: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij
Prou. 21. rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Item: Qui obturat aures

aures suas ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Contrà verò de eleemosyna & misericordia sequitur: Ibidem.
Munus absconditum extinguit iras; & donum in sinu, indignationem maximam. Fructus autem eleemosynæ colligitur ex illis verbis: Qui dat pauperi, non indigebit; qui autem despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Item: Ignem ardẽtem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius qui reddit gratiam: meminit in posterum, & in tempore casus sui, inueniet firmamentum. Quia enim ipse periclitanti opem tulit, idem à Domino beneficium sortietur. Si enim grati & humani hominis officium est rependere beneficia & par pari referre, & illum laborantem iuuare, à quo fueris ipse, dum laborares, adiutus; quid ille bonitatis & misericordiæ fons faciet, qui ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Cæterùm de huius virtutis commendatione multa Eccles. 4. leges. Inter quæ illud maximè notandum est quod ait: In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri eorum: & eris tu velut filius Altissimi, & miserebitur tui magis quàm mater. Cur velut filius Altissimi? Nempe quia ipse in scripturis pater orphanorum, & iudex viduarum nuncupatur. Quamobrem quisquis hunc erga pupillos affectũ ac animum gerit, cælestem patrem moribus exprimit. Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundùm meritum operum suorum. In quibus verbis meriti nomen expressum vides, aduersus Lutheranos.

Prou. 28. Eccli. 3. Mat. 25. Psalm. 67. Eccli. 20.

Misericordiam esse defunctorum comitẽ (vt D. Ambrosius ait) cõfirmant illa Eccles. verba: Eleemosyna viri quasi signaculũ cum ipso: gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum. Pro quo alius vertit: Tandem verò exurgit, & suum singulis dat pretium, suamq. cuique in caput suũ vicem regerit. Item apud eundem: Fratres in adiutorium in tempore tribulationis: & super eos misericordia liberabit. Eccles. 40. Eccli. 17.

De virtute & laudibus eleemosynæ multa scitu digna inuenies Eccles. 29. Propter mandatum, inquit, assume pauperem, &c. quæ sequũtur. In his autẽ verbis illud animaduertere oportet, non tam misericordiæ naturalis affectũ, aut alienæ calamitatis leuamentum, quàm diuinorum mandatorum obediẽtiam in eleemosyna spectandam esse: quamuis hic quoque affectus laudãdus sit, vtpote qui nos ad liberalitatis virtutẽm exstimulet. In hoc enim ab auctore naturæ datus est. Amor enim Dei erga homines quos ipse condidit, hunc nobis misericordiæ affectum impressit, quo laborantibus proximis opem ferremus, vt, quod ab eo conditum est, mutuis auxiliis seruaretur.

Adeò

Adeò cum virtute liberalitas & misericordia coniuncta sunt, vt viros virtutis studiosos & iustos Isaiæ 57. viros misericordiæ appellet. Ait enim: Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. Hinc super illo verbo, Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum, Glossa quædam ait, vocabulū Hebræum, quod Latinus interpres, Grecum secutus, Sanctum transtulit, iis propriè conuenire, qui sunt animo benefico & liberali. Adeò enim liberalitas & beneficentia sanctitati coniuncta sunt, vt sanctum hominem, beneficū appellet. Hinc de viro sancto dicitur: Tota die miseretur & cōmodat. Quibus verbis significatur, hoc esse præcipuum, & quasi continuum eius officium, de omnibus hominibus semper bene mereri. In quo Dei mores potissimùm imitatur, qui nunquam à benefaciendo quiescit; ad cuius imita-
Lucæ 6. tionē Saluator nos hortatur, cùm ait: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Officia charitatis cùm erga omnes, tum maximè erga domesticos fidei exercenda esse, exem-
Psalm. 15. plo suo Dauid ostēdit, cùm ait: Sanctis qui in terra sunt eius, m. o. v. m. i. e. Pro quo alius vertit: Erga sanctos, qui sunt in terra, & præclaros, omnis voluntas mea in eis. Quia enim antè dixerat, bonorum suorum Deum non indigere, ideo studium benefaciendi conuertit in sanctos eius: vt hac saltem ratione ipsum Dominum (dum seruos eius beneficiis prosequitur) promereri posset, quando nihil in illum bonorum suorum conferre valet. Hinc dicimus ea beneficia, quæ in pios homines conferimus non tam in homines, quàm in Deum ipsum conferri. Hoc enim modo officia nostra puriora & Deo gratiora sunt, vtpote quę ab omni humano respectu & intuitu aliena sunt. Quę bona & in præsenti & in futura vita illos maneant, qui pauperum curam gerunt, latè persequitur Propheta in eo Psalmo
Psalm. 40. cuius initium est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Vbi aduerte omnia optandi verba quæ deinde sequuntur in versione Hieronymi, futura esse indicatiui modi. Sic enim is vertit: Dominus custodiet eum, viuificabit eum, & beatus erit in terra, & non tradet eum animæ inimicorum suorum. Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis: totum stratum eius vertisti in ægrotatione sua. Quo in loco Dominum contemplare vicem boni operis misericordi viro reddentē: vt, quoniam ipse Christum in paupere ægrotantem recreauit & fouit, ipse quoque à Domino in ægritudine sua similem beneficij vicissitudinem recipiat.

Esse viri iusti maximè proprium, vti misericordia, illud argumento est, quòd viros iustos Esai. 57. viros misericordiæ appellat. D. item Hieron. pro eo quod nos legimus, Confiteantur tibi,

tibi, Domine, omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi; ex Psal. 144.
Hebræo vertit, Et misericordes tui benedicant tibi. Huc pertinet & illud: Nouit iustus animas iumentorum suorum, viscera Prou. 12.
autem impiorum crudelia. Item illud: Mutuabitur peccator, & Psalm. 35.
non soluet: iustus autem miserebitur, & retribuet. Et infrà: Tota die miseretur & commodat, &c.

Cùm in extrema illa cœna Saluator discipulis, & in illis, Mat. 26.
omnibus nobis dixit; Accipite, & comedite; hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur; perinde est ac si dixisset: Huc vsque peruenit charitas mea erga vos, vt, quoniam sine corporis mei cibo salus & vita vestra constare non poterat, ipsum vobis & corpus & sanguinem in æternę vitæ pabulum tradiderim. Nunc contrà vos expēdite, quid vicissim mihi pro hoc tanto munere præstare debeatis. Quantus ergo pudor est, nec frustum quidem panis pauperi Christo, qui in membris suis esurit, velle porrigere, qui pro te alendo seipsum dedit! Quanto verò maior, si consideremus quæ homines propter inanem mũdi gloriam faciunt, qui tam parum liberales in Christum sunt! Hunc locum elegantissima similitudine copiosè persequitur Cyprianus in sermone De eleemosyna, in quo aduersus ingra- Cyprian.
titudinem fidelium indignatur, quòd cùm tam multa improbi homines propter persequentem & cruciantem diabolum faciāt, leuia ipsi onera propter redimentem & saluantem Dominum subire recusent. Quid enim propter diaboli obsequium homines non & faciunt & patiuntur? Quid enim vel difficilius, vel atrocius, quàm quod Propheta dixit: Immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs? Et effuderunt sanguinem innocentem, &c. Nescias igitur quid magis mirari debeas; an talia propter honorem dęmonis fecisse, an tam leuia incommoda propter veri Dei gloriam subire nolle?

Hospitalitatis illustria exempla extant Genes. 18. & 19. in Abraham & Lot; cuius etiam meminit Apostolus ad Hebr. dicens: Hospitalitatis autem & beneficentiæ nolite obliuisci: per hanc enim quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio receptis. Sed in Abraham alacritas officij conspicitur, cùm ad hospitum obsequium & ipse festinauerit, cæterosq́. in huiusmodi ministerio, vxorem videlicet ac puerum, festinare præceperit. In Lot verò vehemens pietatis ardor & studium cernitur, quòd recusantes Angelos compulit in domum, & ne vlla eis fieret iniuria, filiarum suarum pudori iniuriam inferri patiebatur.

Cùm Aaron inaures aureas ad execrandi vituli fabricam à populo petijt, promptissimè & has, & annulos, & dextralia, &c. tribuit. Hoc enim modo quidam verba illa interpretantur: Spoliauerat quippe illum Aaron, & inter hostes nudum Exod. 32.
consti-

constituerat. At cùm Christus in paupere frustum panis petit, sæpè indignè repellitur, & interdum cōtumeliis afficitur. Qua quidem ex re apparet, quàm liberales, imò verò prodigi homines ad diaboli mundique obsequia sint, quamq; ad subueniendum pauperi Christo tenaces & inhumani. Ad illud, in quauis etiam fortuna, semper diuites; ad hoc autem semper pauperes & indigentes. Quo quid esse vel indignius vel lamentabilius
3.Reg. 6. potest? Fecit Salomon in ingressu oraculi ostiola de lignis oliuarum. An non pulchrius ex lignis sethim, aut cedrorum, quàm oliuarum, in hoc tanto opere ostia oraculi fierent? Num hac ratione insinuare cælestis Spiritus voluit, aditū ad orationis officium esse opera misericordiæ? Deum enim in oratione misericordem inueniet, quem homines in paupertate sua misericordem experti fuerint. Contrà verò de immisericordibus dicitur:
Prou. 21. Qui obturat aures suas ne audiat pauperem, ipse clamabit, & non exaudietur. Non vult enim Dominus quemquam in conspectu suo vacuum apparere.

Quicunque mendicorum voces molestè ferunt, & illis vel improbitatem, vel otium exprobrant, similes esse videntur Nabal Carmelo, qui, audita humili seruorum Dauidis prece,
1.Reg.25. respondit: Quis est Dauid? & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint? Hanc autem inhumanitatem Dominus improuisa morte mulctauit: transactis enim decem diebus, percussit eum Dominus, & mortuus est. Vnde etiam colligimus, eos qui in Christi pauperes auari, in se verò atque voluptates suas profusi sunt, Nabalis huius discipulos & sectatores esse: qui cùm adeò inhumanus fuerit in Dauid, in domo sua conuiuium celebrabat, quasi conuiuium Regis.
Amos 6. De his verò sanctus Propheta conqueritur, cùm ait: Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph.

Explicit libellus De ratione orandi, ac de virtutibus quæ orationi adiunctæ sunt.



IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI, CONCIO PRIMA: IN QVA, POST narratam Dominicæ Ascensionis historiam, duo potissimùm explicantur. Primùm qua hodie lætitia propter Christi Domini gloriam, & quo mœrore propter eius abscessum affici debeamus, exponitur: ac deinde, quid nobis facto opus sit, quo ad illius consortium peruenire valeamus.

THEMA. *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Marc. vltimo.

NTER faustos & lætos dies, quos agere humana ambitio consueuit, maximè insignis est, cùm post cruentam & periculosam pugnam de subactis hostibus victoriam reportauit: si ea præsertim victoria est, cui triumphus meritò decernendus sit. Hoc enim die homines à summo rerum discrimine ad summam gloriam & felicitatem euehuntur. In bello namque non solùm de vita, sed frequenter etiam de opibus, de gloria, de imperio, de libertate dimicatur: hæc enim omnia victi plerumque amittunt, eademque victores adipiscuntur. Duplici ergo nomine lætantur: & quòd ingentia pericula euaserint, & quod spolia ampla cum magna gloria consecuti sint. Ideoque victoriæ huius diem super omnes faustissimum & felicissimum prædicant. Quod Esaias apertè designauit, qui redemptionis humanæ lætitiam, & redemptorum gaudium huic lætitiæ comparauit, cùm ait: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in Esaiæ 9.
messe; sicut exultant victores capta præda, quando diuidũt spolia. Hac ratione licebit vtcumque, fratres, huius diei lætitiam & gloriam æstimare. Hodie namque triumphalem Christi diem, imò verò inter omnes eius triumphos vltimum & clarissimum celebramus. Primùm enim de morte triumphauit, cùm deuicta morte rediuiuus in hanc lucem surrexit. Triumphauit etiam de inferorum regno, cuius portas æreas confregit: vnde pios omnes (hoc est nobilissimam sanctorũ prædam) secum abduxit. Vtrumque autem hunc triumphum per Oseam Dominus designauit his verbis: Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne. Triumphauit quoque de sempiterno generis humani Oseæ 13.

hoste, quem adamantinis catenis constrinxit, ne seduceret amplius gentes: cuius ipse triumphum instare paulo antè prædixerat his verbis: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Quartò denique triumphauit de peccato latissimè in mundo dominante: quod quidem in ligno crucifixit: à cuius tyrannide non solùm immunis ipse extitit, sed multos etiam mortalium (qui innocentissimè vixerunt) potenter liberauit. Deerat autẽ, vt post omnes hos inclytos triumphos, de cælesti etiam regno triumpharet: cuius erant à mundi surgentis initio fores humano generi interclusæ. In cuius rei typum Dominus post illum primorum hominum lapsum, posuit Cherubin ad ostium paradisi, & gladium flammeum atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Hanc autem adeò vigilem firmamque custodiam (quæ ferro & igne aditu homines prohibebat) Saluator sustulit. Ignem namque preciosissima lateris sui vnda extinxit: aciem verò gladij, vulneribus in corpore suo exceptis hebetauit: atque ita demum custodia illa sublata, & via mortalibus ad immortalitatem patefacta est: per quam hodie non solùm ipse, sed omnis etiam captiuorum turba cum illo pariter ingressa est, & beatarum mentium choris sociata.

Ioan. 12.

Gen. 3.

Hos autem nobiles triumphos Ioannes in Apocal. describit his verbis: Vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Equus quidem albus purissima & immaculata humanitas Christi est: cui velut equo Dei Verbum insidebat. Corona verò regiæ potestatis ac diuinitatis eius insigne est, qui in veste & in femore suo scriptum gestat, Rex regum & Dominus dominantium. Arcus autem est, diuini Spiritus vis, cuius sagittæ sunt acutæ, quæ in corda inimicorum regis iaciuntur, non solùm ad feriendos inimicos; sed ad eosdem etiam charitatis vulnere sauciandos. Hac autẽ vi & potestate, supera & infera omnia sibi Christus Dominus subiugauit, magnificeque triumphans, inclyta de hostibus trophæa reportauit. Ex his ergo triũphis clarissimum & postremum hodie celebramus, ad quem cæteri omnes destinebantur. Ideo enim de peccato, morte, diabolo, inferorum regno triumphauit, vt nihil esset quod iter nobis in cælum intercluderet. Ex quo planè colligimus, in hoc die non modò triumphum Christi, sed nostrum etiam celebrari: quandoquidem per illum nobis via in beatas illas mansiones patefacta est; & mortis diritas, quæ nos omnes importuno dominatu oppresserat, superata. Quocirca exigit à nobis huius diei solemnitas, vt quo affectu erga huius tanti beneficij auctorem affici debeamus, & quid nobis facto opus sit, vt ad illius merca-

Apoc. 6.

mereamur peruenire consortium, explicemus. Quod vt dignè præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

INTER omnes Euangelicæ historiæ scriptores, Lucas Euangelista præcipuam curam adhibuit, vt Dominicæ ascensionis historiam paulo fusiùs explicaret. Nam & in fine Euangelij sui, & initio statim Actuum Apostolicorum peculiarem de ea mentionem facit. In calce autem Euãgelij memorat, Dominum Saluatorem multa cum discipulis suis de passionis & resurrectionis suæ mysterio egisse, quibus ex scripturarum auctoritate ostendit, oportere Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem, inquit, testes estis horum: & ego mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Post hæc autem ait S. Euangelista, Dominum discipulos suos extra ciuitatem in montem Olíueti adduxisse, vnde erat in cælum ascensurus, ibique extremum vale orationis officio clausisse. Manibus quippe illis sanctissimis in sublime porrectis, benedicebat illis, hoc est, bona illis precabatur, & pro eis preces ad Patrem fundebat. Et factum est (ait Euangelista) dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Quæ autem illic ante discessum dilectissimi magistri intercesserint colloquia, quæ salutationes, qui amplexus, quæ pietatis ac deuotionis lacrymæ, quàm longum vale, quis verbis cõsequi possit? Licet tamen piis Christi amatoribus, partim ex mutua discipulorum & magistri charitate, partim ex hoc dilectissimi magistri abscessu, hæc ipsa cõiicere. Certè pium discipulorum ergà magistrum abeuntem affectum D. Bernardus describit his verbis: Quid putatis, fratres, quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora, cùm Dominum viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adiutum, non subleuatum funibus; etsi angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? Dolor ergo nimius erat; quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, à suis sensibus & aspectibus tolli, vt non possent ablato sponso filij sponsi non lugere: timor verò, quia orphani relinquebantur in medio Iudæorum, nondum confirmati virtute ex alto. *Bernard. in serm.*

Sed non est hoc loco silentio prætereundum insigne quoddam miraculum, quod D. Hieronymi Scholiastes in Epitaphio Paulæ scribit in hoc monte contigisse. Sic enim ait: Montem Oliueti torrens Cedron interfluit, eumque diuidit ab Hierosolyma,

solyma, vbi vltima vestigia Domini humo impressa adhuc ætate D. Hieronymi monstrabantur, vt ipse litteris prodidit, non absque memorabili miraculo. Etenim cùm terra eadem quotidie ibi à credentibus hauriretur, nihilominus sancta vestigia continuo pristinum statum recipiebant. Addit & aliud miraculum Hieronymus, nempe cùm in eo loco conderetur Ecclesia, summum illius cacumen non potuisse contegi, nec concamerari, sed semper ab ima terra ad summum cęlum iter patuisse, quo Dominicum corpus ascenderat in cælum. Hoc ergo tam diuturno stupendoque miraculo hæc tanta solemnitas debuit illustrari. Nunc verò, fratres, terram paulisper deserentes, post Saluatorem nostrum in cælum conscendamus: qui multiplici sanctarũ animarum & Angelorum exercitu stipatus, vbi ad cæli fores ab origine mundi ad illud vsque tempus humano generi clausas peruenit, cælestes virtutes, quæ illum comitabantur (vt S. Dionys. ait) illa Prophetæ verba dicere cœperunt: Attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Illæ contrà, Regis gloriam non ignorantes, sed tamen eius virtutem admirantes, vicissim quærunt: Quis est iste Rex gloriæ, cui sic portæ ab exordio mũdi humano generi clausæ, nec alicui mortalium hactenus patefactæ, aperiendæ sunt? Illæ contrà respondent: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio. Qui videlicet inermis & nudus crucis suæ baculo caput serpentis antiqui contriuit, ferreas inferorum seras confregit, spolia inde sanctorum eripuit, & diaboli regnum euertit. Iam verò cùm Dominum sanguineis vulneribus rubentem cernerent, & in tam humili infirmaque natura tantam mirarentur potentiam & gloriam, stupefactæ rursum quærunt: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? hoc est, sanguineo amictu rubens, & purpureis vulneribus splendens. Meminit autem Edom, hoc est, terræ Idumæorum, quam incolebant filij Esau; & Bosra, quæ erat præcipua Moabitarum ciuitas. Quia enim duo isti populi infensissimi erant filiis Israël, & acerbissimas cum eo inimicitias gerebant, propria eorum nomina pro appellatiuis Propheta posuit (quod in litteris sanctis non infrequens est) vt sit sensus: Quis est iste qui ex terra inimicorum venit, sanguineo colore perfusus? Quis est iste adeò formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Interrogantibus autem Angelis respondet Dominus: Ego qui loquor iustitiam, qui sententiam dico iustissimam pro humano genere aduersus accusatorem diabolum. Ego, inquam, qui loquor iustitiam: cuius videlicet summum studium fuit, extinctam in mundo iustitiam & sanctitatem renouare: cuius singulare officium est, aduersus generis humani hostes (peccatum

[Margin notes: Dionys. — Psalm. 23. — Isaiæ 63.]

tum

tum videlicet, & peccati auctorem diabolum) propter salutem hominum dimicare. Quos quidem hostes calcaui in furore meo, & conculcaui in ira mea. Indignatio enim mea auxiliata est mihi. Hoc est, tanta in pectore meo aduersus peccatum & diabolum (qui homines à Deo separabant) indignatio & ira æstuauit, vt, quoniam hos generis humani hostes sine sanguinis mei profusione profligare non poteram, libenter vitam & sanguinem fuderim, vt illos euerterem, & homines Deo reconciliarem. Et ideo aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui: quia videlicet omnia generis humani scelera in me diluenda suscepi.

Cæterum parta iam de hostibus victoria, omnis illa deformitas, quæ in Saluatoris nostri corpore aduersus communem hostem in cruce dimicantis videbatur, plenissimè adempta, & in summum decorem commutata est. Vtrumque autem Zacharias Propheta describit, qui diuina reuelatione vidisse se ait Iesum, Sacerdotem magnum, sordidis indutum vestibus, & Satanam illi aduersantem, mortemq; illi machinantem, & regnum illius euertere cupientem. Quem tamen Dominus increpatum fugauit & repulit, & ad Angelos conuersus ait: Auferte ab eo vestimenta sordida. Et dixit ad Iesum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam (quam videlicet charitatis studio tuam fecisti, & in te diluendam suscepisti) & indui te mutatoriis, hoc est, splendidissimis gloriæ & immortalitatis ornamentis. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Quid autem cidaris est, nisi singularis illa gloria, quæ sacræ illi humunitati hodie contigit, cùm ad dexteram Patris cũ tanta supernæ curiæ lætitia & communi omnium cælitum gratulatione & gaudio collocata est? Si enim in illa incommutabili æterni Patris substantia vlla cadere posset noua lætitia, hodie certè cecidisset: quæ tamen ibi non defuit, sed noua non fuit, quoniã ab æterno semper illi præsens & noua extitit. Suscipitur ergo ab amantissimo Patre amantissimus Filius obedientiæ opere cõsummato, & ad dexteram eius, pro eo ac ipse meritus erat, collocatur. Quatenus enim Deus est, in eadem sede est cum Patre; quatenus tamen homo est, secundo loco sedet proximus Patri. Zach. 3.

Cæterùm vbi à discipulorum oculis Christi Domini præsentia sublata est, eos Euangelista memorat ibidem Dominum suppliciter adorasse, & cum gaudio magno in Ierusalem regressos fuisse: quare, quæso, cum gaudio magno, cùm magis de discessu magistri mœrere quàm gaudere debuissent? Si enim antea prædicente Domino se ad Patrem ire, tanta tristitia affecti sunt, vt eis Dominus diceret; Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum: quomodo nunc eo discedente, Ioan. 16.

gaudio complentur, cùm diſceſſum prædicente, triſtitia impleti fuerint? Plus enim doloris perpeſſio, quàm prædictio torquere animum ſolet. Reſponſio in promptu eſt: Quia nimirum quamuis non ſine multis deuotionis & amoris lacrymis à dilectiſſimi magiſtri complexu diſceſſerint, his tamen lacrymis magnum gaudium adiunctum fuit, quando hoc tam ſtupendo aſcenſionis miraculo in fide diuinitatis eius pleniſſimè confirmati ſunt: cùm illũ non ſolùm à mortuis reſurrexiſſe, ſed etiam corpore in cælum conſcendiſſe, quod nulli hactenus mortalium contigit, apertè viderunt. Ideoque adoraſſe hoc in loco aſcendentem referuntur: quod genus venerationis vni Deo tribuitur. Quod ſi ita eſt, quanta, quæſo, erat illis cauſa gaudẽdi, cùm certiſſimè ſcirent Deum omnipotentem eſſe, qui eis ineffabilia bona pollicitus erat, qui eis tantam charitatis & beneuolentiæ gratiam exhibuerat, & quo familiariſſimè, tanquam benigniſſimo patre, ſuauiſſimo præceptore, & fidiſſimo amico vſi fuerant! Si enim amicorum omnia ſunt communia; ergo quicquid ſiue in cælo, ſiue in terra ſummus ille & omnipotens amicus habebat, ad illos etiam pertinebat, & in illo rerum omnium compotes effecti erãt. An non igitur illis erat ſumma cauſa gaudendi? Quamuis enim magiſtri abſceſſus triſtitia eos afficeret, tanta tamen erat in hac fide & bonorum communione lætitia, vt hanc triſtitiam vel penitus aboleret, vel magna ex parte leuaret.

I.

Audiſtis, fratres, Dominicæ Aſcenſionis hiſtoriam; nunc conſequens eſſe videtur, vt quid nos in hac ſacra ſolemnitate ſentire, quídve facere par ſit, explicemus. Eccleſiæ namq; feſta non ad ſolam Chriſti Domini & Sanctorũ gloriam, ſed ad noſtram etiam vtilitatem inſtituta ſunt: vt illarum myſteriis & piè affici, & ad iuſtitiæ ſtudium excitari valeamus.

Principiò igitur huius beneficij ratio exigit, vt cum Apoſtolis nos quoque ſimul & gaudere, & mœrore affici debeamus. Nihil enim impedit, quo minùs eadem de re, quamuis non eadem ratione, gaudere ſimul & dolere poſſimus. Atque vt de gaudio primùm dicamus, quæ ratio Apoſtolica pectora ad gaudium impulit, eadem nos quoque (hoc eſt, omnia Chriſti membra) ad idem gaudium excitare debet. Quis enim à gloria capitis viuentia membra excludenda putet? Gloria ergo eius, noſtra gloria eſt. Quo nomine Leo Papa nos ad hoc ſpirituale gaudiũ hortatur his verbis: Quoniam Chriſti aſcenſio noſtra eſt prouectio; & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis: dignis, dilectiſſimi, exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non ſolùm paradiſi poſſeſſores *Leo Papa.*

firmati

firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetrauimus, amplius adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus prima habitaculi felicitate deiecit, hos sibi incorporatus Dei Filius ad Patris dexteram collocauit, & secum in cælestibus consedere fecit. Hactenus ille. Qua ex re colligere licet, omnia Domini Saluatoris opera, siue quæ ante passionem, siue quæ post passionem gessit, salutaria nobis fuisse. Vt enim nobis incarnatus, & passus est; ita nobis etiam resurrexit, & in cælum ascendit. Mortuus est enim propter peccata nostra, resurrexit propter iustificationem nostram: ascendit autem in cælum, vt appareret vultui Dei pro nobis, & cælestis hæreditatis possessionem pro nobis acciperet: à qua totum genus hominum communis peccati merito exulabat. Erant olim Iudæi omnes, qui in regno Assueri degebant, proscripti, & ad mortem damnati, agente id Aman atrocissimo eorum hoste. Res tamen, Deo prospiciēte, adeò in diuersum cecidit, vt Aman crucis supplicio afficeretur, & Mardochæus Iudæus pro eo princeps palatij constitueretur, ac totum proinde Iudæorum genus ab impendente morte liberaretur. Quo tempore tanta illos lætitia inuasit, vt nouus quidam Sol, nouaq; lux oriri illis visa sit: cùm & perniciosissimum hostem suum patibulo (vt erat meritus) affixum, & Mardochæum generis sui consortem in demortui loco apud Regem exaltatum viderent. Hoc exemplo, fratres, poteritis vtcunque, quanta sit nobis hodierno die causa lætitiæ, intelligere: in quo acerbissimum generis humani hostem diabolum Christi morte destructum atque deiectum, Christum autem Dominum generis nostri principem in cælesti palatio super omnes Angelorum choros exaltatum, & ad Patris dexteram collocatum videmus. Qua igitur hodie lætitia exultare atq; triumphare debemus, qui naturæ nostræ consortem, qui fratrem nostrum, os nostrum, & carnem nostram, ad Patris dexterā sublatum confitemur, vt patrocinio suo nostram apud illum causam agat! Hac enim ratione discipulos Dominus de abscessu suo mœrentes consolatus est, cùm hoc ad eorū gloriam & vtilitatem pertinere docuisset. Si quo minùs, inquit, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis. Sed dicetis forsitan: Qua ratione Christus Dominus in cælo residens, hanc nobis felicissimam sedem præparat? Responsio in promptu est: Quia nimirum id in cælo agit, vt nos, qui in terra degimus, virtutum atque bonorum operum meritis domum nobis in cælo fabricemus, hoc est, vt sic vitam instituamus, sic iter in cælum dirigamus, vt eò tandem perue-

Ester 2.

Ioan. 14.

nire poſſimus. Hoc autem facit, dum Spiritum ſanctum in nos è cælo demittit, qui vitæ huius certiſſimus dux, comes, & adiu-
Pſal. 142. tor eſt: quemadmodum regius Propheta teſtatur, cùm ait: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hunc ergo Spiritum, cùm in cælum pergeret; ſe ad nos miſſurum non ſemel pollicitus eſt: quod quidem donum mortis ſuæ ſacrificio nobis promeruit. Quod tamen nō ſtatim à morte donauit, ſed poſteaquam in cælum ſublatus eſt, & ſe Patris æterni conſpectui præſentauit: vt facilè appareret, illius opera hoc tantum in nos donum fuiſſe collatum. Quod quidem Petrus Apoſtolus teſtatur
Actor. 2. his verbis: Dextera Dei exaltatus, & Spiritus ſancti promiſſione accepta à Patre, effudit hoc donū quod vos videtis. Hoc eſt, Spiritum ſanctum è cælo demiſit, qui repleat orbem terrarum, mundiq́ue ſterilitatem & impietatem in ſummā iuſtitiæ & pietatis vbertatem vertat. Quam rem magna illa pluuia, quæ precibus Eliæ in terram demiſſa eſt, appoſitiſſimè adumbrauit. Erat enim per id temporis ſumma in regione Iudæorum ſterilitas, quòd ſuper terram tribus annis & ſex menſibus pluuia defuiſſet. Quo tempore aſcendit Elias in montem, vt oratione ſua pluuiam, quam idem ſiccauerat, reuocaret. Dum ergo humi pronus oraret, iubet ſeruo ſuo, vt contra mare oculos coniiciens,
3. Reg. 18. quid videret, annunciaret. Tum ille, Video, inquit, paruam nubem quaſi veſtigium hominis. Hæc igitur nubecula, Elia orante, in eam magnitudinem excreuit, vt totam cæli faciem operiret, quæ poſtremò liquefacta, arentem & ſterilem diuturna ſiccitate terram inebriauit, & maxima frugum ac fructuū omnium vbertate fecundauit. Sic igitur Saluator noſter, qui, dum inter homines ageret, exiguus & nouiſſimus virorum exiſtimatus eſt; in cælum tamen ſublatus, inſtar nubis huius, copioſam cæleſtium donorum pluuiam in terram demiſit, quæ vberrimos pietatis & iuſtitiæ fructus è ſterili & vacuo virtutibus mundo proferret. Quod quidem apertè regius Propheta ſignificauit cùm dixit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem,
Epheſ. 4. dedit dona hominibus. Sic enim Apoſtolus hunc locū ex Heb. vertit, cùm tamen ibidem paulo aliter habeatur. Sic enim legitur: Accepiſti dona in hominibus. Apoſtolus autem litteræ ſenſum obſcuriorem interpretatus eſt, cùm pro accipiendi verbo, dandi vſus eſt. Accepit enim Chriſtus dona in homines, videli-
Ioan. 1. cet à Patre data, & in homines cōferenda. De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus: cui non ad menſuram Spiritus datus eſt, ſed ea plenitudine, vt velut ex quodam indeficienti theſauro haberet ſemper quod erogaret.

Dicitur etiam præparare nobis locum, quando perpetuò apud
1. Ioan. 2. Patrē interpellat pro nobis, ſicut Ioannes ait: Filioli, hæc ſcribo vobis,

vobis, vt non peccetis. Quod si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: qui est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Quòd si quæras, quonam modo is pro nobis aduocet: nimirum eo quo pro se miles quidam apud Imperatorem aduocauit, qui, cùm capitis reus apud illum ageretur, nudato pectore, vulnerum cicatrices (quæ multa in præliis sub illius imperio militans acceperat) ostendit: quibus citra vllam rationem sic causam suam Imperatori probauit, vt ab omni criminis reatu fuerit absolutus. Hac ergo ratione Christus Dominus non pro se, sed pro nobis aduocat, vulnera illa, quæ propter Patris gloriam excepit, paternis oculis repræsentans: quæ quidem repræsentatio quauis longissima oratione efficacior est. Quid enim illis vulneribus, illis meritis, illis virtutibus, illi deniq; pretioso sanguini poterit denegari? Rectè enim Apostolus hunc sanguinem meliùs clamare, quàm Abelis sanguinẽ, testatur. Hic enim sanguis serui, ille filij: ille clamabat è terra, iste de cælo: ille clamans postulabat vindictam, iste veniam & misericordiam. Multo autem propensior est summus ille misericordiæ parens ad misericordiam impertiendam, quàm ad expetendam vindictam. Quid igitur ad impetrandam Patris misericordiam efficacius, quàm huius sanguinis oblatio, qui non minùs modò ante conspectum Patris recens est, quàm quo die effusus in cruce fuit? Elephantis in prœlio milites, ad eorũ iram acuendam, sanguinem ostendunt: at superno illi Patri ostensus Christi sanguis omnẽ ab eius animo excutit iram, & copiosam ab eo impetrat misericordiam. Quod quidem apertissima similitudine is in lege adumbrauit, qui Paschalis agni sanguine superum domus cuiusque limen, & vtrumq; postem à filiis Israël tingi præcepit: vt, cùm ipse media nocte per Aegyptum transiens, omnes Agyptiorũ filios natu maximos interficeret, Israëlitarum filiis, inspecto in superliminaribus domorum sanguine, parceret. Quorsum tibi, quæso, Domine, hoc signo opus erat, vt filios Israël ab Aegyptiis internosceres, qui vnũ Noe iustum in tanta improborum turba (quibus vniuersus scatebat orbis) apertissimè cognouisti, & à cõmuni generis humani clade vindicasti? Sed hoc tamẽ symbolo indicare voluisti, pretiosum Vnigeniti tui sanguinem esse verum illud propitiatorium, quod furorem tuum sceleribus nostris debitum mitigat: cuius conspectu placaris, & vltorem violati fœderis tui gladium, in communi omnium cæde & vastitate grassantem, ab illis reuocas, qui se totos Filij tui obsequio & dilectioni tradiderunt, & pretiosi sanguinis eius fide insigniti sunt. Videtis igitur, fratres, quanta nobis hodie cum Apostolis sit causa gaudendi.

Dissimil.

Exod. 10.

Sed nec pij etiam mœroris causa nobis hodie deest. In hac enim sacra solemnitate est cur lætari, & cur etiam mœrore affici debeamus: quod in omnibus mysterijs vitæ Domini Saluatoris
Exod.12. ferè contingit. Huius enim rei gratia mysticus ille agnus, qui eius imaginem gerebat, cum agrestibus, hoc est, amaris lactucis manducari præcipiebatur: vt intelligeremus, in omnibus Christi operibus recolendis, quamuis ea lætitia plenissima sint, amaritudinis tamen quidpiam ex scelerum nostrorum recordatione (quæ illi laborum omnium materiam præbuerunt) aspergi debere.

Sed ais: Quæ nobis hodie causa tristitiæ? Nimirum separatio atque discessus præceptoris charissimi & patris amantissimi: in quo vno omnia quæ desiderari poterant, dum apud nos versaretur, habebamus. At separatio à re vehementer amata animum sauciat: cùm amor ipse nihil aliud quàm duorum animorum coniunctio atque vnio sit: quam quidem vnionem benefaciendi studium, & cæterarum rerum omnium communio sequitur. Hac enim de causa præcipuè mors homines cruciat, quia corpus & animum naturali amicitiæ fœdere copulata separat. Hinc etiam in amicorum morte, quo tempore alterius amici dolor finitur, alterius incipit, quòd ab amico separetur. Quid hîc Dauidis & Ionathæ lacrymas commemorem, cùm alter ab altero separatus est? Quid sanctissimi Iacob Patriarchę, vbi Beniamin natu minimum filium à se cum cæteris fratribus diuelli, & in Aegyptum ire passus est? Cùm ergo nulla amicitia cum Christi Domini amicitia sit comparanda; quomodo fidelis anima, quæ illius amore flagrat, non mœrore affici debeat, cùm illum à se diuelli & separari cernit? Qualis, quæso, mundi imago esset, Solis præsentia destituta? Qualis tunc terra, quale cælum, quales rerum omnium facies existerent, nisi steriles, squalidæ & obscuræ? Quid verò nobis aliud Christus Dominus, quàm Sol iustitiæ est? Ipse namque ait: Quàm diu sum in mundo, lux sum mundi. Hac ergo luce subtracta, & iustitiæ Sole occidente; an non æquum est, vt qui in mediis mundi tenebris relinquimur, Solis huius absentiam sentiamus?

En, fratres, quæ nobis sit in hac solemnitate ex discessu Domini Saluatoris causa tristitiæ. Itaque non ampliùs faciem illam gratiarum omnium plenam in hoc seculo videre licebit: non ampliùs cæleštem illam tubam mysteria diuina resonantem audire, non stupenda illa opera, clarissima diuinitatis eius argumenta, cernere. Quare dignum profectò est, vt orbitatis atque
August. in medit. solitudinis huius sensu tacti, cum D. August. dicamus: Recessisti consolator meus, nec vale dixisti. Quid ergo dicam? quid faciam? quò vadam? vbi eum quæram? quem rogabo? quis an-

nunciabit

nunciabit dilecto, quia amore langueo? Defecit gaudiũ cordis mei, versus est in luctum risus meus. Respice, quæso Domine, viduitatis & orbitatis meæ lacrymas, quas tibi offero donec redeas. Eia, Domine, appare mihi, exhibe præsentiã tuam, & consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam, & consecutus ero desiderium meum. His verbis D. Augustinus Domini discessum lamentatur, qui apertè nobis exemplo suo declarat, quàm dulci mœrore piæ mentes in hac sacra die affici debeant, cùm amantissimi parentis & benignissimi magistri sui præsentiam sibi subtrahi contemplantur.

II.

Diximus, fratres, quid hac die sentire; nunc quid agere debeamus, paucis explicandum est. Quod quidem affectus ipsi siue mœroris siue lætitiæ, quos exposuimus, facilè indicant. Si enim summa felicitas nostra in Christi Domini præsentia sita est, eaque nobis in hoc exilio est adempta; quid igitur consequens est, nisi vt omni studio eò peruenire contendamus vbi ille est: quo ab eius felicissimo conspectu & contubernio nunquam ampliùs diuellamur? Qua autem via ad illum tendere debeamus ipse & verbis patefacit & exemplis. Discipulis namque de hac via quærentibus respondit: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si igitur hæc omnia nobis Christus est, dicamus ergo cum Bernardo: Sequamur, Domine, te, per te, ad te. Sequamur te, quia via; per te, quia vita; ad te, quia veritas ad quam tendimus, & cuius visione beati erimus. Quia igitur via Christus est, & is per labores ad requiem, per patientiam ad gloriam, per certamina ad coronam peruenit; hac illum nos via sequamur, si consequi ipsum volumus. Ad quod nos idem in Apocal. præmio simul ac exemplo suo proposito, inuitat his verbis; Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. Magna planè merces & votis omnibus expetenda, & per omnes etiam flammas (si ita res postulet) persequenda. Si quis autem quærat, cur vnigenitus Dei Filius per hanc certaminum atque laborum viam ad paternæ gloriæ thronũ pergere voluerit; cùm multæ huius diuini consilij causæ sint, vna tamen, quæ non postrema inter eas mihi esse videtur, paulo fusiùs à me explicãda est. Scire igitur oportet, hoc salutis nostræ auctori propositũ fuisse, vt non verbis modò, sed multo magis exemplo suo Christianæ vitæ perfectionem demonstraret. Quia verò Christiana vita in charitate præcipuè sita est; consequens est, vt eiusdem vitæ perfectio in charitatis perfectione posita sit. Quamuis autem charitas per se ipsa suauis & iucunda sit, via tamen ad illã difficilis & ardua est: quoniam oportet prius omnia quæ charitati aduer-

Ioan. 14.

Bernard.

Apoc. 3.

aduersantur, ac præcipuè immoderatū sui amorem expugnare, quo charitas in nobis ius suum retinere queat. Sunt autem duo præcipui charitatis gradus: quorum alter ad fideles omnes, alter ad perfectioris vitæ studiosos potissimùm pertinet. Ad priorem autem illum spectat, vt Deum super omnia, quæ in cælo & in terra sunt, diligamus. Quem regius Propheta à Domino pe-
Psal. 107. tebat, cùm diceret: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Quid ais, Propheta? An non diuina gloria, quamuis tu id non postules, supra cælum & terram exaltata est? Est planè, non abnuo: sed id tamen peto, vt intra pectus meum Dei gloria rebus omnibus, quæ in cælo & in terra sunt, sic anteferatur, vt & vitam ipsam, & omnia quæ in vita mihi charissima sunt, promptissimo & libenti animo in eius obsequium offeram. Hoc autē, quod vir diuinus à Deo postulabat, cumulatè se præ-
1. Reg. 26. stitisse ostendit, cùm Sauli Regi ipsius vitam acerbissimo odio petenti, ex edito quodam monte respondit: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci, aut quod est malū in manu mea? Nunc ergo audi, oro, domine mi Rex, verba serui tui. Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium. Hoc est, Si Dominus ipse vult vt ego mortis supplicium subeam, libenti animo me morti propter eius gloriam & obedientiam offeram, ipseque odorem capiat ex sacrificio mortis meæ. Vbi enim iustiùs collocare vitam & omnia mea potero, quàm in eius obsequio, qui mihi & vitam, & omnia contulit? Huic autem amori Dei super omnia amor sui aduersatur: ille enim Deum rebus omnibus anteponit; hic verò res omnes Deo. Quocirca hic superandus est, vt ille regnet in nobis. Hunc verò amorem superare, satis constat quàm sit difficile atque arduum. Hic igitur prior charitatis gradus, qui ad fideles omnes in commune spectat.

Est alter qui ad perfectiores viros præcipuè pertinet. Charitas enim vt cælestis habitus & forma est, ita mentem in cælum, vnde ea in nos descendit, attollere nititur: idque eo magis, quo
Simile. eadem flagrantior est. Quo nomine igni appositissimè comparatur, sub cuius imagine in Apostolos effusa est. Vt enim ignis vi sua tanto impetu loca supera & excelsa petit, vt repagula omnia & ingentes etiam moles, quo sursum feratur, excutiat: ita mens, charitatis igne flagrans, in eum toto impetu fertur, quem super omnia diligit. Vbi enim est thesaurus eius, ibi est & cor eius. Hoc est, ibi cogitatio, ibi desiderium, ibi gaudium, ibi intentio, ibi affectus, ibi spes omnes opesque sitæ sunt. Hinc sancti viri in hac peregrinatione solo corpore constituti, cogitatione & auiditate in cælo conuersabantur. Hinc de seipso Pau-
Philip. 3. lus ait: Nostra conuersatio in cælis est. Ab hoc autem studio quantum

quantum nos carnalis cupiditas, & immoderatus amor sui auocat atque repellit! Sicut enim cælestis amor mentem hominis attollit in cælum: ita carnalis hic põdere atq; impetu suo ita deiicit atque veluti submergit in terra, vt nihil aliud cogitet, nihil quærat, nihil cupiat, nihil amet, nihil dies noctesque animo voluat ac verset, nisi quod ad cultum & oblectamentũ corporis spectet, in eaque re semper tota mente & cogitatione defixus sit. Itaq; vt talpa sola terra alitur, neque aliud quàm terram quærit: ita isti talpa cæciores bona sua omnia, opes omnes, atq; felicitatem in terra posuerunt. Cùm igitur tantum inter hunc amoris diuini gradum, & immodicum sui amorem dissidium atque pugnam esse constet; necesse verò sit alterum expugnare, vt alter ius suum tueri possit; hunc autem amorem superare, sit corruptæ naturæ bellum inferre, totamque eius vim atque potentiam (qua in mundo, hoc est, in omnium ferè mortalium cordibus dominatur) euertere: quis non videt, quàm arduam difficilemque prouinciam susceperint, qui ad hunc altissimum charitatis gradum peruenire desiderãt? Mundus enim superandus, caro proterenda atque calcanda, opes contemnendæ, cupiditas comprimenda, honores seculi spernendi, voluptates carnis abdicandæ, sensuum oblectamenta reiicienda, salus, vita, patria, affines & contubernales, qui nos ab hoc studio auocant, deserendi, quo mens nostra per continuum amorem Deo cõiuncta sit. Videtis ergo, fratres, non tam charitatem ipsam, quàm viam ad eam consequendam esse difficilem. Non erat difficile, haustam aquam è cisterna Bethlehemitica ad Dauidem Regem afferre, si Philisthæorum castra non obstitissent. At per medias hostium acies irrupisse, & obstantia quæque ferro deiecisse, id verò vt difficillimum, ita pulcherrimum fuit. Sic igitur, quamuis charitas ipsa iucundissima sit, via tamen ad illam difficilis est. Charitas enim velut portus, ad quem tendimus & fida littoris statio est: iter autem ad illam veluti nauigatio quædam est. In nauigatione autem labor, in portu verò quies & tranquillitas est. Nemo tamen, fratres, animum despondeat, credens hanc tantam charitatis perfectionem, tantamque laborum contemptionem qua ad eam peruenitur, ab omnibus exigi. Hoc enim non ideo diximus, vt ad eam fideles omnes adigeremus, sed vt viam iis commonstraremus, qui ad Christianæ vitæ perfectionem adspirant.

Simile. Simile.

Vt igitur ad id, quod paulo antè instituimus, redeamus, cùm hoc Saluatori nostro propositum fuisset, vt non modò necessariam piis omnibus charitatem, sed perfectam etiam charitatem in mundo constitueret: via autem ad charitatem (vt modò diximus) multis laboribus septa sit (cùm oporteat & amorem sui,

& cupi-

& cupiditates omnes quæ ex eo oriuntur, ſubigere atq; frenare) debuit vtique perfectionis huius dux atque magiſter vitam non quidem placidam & iucundam, ſed multis implicitam laboribus eligere. Quod quidem tanto magis fieri oportebat, quanto mundus huic vitæ inſtituto magis infenſus & inimicus erat. Si is ergo mundum in deprauatiſſimos mores collapſum, deliciis perditum, & voluptatibus emollitum inſtauraturus veniebat, quomodo aliter aut venire, aut mori, niſi inter varios labores & certamina debuit? Hac ergo via Sanctus ſanctorum ingreſſus, per labores ad requiem, per humilitatem ad regnum, per patientiam ad gloriam, ac poſtremò per mortis acerbitatem peruenit ad vitam. Pudeat ergo nos, fratres, pudeat alia via ingredi, quàm qua Rex noſter ingreſſus eſt. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum. Pudeat, duce & imperatore noſtro pedibus iter faciente, gregariũ militem phalerato equo, ipſo præſente, vehi. An non ſatis præclarè cum ſeruo agitur, ſi eadem Domini ſors illi contingat? Si ergo Angelorum & hominum Rex, ſi Dei Filius, ſi vniuerſorum hæres, tot in vita pariter & morte labores, non vlla ſua neceſſitate, ſed ſola noſtri charitate ductus ſubire dignatus eſt: quomodo ſerui rebelles atque exules regni, edentes, ludentes, lætum ſemper diem agentes, ventrique tanquam muta pecora perpetuò ſeruientes, ac poſtremò in continuo otio vitam agentes, in regnum illud peruenient, in quod niſi per mortem & ſanguinem vnigenitus Dei Filius ingredi noluit? Num nobis aut alia lex ferenda, aut aliud Euangelium prædicandum, aut aliud nouum iter aperiendum eſt, quo in cælum contendamus, quàm id per quod Sanctus ſanctorum, atque ſancti omnes ingreſſi ſunt? (Hieron.) Numera (inquit Hieronymus ad Euſtochium) omnes electos ab Abel iuſto vſque ad vltimum qui in fine mundi naſciturus eſt, & omnes inuenies aduerſa perpeſſos. Solus Salomon in deliciis fuit, & ideo fortaſſe corruit. Reiiciamus ergo, fratres, carnales delicias, cæteraque mundi huius oblectamenta, (Lactant. de opif.) quæ ſunt (vt Lactantius ait) non tantùm fallacia, quia dubia; ſed etiam inſidioſa, quia dulcia. Amplectamur crucem Chriſti, vt per eam de triumphato ſeculo, & ſubacta carne, trophæa referentes, ipſam Domino puram & immaculatam cum anima ſua in æterna beatitudiue coronandam offeramus.

IN



IN EODEM FESTO ASCENSIONIS DOMINI, CONCIO SECVNDA: in qua post narratam Dominicæ Ascensionis historiam, quo affectu & vitæ conuersatione Christum Dominum in cælum ascendentem sequi debeamus, exponitur.

THEMA. *Quæ sursum sunt, quærite; vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite; non quæ super terram.* Ad Colos. 3.



ODIE Saluator noster, dilectissimi, deuicto humani generis sempiterno hoste, triumphator ascendit in cælum. Hodie, ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ephes.4. Hodie, obedientiæ opere sibi à Patre iniunctæ absoluto, impleuit quod paulo antè discipulis dixerat: Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Denique hodie mysticum Ecclesiæ suæ templum absoluit, omnibusque sacramentorum & meritorum suorum thesauris mirificè ditatum & ornatum relinquens, ad propria cum immenso totius cælestis curiæ gaudio remeauit. Cùm enim cælorum regnum omnium meritorum ac laborum Christi finis esset; hoc vnum deesse videbatur, vt is huius regni possessionem suo & nostro omnium nomine acciperet; quod hodierna die factũ est. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. Hac igitur ex re facilè, quanta sit huius diei solemnitas, colligere licet. Vbi Rex Salomon magnificentissimum illud templum septem annorum spatio consummasset, faustissimum illum diem iudicans, 3. Reg. 8. quo tanti operis moles perfecta fuerat, eius dedicationem cæsis ouium centum & viginti millibus, atque boum viginti duobus millibus, cum maxima totius regni lætitia & frequentia celebrauit. Si ergo tanta lætitia terreni illius templi absolutio celebrata est; quanta, quæso consummatio mystici templi Dei (quod est Ecclesia) erit hodie recolenda? Illud enim vmbra, hoc veritas: illud materiale & corporeum, hoc spirituale & diuinum: illud ex mortuis lapidibus, hoc ex viuis extructum: illud dissolubile (vtpote quod à Chaldæis postea incensum & euersum est) hoc verò tabernaculum illud est quod nunquam dissoluetur, etiam si portæ inferi consurgant aduersus illud. Postremò illud à Salomone magnis impensis septem annorum spatio

exstructum fuit, hoc ab vnigenito Dei Filio annis tribus & triginta summis laboribus fabricatum. Quanto ergo maiori lætitia hæc dies quàm illa celebranda est! D. verò Euseb. Emis. non minùs felicem & faustum hunc diem, quàm Natalem Domini, esse ait, hoc est, diem quo in mundum ingressus est, & eum item quo est egressus è mundo. Sic enim ait: Scire debemus, charissimi, quòd hodierna festiuitas non minor est illa in qua natalem Domini diem publico honore suscepimus. Ille enim natiuitatis dies Dominum ac Saluatorem nostrum terris dedit, hic cælo reddidit: in illo Dominus verè hominē se esse in incarnatione confessus est, in hoc verò se esse Deum in ascensione testatus est: in illo gratiam dignantissimæ humilitatis, in hoc fidem manifestissimæ diuinitatis asseruit: in illo virginalis templi, in hoc cælestis regni secreta patefecit: in illo die descendit redempturus nos, in hoc ascendit glorificaturus. Hactenus ille. Videtis ergo quanta inter hæc duo solemnia festa sit affinitas, in quibus Saluator noster aut ad nos venit è cælo, aut à nobis pergit in cælum? Ideoque in vtraque Angeli in terra hominibus apparent: illic natum esse mundi Saluatorem nunciantes, hîc verò venturum iterum asserentes. Si verò tanta Angelis cura est festa nostra celebrandi, quibus tamen eorum salus & gloria parta non est: quid nos facere conuenit, quorum gratia hæc omnia gesta sunt, quorumque saluti vniuersa hæc mysteria militant? Quis igitur tanta erga se Dei beneficia tacitus prçterire valeat? Quis pro hoc tanto munere quamuis exiles & impares gratiarum actiones non rependat? Vt igitur in prçsenti Concione aliqua saltem ex parte huic officio respondeamus, cælestem opem, beatissimæ Virginis interuentu, supplicıter imploremus.

Euseb. Emiss. homil. de Ascens.

AVE MARIA.

Pars prior.

PRINCIPIO Dominicæ Ascensionis historiam, quam nobis hodie sanctus Euangelista Lucas proponit, exponamus: deinde, quid à nobis ea iure suo exigat, Domino aspirante explicabimus. Ait igitur sanctus Lucas, Dominum Saluatorem quadraginta post resurrectionem suam diebus discipulis variis modis seipsum conspiciendum atque tractandum præbuisse, eosque multa de cælorum regno, quod illi mundo annunciare debebant, docuisse: quibus elapsis, hodierna die ipsis videntibus in cælum conscendisse. Si quis autem quçrat cur non statim post resurrectionem in cçlum ascenderit, multæ sunt causæ: sed illa præcipua, quòd toto hoc tempore variis argumentis discipulos in fide resurrectionis voluerit confirmare. Huius namq. mysterij fides totius Christianæ vitç caput & fundamentum

est. Vnde sicut ij quia excelsam domũ extruere parant, firmissi- Simile.
ma eius fundaméta iaciunt, quibus tanta moles sustineri queat: ita (quoniam resurrectionis nostræ fides totius pietatis atque virtutis fundamentum est) peritissimus artifex Christus firmissima eius fundamenta iacere cupiens, quadraginta dierum spatio hanc fidem præsentia sua stabiliendam curauit. Quo transacto, discipulos extra ciuitatem ad montem Olineti perduxit, & multa cum illis ibi de apostolatus officio tractauit. Atq; illud in primis, vt nihil interim molirentur, donec induerentur virtute ex alto. Ideoque pręcepit ne ab Hierosolymis discederent, sed expectárent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, nõ post multos hos dies. Qui quidem Spiritus non solùm vos ab omnium peccatorum sordibus purgabit, sed miro etiam modo cælestibus donis armabit, & ad labores omnes omniaque certamina pro fide suscipienda paratissimos & instructissimos reddet.

Quo tempore, cùm rudes adhuc discipuli regnum Christi terrenum & carnale somniarent, ab eo quæsierunt: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Hoc est, si ab eo exterarum gentium ac præcipuè Romanorum iugum excuties, illudque in eam amplitudinem & opulentiam attolles, qua olim sub Dauidis & Salomonis imperio floruit? Ex qua quidem interrogatione liquet, fratres, quantum apud nos terrenarum & corporearum rerum dignitas valeat, quãdo ipsi etiam Apostoli, proposito pulcherrimo & maximo diuini Spiritus dono, de terreno ac temporali regno soliciti erant. Hinc plerosque hominum reperire licet, qui nihil ad se pertinere, nihilque verè suum arbitrentur, nisi quod ad solius corporis cultum & commodum referatur. Quamuis enim homo ex spiritu & carne compositus sit, & spiritus ingenita sibi nobilitate ad spiritualia & inuisibilia bona tanquam sibi cognata & similia feratur; caro tamen, cui coniunctus est, illum ad se trahit, & ab ingenita sibi nobilitate degenerare compellit. Vt enim accensæ lucernæ flamma pro naturæ suæ conditione in supera tendit, materiæ tamen, cui inhæret, pondus eam ad ima deiicit, ac detorquet: ita planè humanus spiritus vi sua ad spiritualia atque diuina tanquam sibi cognata & amica tendit, ponderosa tamen & terrena caro, cui implicitus est, & amore summo copulatus, eum ad terram deflectit, terrenisque rebus seruire facit. Cùm ergo discipuli de terreni regni felicitate soliciti, hanc Domino quæstionem proposuissent, ille, nihil aduersus eorum ruditatem, stupiditatemq; commotus, in spiritu lenitatis illos corripuit, dicens: Non est Actor.1.
vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua

potestate, sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Nullum enim excipio, nullum à regni mei aditu excludo, non Barbarum & Scytham, non Hyrcanum aut Massagetam: omnes enim homines ad imaginem meam condidi, & pro omnibus sanguinem fudi: ideoque omnes ad beneficiorum meorum communionem inuito. Hoc munus vestrũ, hoc officium ad quod vos elegi: de hoc quærite, hoc in primis curate: mundi verò gubernacula & imperia Deo procuranda relinquite. Cùm hæc igitur vltrò citroque responsa data essent, cùm iam tempus appeteret vt Saluator eò rediret vnde in hunc mundum venerat, sicut mirabili ordine atq; ratione in mundum venit de Spiritu sancto conceptus, & intacta Virgine natus: ita non minùs mirabili gloria & dignitate mundum reliquit quando per medias aëris regiones, humanis corporibus inuias & inaccessas, propria virtute ascendit. Ex illo igitur sacro oliuarum monte tot Christi Domini mysteriis nobilitato videntibus discipulis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Eleuatis autem manibus ferebatur in cælum, & benedicebat illis, fortasse (vt D. Bernard. ait) concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cùm miseros suos, & pauperem scholam suam relinqueret in medio nationis prauæ atque peruersæ. Ex hoc igitur sacro monte Saluator, præsentibus ac stupentibus discipulis, in cælum sublatus est. Quæ autem lingua dicere, quis intellectus capere valeat, qua lætitia, quibus laudibus, quo iubilo Saluator noster, tot Angelorũ sanctorumq; agminibus stipatus, in cælestem illam Ierusalem hodierna die conscenderit? Si enim tanta populi frequentia, communique lætitia idem in terrena Ierusalem excipi voluit, quando in eam moriturus intrauit; qua lætitia in illa cælesti susceptus est, quam modò regnaturus ingreditur? Si tam ingenti pompa ac lætitia suscipitur in terra; quid in cælo? Si sic ab hominibus, quid ab Angelis? Si sic moriturus, quid regnaturus? Si sic dum procedit ad pugnam, quid quando peracta pugna cum triumpho redit atque victoria? Preterea si tot vocibus & canticis militiæ cælestis exercitus in eius natiuitate concrepauit (quando infans in præsepio vagit, & frigore constrictus lacrymatur) quid eos fecisse credendum est, quãdo abstersis iam lacrymis, finitisq; laboribus, superato dæmone, spoliato tartaro, redempto seculo, victor in cælum remeauit? Cùm Dauid superatis Amalechitis, & excussa ingenti præda, victor ex prœlio reuerteretur, & ingentem captiuorum turmam ante se velut triumphum agens duceret, milites, qui cum eo ad pugnam processerant, faustis illi vocibus acclamantes dicebant: Hæc est præda Dauid. Ad hunc

Bernard. (margin)
Lucæ 2. (margin)
1. Reg. 30. (margin)

hunc modum Angeli ante Dominum hodie præcurrentes, & captiuam secum captiuitatem ex hoste subacto referentem, lætis vocibus acclamabant: Hæc est Dauidis nostri præda, hæc spolia triumphati principis mundi, hæc insignia inclytæ victoriæ, hæ opes ex faucibus antiqui draconis ereptæ. Iam verò cùm inter splendidas illas sanctorum cateruas, quæ liberatorem suum ponè sequebantur, latronem quoque simili splendore fulgentem vidissent, tantæ mutationis nouitate stupefacti, pretiosissimi sanguinis Christi virtutem apertissimè cognouerunt: cuius admirabili vi factum est, vt sceleratus homo, qui vitam latrocinando consumpserat, inter sanctorum Patriarcharum & Prophetarum choros regni cælestis hæreditatem adire cernerent. Neque enim tantam eis admirationis causam cætera sanctorum turba præbuit (quorum meritis gloria illa iam pridem debita erat) quantum hæc noua latronis felicitas attulit, qua in tanti Redemptoris amorem ineffabili exultatione exarserunt; & sedes suas ab initio mundi derelictas, facilè esse eius meritis instaurandas, intellexerunt. Hac igitur exultatione, his laudibus, his supernarum virtutum acclamationibus sacra illa humanitas supra omnes Angelorum choros exaltatur, atque (vt Euseb. Emis. ait) limus carnis humanæ, qui Deum portauerat in terra, in supernas sedes Deo subducente portatur, & ad dexteram Patris collocatur: sicut scriptum est; Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Quærit autem D. Chrysost. quæ nam sit hæc natura cui dixit Deus, Sede à dextris meis? Illa certè est quæ audiuit, Terra es, & in terram ibis. Et homo, qui in tam humili loco tenebatur, vt ampliùs descendere non posset; ad tam altam sedem eleuatur, vt altiùs non possit ascendere. Itaque natura illa, cuius causa paradisus à Cherubin custodiebatur, hodie super Cherubin cum summo honore suscipitur: eademque illa natura cui dictum est, Puluis es, & in puluerem reuerteris; hodie in cælum processit, ibidem perpetuò regnatura. Cumque elementorum omnium terra sit infimum, homo verò de limo terræ, hoc est, de vilissima terræ portione formatus sit; modò supra naturæ suæ conditionem sic euectus est, vt infra se videat quicquid à Deo conditum est. Hoc igitur die Saluator qui se propter gloriam Patris infra omnia deiecerat, parem humilitati suæ gloriam recipiens, ad dexteram Patris collocatur; nosque omnes vt secum conuiuificauit & conresuscitauit, ita secum in cælestibus consedere fecit. Cælum itaque (vt D. August. ait) quod Deum miserat in terram, hominem quoque iam portare didicit in cælum. Illa igitur gloria quam Deo litteræ sacræ tribuunt, quòd cùm is ad leges populo suo ferendas venisset, pedibus suis quasi

Simil.

Euseb. Emis.

Gen. 3.

August.

opus lapidis ſapphirini ſtrauerat, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt, humanæ naturæ, quæ ſerpentis more humi repebat, hodiè tributa eſt: vt ipſa quoque ſub pedibus ſuis cælum, ſolem, lunam, & ſidera cæli videat. Sed ad hiſtoriam redeamus.

Cùm ergo diſcipuli tantæ rei miraculo attoniti, & velut extra ſe poſiti, ſacrum illud corpus per aëra ferri mirarentur: Ecce (ait Euangeliſta) duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum. Hoc eſt, eadem maieſtate & gloria, qua nunc illum videtis aſcendentem in cælum, videbitis redeuntem in mundum. Venit quippe ſemel mundum redempturus, iterum veniet eundem iudicaturus. Tunc tradidit nobis talenta, quibus, dum abeſt, negotiaremur; poſtea veniet vt creditorum talentorum rationem exigat. Talenta verò appellamus adiumenta ea quæ nobis ad pietatis & iuſtitiæ ſtudium ſingulari eius munere collata ſunt. Ea verò quinque numerantur; nempe Euangelica doctrina, clariſſima virtutum Chriſti exempla, ſumma in nos beneficia impenſa, merita eius admiranda, & nouæ legis ſacramenta. Doctrinæ quippe ſuæ luce tenebras noſtras illuminauit; virtutum verò ſuarum exemplis ſtimulos ad virtutem addidit; magnificentiſſimis autem beneficiis nos ad amorem accendit; meritis verò ſacratiſſimæ paſſionis ſuæ paupertatem noſtram ditauit; ac poſtremò ſacramentorum ſuorum virtute & infirmitatem noſtram roborat, & animarum vulnera ſanat. De his ergo talentis rationem exiget, quomodo videlicet his negotiati ſimus, hoc eſt, quantum his tantis adiumentis in diuinarũ legum ſtudio & obediẽtia profecerimus. Quæ quidẽ adiumenta non modò gentiles, ſed ne Iudæi quidem habuerunt. Iudæi namq; veteris legis præſidio ad iuſtitiam inſtructi erant: quæ tantum abeſt vt illis iuſtitiam donaret, vt etiam (Apoſtolo teſte) prohibitionibus variis peccandi occaſionem infirmis hominibus præberet. Gentiles verò Philoſophi, fidei lumine deſtituti, quid habebant, quo in iuſtitiæ ſtudium & ſe & alios incitarent, cùm nihil de futura vita, de extremo iudicio, de ſuppliciis improborũ, & piorum gloria, fide cognitum & exploratum haberent? ſine quarum rerum fide, ſpe, & amore, humana mens ad virtutis & pietatis ſtudium torpet & languet. Quicumque igitur in his tenebris degebant, excuſatiùs peccabant: qui, ſi non omnem, magnam certè pœnarum partem euadent. Habebunt enim quid in cauſa ſua dicere poſſint, cùm horum talentorum adiumentis, quæ nobis Chriſti dono contigerunt, deſtituti ſint. Quamobrem cæteræ quidem nationes in extremo illo ſeculorum omnium

examine

examine habebunt, quæ ſcelera ſua ſi non tueri, certè leuare aliqua ratione queant. Nos autem, qui omnibus his præſidiis inſtructi ſumus, quid expoſtulanti iudici reſpondebimus? quam honeſtam ſocordiæ & negligentiæ noſtræ cauſam prætexemus, qui tot bene viuendi adiumenta fruſtra percepimus? Huius ergo nos periculi hodierna die (qua ſaluti noſtræ ſupremam ferè manum Saluator apposuit) peropportunè admonent Angeli: ne ſegnes efficiamur, néve hanc tantam gratiam Dei fruſtra recipiamus: quando idem ipſe, qui gratiam contulit, iterum venturus eſt, vt ex ea fructum repoſcat. Hac ergo ratione timoris materiam nobis in hoc lætiſſimo die Angeli miniſtrant: vt exultare cum tremore diſcamus, illudque nobis Eccleſiaſtici conſilium ante oculos ponamus: In die bonorum non immemor ſis malorum. Eccli. 11.

Sed quamuis hodie ſatis magnam timendi cauſam habeamus, maior tamen nobis ex huius diei myſterio ſperandi quàm timendi cauſa ſubeſt. Vt enim quidam ex Patribus ait: In Chriſti Domini paſſione inceditur charitas, in reſurrectione confirmatur fides, in aſcenſione verò ſpes roboratur. Dum enim caput noſtrum in cælos aſcendit, nos quoque per illum & in illo ſimul aſcendimus, Apoſtolo teſtante, qui ait: Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto. Quonam modo conſedere fecit? Quia nimirum, quo proceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis, ipſo Domino teſtante qui ait: Vbi fuerit corpus, illuc cōgregabūtur & aquilæ. Rurſumque: Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Hanc prouinciam Dei filio dignam ſuſcepi, propter hāc è cælis ad terram deſcendi, propter hanc, vitam cum ſanguine fudi, vt hominem, quem diaboli inuidia expulerat è paradiſo, ego mecum conſedere faciam in cælo. Epheſ. 2. Mat. 24. Ioan. 17.

Huius autem feliciſſimæ ſpei duo nos habere firmiſſima pignora Tertullianus teſtatur his verbis: Quemadmodum Chriſtus nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Hæc ille. Duos igitur habemus, fratres, ſpei noſtræ obſides; alterum quòd Spiritus Dei miſſus eſt in terram; alterum quòd caro noſtra ſublata eſt in cælum. Si enim Spiritus ſanctus datur nobis in hac vita, quid mirum ſi detur in altera? Si datur peccatoribus, quid in gratia confirmatis? Denique ſi ipſe ad nos deſcendit in terram, quid mirum ſi nos ipſe deducat in cælum? Longè enim maius eſt, Regem Tertul. Simile.

honoris gratia, venire in domum serui, quàm seruum ingredi palatium Regis. Alterum verò spei nostræ pignus est, quòd hodie caro nostra in Christo Domino est in cælum delata, in qua tota generis humani natura huius dignitatis & gloriæ particeps effecta est. Si enim sublimis ille beatarum mentium locus naturæ nostræ portionem intra se iam admisit: quid prohibet vniuersam quoque naturam, si peccati expers sit, eodem peruenire?
Deut. 26. Olim Dominus in lege frugum primitias sibi quotannis offerri præcipiebat, quo fideles, exigua illa particula Deo consecrata, reliqua omnia se ab eo recepisse, atque eius esse, profiterentur. Si igitur cælum hodie naturæ humanæ primitias accepit; reliquam deinceps eiusdem naturæ partem, si à vitiis purgata fuerit, in se
August. in medit. quoque recipiet. Hinc Diuus Augustinus ait: Vbi caro mea regnat, ibi me regnare credo: vbi sanguis meus dominatur, ibi me gloriosum futurum spero: & si peccata mea prohibent, naturæ communio non repellit. Denique huius dignitatis Tertullianus
Tertul. se nobis velut fideiussorem exibet, dicens: Securi estote caro & sanguis: vsurpastis & cælum & regnum Dei in Christo Iesu.

Pars posterior.

Ex his autem, quæ à nobis hactenus dicta sunt, facilè liquere puto, fratres, quid nobis facto opus est, quàm diu in hoc seculo tanquam aduenæ & peregrini versamur. Si enim verissimè à Domino dictum est, Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum; si thesaurus noster, spes nostra, hæreditas nostra, opes, & gloria & felicitas, ac omnia denique bona nostra in cælo reposita sunt, totque huius rei obsides habemus: quid superest, nisi vt ibi etiam sit cor nostrum, hoc est, omnis cogitatio nostra, omnis amor & cura & desiderium nostrum? Vnde August. Ibi, inquit, spera, ibi ama, inde pete virtutem, ibi expecta mercedem, & omnis tua expectatio desursum sit. Si quis enim apud Indos agens, in Hispania domicilium, parentes, fratres, amicos, & ingens patrimonium haberet; qui fieri posset, vt non præcipua eius cura & cogitatio in Hispania defixa esset? Cùm ergo electi omnes in cælo domicilium ac sedem à constitutione mundi paratam habeant, cùm ibidem patrem Deum, conciues & amicos Angelos, fratres verò eiusdemque naturæ consortes sanctorum omnium choros, ac postremò opes suas omnes, & hæreditatem incontaminatam & immarcescibilem habeant; quomodo non ibidem etiam mente & cogitatione erunt, vbi se adeò felices futuros sperant? Hæc certè obliuio nequaquam in illius Prophetæ mentem cadebat, qui supernæ patriæ amore inflamma-
Psal. 136. tus, his eam verbis compellabat: Si oblitus fuero tui Ierusa-
lem,

lem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui. Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ: vel (vt alius interpres vertit) Si non faciam aſcendere Ieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ: hoc eſt, ſi præcipuum meum gaudium non poſuero in recordatione Ieruſalem, illius gloriam meditando, illius æternam pacem cõtemplando, ad illamq́ue, ſpretis omnibus, toto affectu, ſtudio, & cogitatione aſpirando. Hinc D. Auguſt. in ſupernæ illius ciuitatis gaudia ore cordis inhians, illa verba fundebat: Mater Ieruſalem, ciuitas ſancta Dei, chariſſima ſponſa Chriſti; te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium deſiderat mens mea. O quàm decora, quàm glorioſa, quàm generoſa tu es! tota pulchra es, & macula non eſt in te. Idemq́ue paulo antè, Libet me, inquit, tuæ intendere claritati, delectant me bona tua: quanto plus valeo mecum conſiderare, tanto plus amore langueo. Libet itaque, libet in te oculos cordis attollere, libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius ſub corde reuoluere, vt vel ſic poſſim ab huius mortalis vitæ ardoribus & periculis ſub tuæ vitalis auræ refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululum reclinare. Quis autem, quantus ſit huius piæ meditationis fructus, verbis conſequi valeat? Conſtat enim mortales omnes curarum atque laborum requiem ante omnia cupere. Ad hanc enim omnes auiſdiſſimè currunt, quamuis contrariis itineribus ad illam contendant. Vnica autem ad eam perueniendi via eſt, quam pauciſſimis verbis D. Auguſtinus expoſuit, qui nos ad cæleſtiũ bonorum cogitationem & amorem inuitans, hæc memorabilia verba ſubiecit: Ibi, inquit, ſit mens, & hîc erit requies. Hoc eſt, ſi amor, ſi deſiderium, ſi cura omnis & cogitatio noſtra in cæleſtibus bonis fuerit collocata, omnia protinus terrena bona vileſcent atque ſordebunt. Amore verò terrenorum bonorum ſublato, nihil erit cur quiſquam pereuntibus mundi rebus turbari aut moleſtia affici debeat, dum ea amittit, quibus per amorem non inhæret. Qui enim amoris glutino rebus ſuis alligatus eſt, neceſſe eſt, vt, quicquid res ipſas pungit & lacerat, cor etiam, quod illis coniunctum eſt, ſimili modo ſauciet & vulneret. Nunquam enim ſine dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur. Ideo namque patres filiorum mortem lugent, aliorum verò non lugent; & mercatores rerum ſuarum iacturam acerbè ferunt, aliorum non ita ferunt: quoniam ſua amant, aliena non amant. Amor enim dolorum omniũ atq; perturbationum radix & origo eſt: radice autem inordinati amoris exciſa, conſequens eſt vt rami quoq; ab eo pullulantes areſcant.

Auguſt. in medit.

Heb. 10. Hinc fidelibus, qui ex Hebræis crediderunt, Apostolus ait: Iacturam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, reputantes vos habere meliorem & permanentem substantiam. Isti igitur reipsa experti sunt quod D. Aug. ait, nempe: Ibi sit mens, & hîc erit requies. Quia enim isti spes omnes & opes suas in cælo reconditas habebant, facile fuit contemnere quod præ cælestium bonorum dignitate vile sibi esse putabant. Si nos igitur hoc exemplo huius vitæ opes caducas, fragiles, insidiosas, & infinitis incommodis affectas, indignas amore nostro iudicantes, ad illa æterna, vera, solida, stabilia, & nunquam interitura bona mentem nostram extulerimus, facilè caduca huius sæculi bona, (si bona tamen appellanda sint) contemnemus: atque ita demum fiet, vt nulla nos aduersitas, nulla calamitas, nihil vel lætum aut triste, animum nostrum frangere queat, aut de placido mentis statu deiicere: quandoquidem vbi amor non est, ibi nec lætitia, nec tristitia, nec vlla animi ægritudo habere locum potest. Videtis ergo, fratres, quàm ingens sit huius piæ cogitationis & studij fructus. Si ergo hæc præcipua hominis Christiani cura esse debet, si hoc à nobis potissimùm Dominicæ ascensionis mysterium exigit, vt vbi thesaurus noster est, ibi sit & cor nostrum; quonam modo huic officio satisfaciunt qui omnes curas & cogitationes suas ad terram deiecerunt, dum nihil nisi terrena bona curant, illa sitiunt, illa solùm cogitant, illa terra mariq; studiosissimè conquirut, in illis amorem, in illis spem, in illis felicitatem suam collocant, atq; illis tantùmodo & suam & aliorum felicitatem metiuntur; dum beatos putant qui his bonis affluunt, miseros qui his destituti sunt. Dic mihi, quæso, ô homo, an non Christianus es? an non fides tua profitetur, non habere te hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirere? an non peregrinus es & aduena in terra, sicut omnes patres tui? an non in via ipsa, quàm diu viuis, positus es? imò & ipsum viuere, iter facere est. Siue enim vigiles, siue dormias; siue edas, siue bibas; semper iter facis, semper itineris termino appropinquas. Quomodo ergo ita itineris per quod incedis, & finis ad quem tendis, & fidei quam profiteris, quæ tibi alteram vitam, alteram patriam, alteram felicitatem proponit, oblitus es? Quasi enim nihil esset tibi commune cum cælo, quasi hîc manentem ciuitatem haberes, quasi hîc tanquam in patria, non tanquam in exilio degeres, quasi denique nihil spirituale, nihil diuinum esset intra te, ita terrenis bonis incubas, ita ea solùm iumentorum more sectaris, quæ in cælo nihil habent quod sperare possint. Psal. 4. Aduersum hos autem meritò Dominus in Psal. clamat: Filij hominum, vsquequo graui corde, &c. siue (vt D. Hieron. vertit) Filij viri, vsquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem,

nitatem, & quæritis mandacium ſemper? Quod perinde eſt ac ſi diceret: Quouſque tandem, ô nobiles creaturæ (id enim filij viri Hebræis ſignificat) quouſque, inquam, immemores ingenitæ nobilitatis veſtræ, imaginis veſtræ, profeſſionis veſtræ, redemptionis veſtræ; ac patriæ deniq; veſtræ, cæleſtium bonorum obliti, vana atque terrena toto corde ſectamini, & poſt vanitatem ambulantes, vani etiam effecti eſtis?

Denique hos ipſos mertiò Angelorum verbis compellare poſſumus: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? An neſcitis vos Galilæos, id eſt, tranſmigrantes eſſe; qui à loco in locum, id eſt, de regione vmbræ mortis, in regionem tenditis lucis & æternitatis? Ergo tranſmigrantes, ſiue viatores, quid hîc cunctamini? quã rem agitis? cur non ea paratis, quibus in terra, ad quam pergitis, frui poſſitis? Quæ inſania eſt, tãto ſtudio tam multa in hanc vitam craſtina die finiendam congerere, & nihil ad eam præparare quæ nullo vnquam tempore finienda eſt? Si tam multa congeritis ad huius vitæ momentum, cur nihil ad æternitatem? Nimirum quia te Galilæum, hoc eſt, tranſmigrantem & peregrinum non agnoſcis.

Agnoſces tamen in ipſo vitæ exitu, quando tibi ex hac vita in alteram migrandum erit: tunc enim facilè intelliges, te non huius mundi ciuem, ſed peregrinum & viatorem fuiſſe, quando tibi (velis, nolis) per mortem in alteram vitam decedendum erit. Quo tempore tibi cæteriſque continget quod D. Chryſ. his verbis obſeruatione digniſſimis explicat: Moriens cunctos ſalutat, donec ſuæ mentis dominus eſt, donec ſua lingua loqui poteſt: Valete, inquit, amici mei, & Deum pro me orate. Iter enim pergam extraneum, quod nunquam ambulaui; in regionem longinquam, quam viuentium nemo vidit; in ſeculum alterum animarum, vnde nullus reuerſus eſt; & in regiones metuendas, per quas nullus me comitabitur; & ad iudicẽ tremendum, vbi neſcio quid mihi continget. Si enim in hoc iudicio mihi bene ceſſerit, in æternũ regnaturus ſum; ſi malè, in æternum arſurus. Nunc tamen, fratres, in poteſtate noſtra eſt, vt felix ſit, quod æternum futurum eſt. Ex hoc enim vitæ noſtræ momento æternitas pendet: vt hoc argumento appareat, quantum inſaniant, qui propter momentaneam voluptatem, æternam felicitatem amittere non verentur.

Chryſoſt.

II

Cæterùm ad hanc felicitatem conſequendam, non ſatis eſt cogitatione & affectu in eam tendere, niſi etiam quò fide pergis, conuerſatione peruenias: hoc eſt, ſic vitam inſtituas, vt ad illam rectà peruenire merearis. Hæc enim præcipua viri iuſti cura eſt, qui aſcenſiones diſponit in corde ſuo, in valle lacrymarum:

rum: vbi procedens de virtute in virtutem, videbit tandē Deum deorum in Sion. Ad hoc autem primò sciendum est, naturam
Simile. cordis nostri quodammodo igneam esse. Sicut enim ignis vehementi impetu sursum fertur: ita cor hominis (quod ad altissimum & summum bonum conditum est) nullo modo in imo subsidere solet: ideoque ad alta semper aspirat, dignitates ambit, honores consectatur, omnibus præesse concupiscit, vt hac tandem ratione similis Deo fiat, qui in summo rerum omnium cardine positus est. Quo fit, vt hac potissimùm esca laqueum illi diabolus tetenderit, cùm ad noxium interdictæ arboris cibum inuitauit, promittens fore, si fructum eius ederet, vt similis Deo fieret.
Ioan. 4. Qua verò ratione hominem illaqueauit, seipsum quoque decepit: dum ad sedem Dei aspirans, similis Altissimo fieri concupiuit. Vterque ergo dum ascendere cupit ad summum, ad imum deiectus est: quandoquidem homo extra paradisum pulsus, diabolus verò in tartarum deturbatus est. Cùm ergo isti duo, dum nituntur ascendere, corruerint, quia ascendere nescierunt; quæramus viam qua citra ruinæ periculum ascendere valeamus. Quæramus etiam viæ ducem, quem sine errore sequamur. Via non alia quàm Christus est, qui ait: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ipse quoque viæ huius dux certissimus est, quem sequentes deuiare non possumus. Ipse enim salutis nostræ causa & efficiens & exemplaris esse dicitur: quia non solùm meritis, sed etiam exemplis aditum nobis patefecit in cælum. Qua autem via dux
Philip. 2. iste ascenderit, satis apertè Apostolus indicat, cùm ait: Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. En qua via, fratres, Saluator ascendit, perfectissimæ scilicet humilitatis: hac igitur nos illū sequamur. Homo enim ac dæmon ascendendo ad supera tendere voluerunt; Christus verò Dominus contraria via ingressus, vt ascenderet, descendit. Itaque primus huius descensionis gradus fuit è cælo in vterum Virginis, qui locus est proprius hominum: secundus ex vtero in stabulum, qui locus est iumentorum: tertius à præsepio in crucem, qui locus est flagitiosorum: quartus à sepulchro in limbum, qui damnatorum loco proximus est: quamuis eò ipse descenderit non vt debitor, sed vt Redemptor. Vbi autem nihil fuit quò vlterius descenderet, tunc demum super omnia exaltatus, & ad dexteram Patris euectus est. Atque hac ratione, qua via nobis in cælum esset ascendendum, ostendit: nempe vt ad imum vsque locum per humilitatem descendamus, quo nos Deus exaltet in
Simile. tempore visitationis. Qua in re semina, quæ iaciuntur in terram, imitari

imitari debemus, quæ radices primùm ad ima demittunt, ac deinde ad superiora se subrigunt; & quo sublimiùs attolluntur eo profundiùs radices in terra iacientes, priùs vtique descendunt, quàm ascendant. Quo exemplo monemur, vt per humilitatis viam, ad celsitudinis gloriam contendamus. Qua nimirum contendebat sanctus ille Rex; qui quamuis rex esset, non tamen regali luxu & potentia tumebat, sed humilibus consentiens, hisce verbis sese ante Dominum deijciebat: Domine, non Psal. 130. est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei: nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus super me. Cur igitur, ô sancte Rex, ita humiliaris atque deiiceris? Nimirum quia agnosco quæ sit tuta & recta in cælum via: agnosco mores & ingenium Domini mei: scio quia excelsus Dominus, & humilia respi- Psal. 137. cit, & alta à longè cognoscit: scio quia superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: scio quia respicit orationes humi- Iacob. 4. lium, & non spernit preces eorum: scio quòd, nisi efficiar sicut Psal. 101. paruulus, non intrabo in regnum cælorum. Scio denique illud, Matt. 18. Custodiens paruulos Dominus: ideo non ambulo in magnis, Psal. 114. nec in mirabilibus super me. Hæc est igitur, fratres, certissima Psal. 130. in cælum via, quam sacræ litteræ docent, qua dux noster processit Christus, qua ingressi sunt omnes electi, à qua diabolus & primus homo declinantes, in barathrum sunt præcipitati. Sciunt hoc Christiani, qui per humilitatem crucis Dominum in cælum ascendisse confitentur: qui tamen diabolum imitari malunt per superbiam in tartara corruẽtem, quàm Christum Dominum per humilitatem super cælos ascendentem. Sed dicet aliquis forsan: Quonam modo me humili ac demisso animo geram, & ad ima deiiciam, cuius mentem naturæ quodammodo igneæ esse dixisti, quæ ad supera loca atque sublimia more ignis semper aspirat? Ad hoc igitur, fratres, nulla commodior via est, quàm à Christo humilitatis magistro humilitatis spiritum assiduis precibus postulare, illique (quatenus liceat) perpetuò assidere; illum, quocumque perrexerit, comitari; illius facta, dicta, beneficia, & clarissima virtutum exempla sedulò meditari: hac enim ratione fiet, vt, humilitatis exemplar semper ante oculos habentes, nos quoque humiles euadamus. Si enim, Eccli. 13. vt est ab Ecclesiastico dictum; Qui communicat superbo, inducet superbiam; consequens etiam est, vt, qui humili Christo communicauerit, humilitatem induat. Huius rei mira in Elia 4. Reg. 2. & Heliseo figura præcessit, quæ ab huius diei mysterio non abhorret. Cùm enim Eliam Dominus per turbinem eleuare vellet in cælum, iussus est à pio magistro discipulus ante discessum postulare quod vellet. Is verò duplicem eius spiritum postulauit; hoc est, vt more primogenitorum hæres institueretur,

quibus

quibus per legem duplex hæreditatis portio obtingebat. Amplam igitur diuini Spiritus hæreditatem, & ingentes gratiæ cælestis opes, sibi à dilectissimo magistro dari poscebat. Cui ille, Rem, inquit, difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar à te, erit quod petisti. Quid sibi vult hæc conditio? quid ad hoc munus percipiendum attinet Eliam abeuntem videre, aut non videre? aut quid, quæso, exigit, cùm hoc ab illo exigit, in quo tantæ rei summam vir diuinus collocauit? Nimirum (quod reipsa postea declaratum est) id petebat, quod huiusmodi visionem necessariò antecedebat; videlicet inseparabilē discipuli atque magistri societatem & coniunctionē. Hoc magister petiit, hoc discipulus intellexit, & præstitit. Vnde Elia dicente, Sede hîc, quia Dominus misit me Hiericho: Heliseus respondit, Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Rursumque eodem repetente, Sede hîc, quia Dominus misit me in Bethel: ille contrà, ne non semper magistrum videret, iterum respondit, Viuit Dominus, &c. Iterumque dicente, Sede hîc, quia Dominus misit me vsque Iordanem: rursus ille respondit, Viuit Dominus, &c. Quo factum est, vt dum eius semper lateri indiuulsus adhæresceret, non potuerit illum à se discedentem non videre, atque ita abeuntem illum oculis & voce sequens pallij eius quod abeunti ceciderat, & spiritus quem petierat, hæres effectus est. Quid igitur hoc symbolo innuere Spiritus sanctus voluit? Nimirū, vt si Spiritus Christi in cælum ascendentis
Ephes. 4. (vnde dona dat hominibus) participes & heredes esse volumus, instar Helisei, eum quocumque ierit, sequamur, nec ab eo vmquam diuellamur. Hoc est, vt quando illum gressibus corporis sequi non licet, cogitatione & affectu illum vbique sequamur, siue cùm nascitur, siue cùm pro nobis moritur, siue cùm à mortuis resurgit, siue cùm victor in cælum ascendit. Neque in his tantùm præcipuis eius itineribus, sed in omnibus etiam aliis, quibus ad hæc ipsa peruentum est: videlicet cùm in summa paupertate & humilitate pro nobis in stabulo nascitur, cùm octauo deinceps die fuso sanguine circūciditur, & cùm in templo à matre piissima offertur, cū exul proficiscitur in Aegyptum, cùm inde in Iudæam septennio elapso reuertitur, cùm ieiunaturus pergit in desertum, cùm per vicos & ciuitates transit prædicans regnum Dei, & cùm ad passionem tanquam agnus mansuetus flagellandus, illudendus, cōspuendus, crucifigendusque ducitur; cùm postremò spoliato tartaro resurgit à mortuis, & victor in cælum ascendit. In his ergo omnibus itineribus illum cogitatione & amore, comitari semper studeamus, nec ab eo (quatenus fieri possit) oculos vnquam deflectamus. Quod quidem faciunt, quibus quotidiana vitæ Domini Saluatoris meditatio proposita

ſita eſt. Hæc enim eſt certiſſima via qua Spiritus eius participes efficiamur. Quia enim humanitas Chriſti ſalutis noſtræ atque omnium gratiarum fons eſt: quo quis propiùs ad hunc gratiarum & vitæ fontem acceſſerit, hoc magis ab illo vitam & Spiritum cæleſtem hauriet. Nam etſi ſacræ huius humanitatis fructus omnium ſit communis, illorum tamen peculiari ratione eſſe dicitur, qui ipſam ſtudioſiùs contemplantur, deuotiùs venerantur, eiuſque ſacra myſteria ſemper ante oculos ponunt. Quiſquis igitur Eliam noſtrum hac ratione comitabitur, is planè Spiritus eius hæres efficietur: atque ita demum veram cordis & corporis humilitatem conſequetur: qua humilis magiſtri veſtigia ſequens, nec ab eo vſquam deflectens, eò tandem perueniet, quò ille, hac die ſublatus, & viam nobis ſuo oſtendit exemplo, & hæreditatem meritis comparauit.

IN EODEM FESTO ASCENSIONIS DOMINI, CONCIO TERTIA: QVÆ rationem explicat, qua Saluatoris noſtri ad Patrem aſcenſus charitatem & ſpem in nobis potiſſimùm excitauerit; & quis deinde ſit charitatis huius & ſpei fructus, oſtendit.

THEMA. *Aſcendit, pandens iter ante eos.* Mich. 2.


INTER omnia Domini Saluatoris feſta, quæ religio Chriſtiana celebranda ſuſcepit, ſingulari quodam priuilegio ſacri huius diei ſolemnitas eminet. Eſt enim (vt Bernardus ait) cōſummatio reliquarum feſtiuitatum, & (vt ita dicam) felix clauſula totius itinerarij Filij Dei. Quia verò hoc tam longum iter ſalutis noſtræ cauſa ſuſceptum eſt, noſtra planè intereſt, non modò ſalutis noſtræ auctorem & conſummatorem Ieſum glorificare, ſed etiam, quid nobis hodie contulerit, intelligere. Nec enim minùs hodie ſalutis noſtræ negotium egit cùm in cælum aſcendit, quàm cùm in terris nobiſcum verſatus eſt. Quam rem hæc Prophetæ verba, quæ à me modò propoſita ſunt breuiter indicant; Aſcendit, pandens iter ante eos. Quibus verbis Vates ſanctus oſtendit, Chriſtum Dominum aſcenſum nobis in cælum ſuo aſcenſu parauiſſe: quando is, & quò illum ſequamur, oſtendit, & ducem ſe nobis huius itineris exhibet: nec ſolùm ducem, ſed etiam adiutorem, vt poſtea latiùs aperiemus. Quod D. Auguſt. intelligens, ſe ipſum ad hoc iter ingrediendum adhorta-

Bernard.

Auguſt.

hortabatur his verbis: Proficiscamur, ô anima, ad ciuitatem in qua ascripti sumus, & ciues decreti: ad quam nobis fiducia latum præbebit ingressum. Quænam fiducia? Illa nimirum, de qua idem ait: Vbi caro mea regnat, ibi me regnare credo: vbi sanguis meus dominatur, ibi me gloriosum futurum confido: & si peccata me excludunt, naturæ communio non repellit. De hoc igitur ineffabili diuinæ pietatis beneficio hodierna die dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Idem.

AVE MARIA.

Simile. Principiò sciendum est, quòd quemadmodum duobus eget homo pedibus ad ambulandum, & aues quoque duabus alis ad volandum: ita spiritualis homo duobus siue pedibus siue alis indiget, quibus per iter salutis incedat, quibusque ad omnia virtutis officia moueatur, spe scilicet & amore. Quam autem vim ad omnia, quæ agenda sunt, hi duo affectus habeant, quotidiana experimenta declarant. Videmus enim matres ad labores & officia omnia quæ ad filiorum educationem necessaria sunt, solo amore incitari: operarios verò & opifices, futuræ mercedis spe ad omnem operis laborem accingi. Spes enim sic animum ad res gerendas exacuit, vt maximorum laborum obliuisci faciat, omnemque sensum à cogitatione doloris abducat. Agricolæ enim frugum expectatione labores continuos facilè perferunt: milites spe victoriæ incensi, vulnera non perhorrescunt: venatores nullos imbres nec frigora formidant: nemo denique sperat aliquid, quem non spes illa ad omnes labores libenter accipiendos exsuscitet. Cùm ergo inter labores & opera omnia, quæ hominibus proposita sunt, maximum maximeq; arduum iter in cælum sit: duobus his pedibus atq; alis (hoc est, duobus his affectibus, spe scilicet & amore rerum cælestium) indigemus, quibus ad illud contendere valeamus, sine quorum adminiculo segnes & tardi ad omnia pietatis officia, quæ ad hoc iter necessaria sunt, inueniemur. Cæterùm cùm videamus homines terrenarum rerum, inter quas degunt, amore captos, cælestia, quæ minimè videre, fastidire, & amorem omnem atque salutis spem in terrenis rebus collocare: quî fieri poterit, vt eos ab harum rerum amore abstractos, ad inuisibilium amorem traducamus? Ad hoc planè cùm multa alia, tum præcipuè Dominicæ redemptionis & salutis nostræ opus miro modo iuuat: quod quidem vt ab infinito amore profectum est, ita nostrum erga Deum amorem vehementer incendit, & spem in illum mirificè roborat. Hoc autem qua ratione fiat, deinceps aperiendum est.

Simile.

Simile.

Iam primum constat in communi illa generis humani clade (quæ primorum parentum vitio contigit) omnes homines à

gratia

gratia Dei & ſpe vitæ cæleſtis excidiſſe. Conſtat etiam, iuſtum iudicem Deum, ſi iure nobiſcum agere voluiſſet, in illo nos miſerando ſtatu relinquere potuiſſe: cùm nemo eſſet, qui vel iure vel potentia hoc ab eo exigere poſſet. Propter immenſam tamen & infinitam bonitatis & miſericordiæ ſuæ magnitudinem, placuit ei, nos ab illo infelici ſtatu erigere, & in priſtinum dignitatis gradum reſtituere. Id autem opus vnigenito Filio ſuo demandauit, vt, qui potentiæ ſuæ magnitudine hominem condiderat, bonitatis magnitudine lapſum repararet. Quod is opus adeò feliciter abſoluit, vt, ſi omnia hominum vota & conſilia in vnum coirent, nihil poſſent aut conuenientius aut præſtabilius optare. Quia enim Redemptor ipſe Dei Filius erat, qui nulla menſura Spiritum acceperat, & redemptionis opus ipſi commiſſum excellentiſſimum erat (vtpote quo ſalus mundi continebatur) pleniſſimè atq; perfectiſſimè illud abſoluendum curauit. Quo factum eſt, vt omnia eius opera, dicta factaque vſque adeò nos ad rerum cæleſtium amorem & deſiderium rapiant, vt ipſe dicere meritò potuerit: ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi vt accendatur? Ea enim opera edidit, ea in nos beneficia contulit, ea propter nos perpeti dignatus eſt, talemque ſe nobis omnibus in rebus exhibuit, vt in cunctis operibus ſuis carbones ignis congeſſerit ſupra caput noſtrũ: ita vt pluſquam ferreus ſit, quiſquis hoc eius igne nõ accenditur. Hoc enim igne ſic ſancti Martyres incenſi fuerunt, vt omnium tormentorum flammas & ignes, hoc cæleſti igne incenſi, facilè ſuperarent. Eorum enim illa vox eſt: Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus adhuc propter eum qui dilexit nos. Qui videlicet dilectione ſua ita noſtram erga ſe accendit, vt aquæ multæ non potuerint eam extinguere, nec vlla flamma operire. Hunc autem dilectionis affectum omnia Saluatoris noſtri opera ita accendunt, vt non ſolùm quæ in hoc mundo inter homines agens operatus eſt, ſed ea etiam quæ poſt paſſionem & reſurrectionẽ ſuam conſecuta ſunt, idem efficiant. Quod in aſcenſionis eius myſterio cernere licet, in quo nihil minus nobis contulit in cælum aſcendens, quàm cùm in terra nobiſcum verſaretur.

Lucæ 12. Pſal. 43. Rom. 8.

Quòd ſi aduerſus hanc ſententiam obiicias: Quæ ad nos vtilitas ex aſcenſu Chriſti emanare potuit, quæ ſit cum ea comparanda quam in terris agens præſtare nobis potuiſſet? Quàm diù enim nobiſcum verſabatur, præterquam quòd exemplis ac doctrina ſua nos ad iuſtitiam erudiebat, poterat etiam & pati, & mereri, & pro ſceleribus noſtris ſatisfacere: quorum nihil in cælo poteſt, vbi non merendi, ſed recipiendi; non laborandi, ſed regnandi locus eſt. Qua ergo in re vtilitas eſſe nobis potuit

Simile. ascensio eius? Duo, fratres, cōmodissima tempora definiunt agricolæ: alterū serendi, alterum metendi; alterū spargēdi semina, alterum fructus percipiēdi. Duo item habet Imperator pręcipua in bello tempora: alterum debellandi hostes, alterū spolia colligendi; alterum pugnandi, alterū occupandi quod expugnatum est. Quæro igitur à vobis, vtrum horum temporum felicius aut vtilius existimabitis? Vtrumque planè vtilissimum; sed hoc tamen posterius longè vtilius & optabilius. Illud enim ad hoc ceu ad finem ordinatur. Finis autem iis quæ ad finem destinata sunt, nobilior atq; præstantior est. Sementis enim tempus ad messem, belli autem ad victoriam, & spolia colligenda destinatur. Sic ergo salutis nostræ auctor Dominus Iesus in vita ac passione sua velut agricola seminauit; sed in resurrectione & ascensione messuit: idemque tanquam bellator fortis in passione aduersus principem huius mūdi decertauit, & per mortem destruxit eum qui mortis habebat imperium: sed in resurrectione & ascensu suo cęlestis regni interclusas peccati iure sedes occupauit, & opes Ephes. 4. suas hominibus distribuit; dum ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: hoc est, victoriæ suæ spolia atque opes hominibus impartitus est.

Cuius rei vel illud satis magno argumento est, quòd, quādiu nobiscū egit, centum & viginti homines designauit, super quos Spiritum sanctum misit: in cælis autem agens, vniuersum mundum sub imperium suum ditionemque subiunxit. Quod enim Iudic. 16. de Samsone dictū est, quòd illustriorem de hostibus victoriam moriens quàm viuens reportauerit, hoc de Saluatore nostro, cuius ille figuram gerebat, dici multo iustiùs potest. Denique ascendens in cęlum adeò amplè atque magnificè Spiritus sancti dona largitus est, vt Apostoli manuum impositione Spiritū sanctum hominibus darent. Quin & ipsi Apostoli post eius in cælum ascensum ea plenitudine Spiritum acceperūt, vt, qui humano metu exanimati in passione Dominum partim negauerunt, partim relicto eo fugerunt; postea induti virtute ex alto, contra Reges & Principes totamq; mundi potentiā infracto & inuicto animo decertarint, ipsisque repugnantibus, & mille tormentorū machinis obsistentibus, fidem longè lateq; propagarint. Videtis ergo, fratres, quàm salutaris nobis fuerit Christi Domini ascensus in cælum? Sed quoniam hæc generatim & breuiter dicta sunt, operæpretium erit eadē paulo fusiùs & vberiùs explicare.

I.

Sciendum ergo est, variis modis Christum Dominum salutem nostram operatum fuisse: cuius rei gratia variis nominibus in litteris sanctis appellatur. Tria verò præcipua eius nomina celebrantur, nempe Redemptoris, Regis, & Sacerdotis: quia

quia his tribus officiis in salute nostra procuranda potissimùm vsus est. Vt redemptor enim, sanguinis suo pretio nos à diaboli captiuitate redemit. Iusta enim superni Iudicis sententia, diabolo, tamquam eius carnifici, traditi eramus torquendi & excarnificandi. Vbi verò Christus Dominus sanguinis sui sacrificio pro sceleribus nostris satisfecit, ab hac protinus tyrannide redempti sumus. Deinde etiam vt verus ac legitimus Sacerdos (cuius officiũ est orare, aduocare, & offerre dona Deo pro salute hominum) salutis nostræ causam egit. Omnis enim Pontifex (vt Apostolus ait) ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deũ, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hoc autem munus Christus Dominus cumulatissimè præstitit, qui (vt idem Apostolus ait) cum clamore valido & lacrymis pro nobis orauit, & exauditus est pro reuerentia sua. Postremò eandem salutẽ nostram non modò vt Sacerdos, sed vt verus etiam Rex stabiliuit atque promouit. Ad Regis enim officium præcipuè pertinet, sapienter ciues suos regere, atque in suum finem, hoc est, in beatitudinem dirigere. Quod quidem munus perfectissimè Christus Dominus administrat, cùm nos & legibus suis regit, & Spiritus sui ductu ad vitam beatam & immortalem perducit. Cùm igitur hac triplici ratione salutem nostram Christus Dominus procurauerit, triplexque in hac re officium exercuerit; primum quidem officium inter nos agens exercuit, dum nos meritis & sanguinis sui pretio à diaboli potestate redemit: at Sacerdotis & Regis officium non solùm cùm in terris vixit, sed nunc etiam cùm in cælo regnat, perpetuò exercet. Quæ duo eius officia paulo fusiùs explicare libet.

Heb. 5. Ibidem.

Quod igitur nunc Sacerdotis munus in cælum ascendens exequatur, luculenter Apostolus in Epist. ad Hebr. declarat his verbis: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, nec per sanguinem hircorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, &c. Quibus verbis Apostolus non modò sacerdotale Christi officium exponit: sed etiam quàm multis mirisque modis Leuitici sacerdotij dignitatem antecellat, longa oratione describit. Primùm enim Leuiticus sacerdos non ascendebat in cælum, vbi Dei sedes est, cum quo humanæ salutis negotia tractanda sunt. At Christus Dominus (vt idem Apostolus ait) nõ in manu facta sancta introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Præterea sacerdotium illud cum sacerdotis vita finiebatur; ideoque nouis quotidie successoribus indigebat: hic autem (vt idem Apostolus ait) eo quòd maneat in

Heb. 9. 1. Heb. 2. 11. Hebr. 7.

æternum,sempiternum habet sacerdotium, semper viuens ad
III. interpellandum pro nobis. Ad hæc,sacerdos ille terrena præci-
puè dona (quæ in illa carnali lege promittebantur) à Deo im-
petrare contendebat: Christus verò, qui Pontifex esse dicitur
futurorum bonorum,non tam præsentia, quæ fluxa & caduca
sunt;quàm futura bona,quæ immortalia & æterna sunt;à Pa-
IIII. tre suo nobis quotidie impetrat. Adde etiam quòd sacerdos ille
non quidem suum sanguinem,sed hircorum aut arietum offe-
rebat, qui mentem hominis peccato inquinatam mundare
non potest,quamuis legales corporum sordes ablueret:at Pon-
tifex noster non per sanguinem taurorum aut hircorum, sed
per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna re-
demptione inuenta. Quæ res quantum nobis spei robur & fir-
mitatem tribuat, idem Apostolus his memoralibus verbis de-
clarat: Si enim sanguis taurorum,aut hircorum,& cinis vitulæ
aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:quã-
to magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetip-
sum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias no-
stras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Postre-
V. mò sacerdos ille semel tantùm in anno sanctuarium cum san-
guine ingrediebatur; nos etiam qui reuelatæ gratiæ tempore
sacerdotio fungimur, quamuis quotidie sanctuarium Domini
ingrediamur, & Missam quotidie celebremus; peracto tamen
Missæ sacrificio, sacerdotalis officij ministerium terminamus:
at Christus Dominus semel ingressus in sancta, ab iis nũquam
ampliùs egressus est, & missam, quam illo sanctuario hodie
cœpit,numquam hactenus finiuit,nec nisi,in extremo mundi
die, finiturus est. Est enim ea missa cui extrema illa clausula
minimè cõuenit: Ite Missa est. Quid enim vos Missam esse
putatis fratres? Missa est sacrificiorum omniũ,quæ Deo offerri
possunt,præstantissimum;quo videlicet Deo Patri sacram Filij
eius humanitatem & mortem pro salute nostra offerimus. Hoc
autẽ Christus Dominus perpetuò in cælis agit:qui & seipsum,
& mortis suæ sacrificium ante Patris æterni conspectũ perpe-
D. Tho. tuò repræsentat. Hac enim ratione D. Thomas ait,illum sacer-
dotis & aduocati officio fungi;dum humanam naturam,nostri
causa susceptam, ante Patris æterni conspectum exhibet: quo
nos Pater cælestis tanquam generis sui consortes, Christique
Filij sui fratres, piis oculis intueri, & misereri dignetur. Quid
autẽ huic tanto Sacerdoti,quid huic gratissimo sacrificio, quid
his meritis poterit denegari? Vt hac ratione intelligatis, fratres,
qua fiducia, qua animi alacritate ac deuotione petitiones ve-
stras ante communem hunc parentem proponere debeatis,
qui talem apud eum aduocatum nacti estis: præsertim cùm
eius

eius aduocati merita, & quos nostri causa pertulit labores, ante cælestem Patrem offerre possitis: quos aduocatus noster non tam sibi (qui nulla re indigebat) quàm nobis thesaurizauit, nobisque velut testamento reliquit.

Sed fortasse quisquam humano sensu diuina æstimare volens obiiciat, exhausta iam esse tot beneficiis ac donis propter eum impensis Sacerdotis huius merita, & fastidium quodammodò esse iam diuinis auribus ingeneratum, Christi nomine toties in petitionibus nostris ad impetrandum repetito. Huic autem infirmitati prospicere diuina misericordia volens, duos nobis misericordiæ suæ velut obsides præbuit, cùm ait: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Primùm enim iusiurandum interposuit: deinde etiam non contentus iuramento fidem suam astrinxisse, addidit etiam asseuerandi vim, cùm ait: Et nõ pœnitebit eũ. Quorsum enim hęc? Num in Deũ cadere potest vel mendaciũ, vt indigeat iuramento; vel promissi pœnitentia, vt adiungat, Et non pœnitebit eũ? Nullo modo: sed quia forsitan rudis aliquis (vt diximus) audiens has voces horis omnibus, & omnibus in locis, in omnibus orbis angulis in precationum fine à fidelibus pronuntiari, Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c. fastidium quoddã diuinis auribus ingeneratum crederet; iusiurandũ interposuit, & hæc itẽ verba subiecit: Et non pœnitebit eum. Homines namque promissorũ sæpè pœnitere solet, cùm aut vires, aut opes promissis implendis non suppetunt, vel promissus fauor promittentis opinionem & expectationem fallit. At cùm in Deũ nihil horũ cadat, cuius opibus nihil deesse, cuius sapientiam nihil fugere potest: nihil est cur illum promissorum suorũ vnquam pœniteat. Quòd si huius rei causam quæras, causa est sacerdotis simul & sacrificij dignitas infinita. Qua in re diligenter illa D. August. verba adnotãda sunt. Ait enim: Quatuor cõsiderantur in omni sacrificio: cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Idem autem ipse vnus verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnũ cum illo manens cui offerebatur, vnum in se fecit pro quibus offerebatur, & vnus ipse fuit qui offerebat, & quod offerebatur. Hactenus ille. Ex cuius verbis facilè colligitur, quòd cùm Christus Dominus seipsum pro nobis in sacrificium offert, nõ tam pro alienis quàm pro seipso (hoc est, pro corporis sui membris) sacrificium offerat. Quomodo ergo tale sacrificium repudiabitur, quod Patri Filius pro seipso offert? Quid igitur ex his consequitur? Nimirum, vt omnes tantorum bonorum auctorem collaudemus, & nobis ipsis gratulemur, qui tam potentem

Psal. 109.

August.

Guerric. in serm. aduocatum apud Patrē nacti sumus. O verè felices (vt Guerricus ait) quorum aduocatus ipse iudex est: pro quibus orat, qui pari honore cum eo, quem orat, adorandus est!

II.

Vidistis hactenus, fratres, quonam modo Christus Dominus Sacerdotis officio in cęlo fungatur: nunc quemadmodū Regis quoque officiū exerceat, videamus. Cùm enim Angelus Marię Christi regnum æternum esse dixerit, idemque Isaias, Daniel, cæteriq; Prophetæ vaticinentur: consequens est, vt nunc etiam in cælo residens, Regis officium administret; quandoquidem Rex æternus ab omnibus prædicatur. Scitis autē Regis nomen non dignitatis solùm, sed officij quoque esse: qui enim dignitatem solùm hoc nomine importari credunt, hi nō Reges, sed tyranni sunt existimandi. Declarauit hoc Antigonus Macedoniæ Rex: qui cùm filiū cōspexisset, eos, in quos habebat imperium, ferociùs tractantem atque insolentiùs: An ignoras, inquit, fili, regnum nostrū esse splendidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius. Nam princeps non minùs seruire cogitur populo, quàm populus principi, nisi quòd princeps id facit cum dignitate: alioqui re vera mutua seruitus est. Vtrumq; autem, dignitatē scilicet & officium Christi, Apostolus magnificè describit his verbis: Ipsum constituit Deus ad dexteram suam super omnem principatum, & potestatem, & dominationē, & omne nomen quod nominatur nō solùm in hoc seculo, sed in futuro; & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiā, quæ est corpus eius, & plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus adimpleuit. Magnificis quidem verbis Apostolus regiā Christi potestatem extulit: cuius tamen munus maximè explicuit, cùm caput eū appellauit. Caput enim (vt D. Thomas ait) duplici ratione corpus regit. Primùm enim sensuum ministerio (qui maximè in capite vigent) membra omnia regit exteriùs, dum & pedes & manus cęteraque membra in officiis suis dirigit. Deinde etiam interiori virtute corpus regit, cùm in eadem membra sensum & motum secretis neruorum meatibus per spiritus (qui animales à Medicis vocantur) instillat. Vtroque autem modo Christus Dominus Ecclesiæ suæ corpus gubernat. Exteriùs enim sanctissimis legibus, & Sacramentorum ac doctrinæ ministris Ecclesiam informat: interiùs verò spirituale sensum & motū in piorum animas diffundit; internis eos motibus ad iustitiam & pietatem excitans. Quod quidem facit, non solùm quatenus Deus, sed etiā quatenus homo est: hac enim ratione caput esse hominum prædicatur: aliàs enim & hominum & Angelorum caput existit. Sicut enim igni vnitum ferrum ita eius vim & naturam participat, vt simili etiam virtute & potestate vtat:

Lucæ 1. Isaiæ 9. Dan. 2. Apophth. Ephes. 1. Simile.

sic

ſic ſacra illa humanitas Deo vnita, & ab eo deificata, diuinas actiones & facultates tamquam inſtrumentum diuinitati coniunctum obtinet. Nec minùs appoſitum huius rei exemplum in fidibus pulſandis affertur. Muſicæ namque peritus, dũ fides manu verſat, mente priùs concipit, quod deinceps manus pulſando exequitur. Quem quidem effectum non ſolùm arti quæ in artificis mente eſt, ſed manui etiam tamquam inſtrumento menti coniuncto tribuimus: atque ita & muſicum pulſare, & manum etiã dicimus. Cùm ergo ſacra Chriſti humanitas Dei Verbo vnita ſit, in eaque non aliud eſſe quàm diuinum confiteamur: haud dubium, quin vbi eſſe diuinum eſt, ibi etiam diuinæ actiones inueniantur. Ideoque nihil mirum, ſi ipſa Spiritum & gratiam ſuam (quod eſt diuinitatis proprium) in mentes hominum diffundat: quod planè capitis officium eſt. Simile.

Hoc idem ſub alia ſimilitudine, paulo tamen tectiùs Salomon indicauit, cùm ait: Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Quid his verbis Salomonem, niſi Chriſti Domini itinera, explicare voluiſſe credendum eſt? Quid enim neceſſe erat virum ſapientiſſimum Sacris litteris mandare, quæ rudiſſimo cuique in proſpectu ſunt? In alium ergo ſolem multo hoc viſibili illuſtriorem oculos cõiiciebat; nempe in Dominum Ieſum, quem meritò Solem iuſtitiæ appellamus. Sicut enim ſol hic, quem oculis vſurpamus, ſalus, & decor, & conſeruatio rerum omnium inferioris huius mundi eſt: ita Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ, hoc eſt, ſupernaturalis mundi excellentiori modo ſalus, vita, & felicitas eſt. Qui tamen hac vna potiſſimũ ratione ab hoc ſole corporeo diſtat, quòd hic quidem, dum nobis fit propior, nouam rebus omnibus ſpeciem & decorẽ affert (quod quidem vere nouo cernere licet: hoc enim tempore aduentu ſuo totius vniuerſi faciem renouat, quando virere campos, frondeſcere ſiluas, & florere arbores videmus) cæterùm abſceſſu ſuo hanc eandem ſpeciem ſecum aufert; dum omnia quæ illius acceſſu virebant, abſceſſu ſqualida, nuda, & deformia manent. At Sol iuſtitiæ Chriſtus Dominus quemadmodum aduentu ſuo omnia inſtaurauit (dum clariſſima in nos dona contulit) ita in receſſu, quando peracto ſalutis noſtræ opere in cælum remeauit, non minora hominibus dona largitus eſt. De hoc igitur iuſtitiæ Sole Salomon ait, quòd oritur & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: quæ omnia appoſitiſſimè Domino Saluatori conueniunt. Is enim in natiuitate ſua ortus eſt, in paſſione autem occidit: ad locũ verò ſuum reuerſus eſt, cùm hodierna die in cælum aſcendit: ibiq. renaſcitur, cùm inde dono-

Eccleſ. 1.

Diſſimil.

donorũ suorum radiis Ecclesiam visitat & illustrat, gyrat verò per meridiem (qui locus lucis & caloris est) cùm piorum mentes nouo lucis splendore collustrat: nec hoc contentus, flectitur etiam ad aquilonem (qui locus frigoris atque tenebrarum est) cùm homines etiam tenebris obcæcatos, & cælestium rerum amore algentes visitat, & lucis suæ radiis dormientes excitat: vtpote vera lux, quæ sine personarum acceptione illuminat
Ioan.1. omnem hominem venientem in hunc mundum.

Videtis ergo, fratres, Saluatorem nostrum non solùm quo tempore nobiscum egit, sed etiam quo die in cælum ascendit, salutis nostræ causam pari studio & vberiori adhuc fructu per-
Simile. egisse? Quemadmodum etiam Sol (ne ab eadem similitudine recedamus) quo sublimiùs attollitur, hoc nos magis & lucis & caloris sui participes efficit: ita cùm Christus Dominus in altum sublatus est, maiora in nos dona contulit. Quid igitur superest, nisi vt hanc partem cũ Apostolo concludamus? Sic enim
Hebr.1. ait: Capitulum autem super ea quæ dicuntur, hoc est, summa eorum quæ hactenus dicta sunt, hæc est: Talem habemus Pontificem, qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, sanctorum minister, tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo. Sanctorum nomine hoc in loco Apostolus vetus illud Dei tabernaculum significat, quod in summa olim religione habebatur. Vtroq; verò nomine Christi Ecclesiam voluit intelligi, cùm dixit: Tabernaculi veri. quod fixit Deus, & nõ homo: illud quippe vmbra, hoc veritas, id est, verum Dei tabernaculũ cum hominibus. Huius ergo veri tabernaculi, & sanctorũ minister Christus Dominus esse dicitur. Quis autem ad huius ministerij verbum non obstupescat, vel potiùs non amore liquescat? Quis hæc duo adeò inter se distantia in vnum copulauit? nempe ad dexteram maiestatis sedere, & salutis humanæ ministrũ esse? Quis crederet ad eam dignitatis celsitudinẽ potuisse hominem peruenire, vt qui peccando diabolum sibi effecerat dominum, nunc Dei Filium habeat salutis suæ ministrũ? O verè felices & beati, qui sic vitam suam instituunt, vt tali mereantur vti salutis & iustitiæ ministro! Hanc enim tantam dignitatem non ad sceleratos & impios, sed ad sanctitatis studiosos pertinere, non obscurè Apostolus insinuauit, cùm illum sanctorum ministrum esse dixit. Hoc enim vno verbo temerarias & vanas improborum hominum spes deiecit: qui in sceleribus suis obstinato animo perdurantes, salutem sibi solis Christi meritis pollicentur.

III.

Peroratio. Quid igitur ex his consequens est, nisi vt toto mentis ardore hunc salutis nostræ ministrum amplectamur, qui ab ipso conce-

conceptionis suæ articulo ita se iuuandis nobis addixit; vt nascens, viuens, moriens, resurgens, ac postremò in cælum ascendens, causam semper nostram egerit, & apud Patrẽ modò pro nobis semper interpellet? Cuius rei cùm Apostolus in Epistola ad Rom. meminisset, & Christum ad dexteram Patris sedentẽ pro nobis interpellare, & causam nostram agere dixisset; vsque adeò in eius amorem exarsit, vt in hæc verba amoris & obsequij plenissima proruperit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, &c. Certus sum quòd nec mors, nec vita, &c. Rom. 8. Ibidem.

Hoc idem mysterium non minùs spem nostram roborat, quàm amorem incendit. Qui enim talem apud Deum aduocatum habemus, spe firmissima erecti esse debemus, nec vllis diffidentiæ perturbationibus quati, quo minùs ad ea quæ iustè petimus & optamus, illius nobis patrocinium affuturum credamus. Quàm securus ageret, qui in Romana curia negotium gerens, vel patrem, vel fratrem opibus & dignitate præstantẽ, & Pontifici maximo valdè gratum haberet? Quàm lætus ergo vir pius agere vitã debet, qui, cùm totus è cælo pendeat, talem ibidem apud Patrem aduocatũ habeat, qui & gratia & opibus & potentia principatus omnes & potestates antecellat, & proximum post Patrem locũ in illa cælesti curia obtineat! Meritò ergo nos Apostolus & benè sperare, ac bono animo esse iubet his verbis: Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Filium Dei, adeamus cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, hoc est, quacumque in re cælesti ope indiguerimus. Simile. Heb. 4.

Sed ne quis parum nos hisce duabus spei & charitatis alis profecisse existimet, scire oportet has duas virtutes felicitatis humanæ fontes esse. Scimus enim, voce Domini instructi, regnũ Dei (in quo felicitas nostra sita est) intra nos esse. Scimus item, Paulo docente, regnum hoc iustitia, pace, & gaudio in Spiritu sancto contineri. Quid enim ei ad felicitatem deesse poterit, qui cum iustitia pacem & gaudium in Spiritu sancto habet? At ex charitate (quæ virtutum omnium regina est, & imperandi ius in eas omnes habet) iustitia, hoc est, cæterarum omnium virtutum chorus prodit, Apostolo testante, qui ait: Charitas patiens est, benigna est, &c. At verò spes reliqua duo ex se germina fundit, nempe gaudium & pacem. Vnde Apostolus, Spe, inquit, gaudentes, in tribulatione patientes. Regius quoque Propheta: Et in velamento alarum tuarum exultabo: hoc est, cùm spem meam omnem in paterna cura & protectione tua posuissem, lætabar planè cùm talem me protectorem & Ioan. 14. 1. Cor. 13. Rom. 12. Psal. 62.

rerum mearum curatorem habere intelligerem. Si enim bonorũ adeptio lætitia afficit poſſidentẽ, cùm pius homo promiſſionis diuinæ verbis innixus, certiora eſſe quæ à Deo ſperantur, quàm quæ ab hominibus poſſidentur, agnoſcat: quomodo hoc tam certo ſalutis pignore lætari non debeat? Habet enim hoc viua ſpes (quæ videlicet charitate informata eſt) vt multo alacrior per eam ſit animus in bonorum diuinorum ſpe, quàm in humanorum poſſeſſione; magiſque futuris illis bonis confidat, quàm præſentibus delectetur; feliciorémque illum ex ſe reddat expectatio cæleſtium diuitiarum, quàm terreſtrium fructus. Hæc eadem ſpes pacem quoque illam parit, quæ exuperat omnem ſenſum: quam non mundus, ſed ſolus Chriſtus poteſt dare. Eſt autem hæc pax, animi quies & trãquillitas nullis turbulentis motibus irrequieta, quamuis multis vndique periculis & incommodis cincta ſit. Hac pace fruebatur Heliſæus, qui ab exercitu Regis Syriæ obſeſſus, intrepidus atque alacer, diuini præſidij ſpe fretus, famulo trepidante perſtabat. Hac etiam inſtructus Dauid, verba illa fiduciæ pleniſſima effudit: Deus noſter refugiũ & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerũt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Quibus, quæſo, verbis aliis imperterriti animi pacem & cõſtantiam potuit ſignificare? At certè mirum non eſt, quòd tam ingentes ſpiritus animo cõcepiſſet, qui præpotentem rerum omnium Dominum cuſtodem ac defenſorem nactus erat, aduerſus quem omnis hominum & inferorum potentia araneorum telis infirmior eſt.

Philip. 4.

4 Reg. 16.

Pſal. 45.

Hac ergo fiducia pij homines animati, inter varios ſeculi fluctus & tentationũ vndas quæ alios mergunt, ipſi in magna pace quietam & trãquillam vitã agunt, anchora videlicet ſpei alligati atque firmati. Imò verò anchora nulla ſpei huius firmitati par eſſe poteſt, quando videmus nautarum ſpem in anchoris poſitam vi maxima tempeſtatis excitata ſæpè deludi: cùm ſpes tamen quę diuina veritate nititur (auctore Paulo) pudefacere neminẽ poſſit. Sciunt enim ſe potentiſſimũ apud Patrem habere mediatorem; vt qui ſit Deus cum Patre; & humanæ itẽ ſalutis amantẽ, vt qui ſit cũ hominibus homo. Sciunt pręterea, omnia quæ in terris gerũtur, diuina prouidẽria geri, & res omnes tam maiores quàm minores à Deo procurari, atq. hunc viſibilẽ mundum ab inuiſibili gubernari: ita vt nihil in terra fiat (peccata ſemper excipio) quod ab illa cæleſti curia nõ pendeat. Sciunt etiam, ne vnũ quidẽ paſſerculũ in laqueũ ſine cæleſtis Patris cõſenſu cadere, illumq. omnes piorum hominũ capillos numeratos habere. Deniq. ſciunt cælũ & terram ruiturã, priuſquam ex diuinis promiſſionibus iota vnũ, aut vnus apex irritus ſit,

Diſſimil.

Rom. 5.

ſit. His tam validis præſidiis confirmati, & Deo nixi, pacem illam quæ ſuperat omnem ſenſum, in mediis laborum & periculorum turbinibus retinent; adeò vt multi eorũ inter ferrum & flammas, hymnos & laudes Deo canant: quomodo Paulus & Silas flagellis cęſi, & in carcerem coniecti, cecinerunt. Quo argumento magis atq. magis in ipſa ſpe, fide, & charitate confirmati, totos ſe diuinis obſequiis velut hoſtiam viuam tradunt, illum vnũ intuentur, illũ toto corde diligunt, illi vni placere geſtiunt, in illo omnes opes ſuas collocant, de illo dies noctesq́ue cum incredibili mentis ſuauitate cogitant, ad illius gloriã ſeipſos & omnia ſua referunt, ex illius manibus quæcumque in vita accidunt, ſiue ſecũda ſiue aduerſa ſint, eodem vultu animoq́ue accipiunt: ideoq́ue illos nec præſentia torquent, quoniã à Deo ſibi immitti putant; nec futura ſolicitant, quoniam in illo ſpem omnem ſalutis repoſitam habent: atque demum dulciter cum Propheta canunt: In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quare? Quia tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Viua enim ſpes, pacis huius parens & altrix eſt. Actor. 16. Pſal. 4.

Hanc verò pacem improbi homines aſſequi nullo modo poſſunt: partim, quia fontem eius, ſpem viuam, intra ſe non habent; nec diuino numine, ſed terrena prudentia viribuſq́ue ſuis nituntur: partim quia huius vitæ rebus immoderato amore alligati ſunt; quæ cùm ſemper fluant & refluant, variiſq. incommodis agitentur, nec in eodem ſtatu diu maneant, ipſi quoque, cum rebus quas diligunt, variè afficiuntur, & perturbantur, & de omni ſtatu mentis deiiciuntur. Omnis enim cordis humani perturbatio ex commodorum aut incommodorũ ratione oritur; cùm aut incommoda nobis inferuntur, aut commoda ſubtrahuntur. Cùm igitur in hac re ſuis tantùm viribus & conſilio, non diuino pręſidio nitantur, quid tandem ſub hac tam infirma prouidentia tutum & firmum illis eſſe queat? Quiſquis enim ſine Deo auctore colligit, ſpargit: qui ſine illo ſapere ſtudet, deſipit: qui domum ædificare parat, deſtruit. Iſti igitur qui ſine vera pace viuunt, cum Cain in terra Naith, hoc eſt, in perpetua iactatione & fluctuatione verſantur. Pij autẽ qui charitate & ſpe fulti, iuſtitiam & pacem, & gaudium in Spiritu ſancto habent, regnũ quoque Dei intra ſe habent: quod illis Chriſtus Dominus in cælo reſidens contulit, dum illorum ſpem & charitatem, quæ regni huius fundamenta ſunt, ſacerdotali & regia poteſtate donauit: atque hoc modo in cælum profectus, iter pandit ante eos, quando qui caput noſtrũ erat, ſalutis viam ſecuturis membris oſtendit, & ſpei atq. amoris pedes contulit, quibus per hoc iter ſalutis ingredi, & ad Regni ſui conſortium feliciter valeant peruenire.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI, CONCIO PRIMA: IN QVA, post Euangelicæ lectionis enarrationem, de Spiritus sancti consolationibus, deque præparatione ad illum excipiendum agitur.

AVE MARIA.



N lectione sancti Euangelij discipulos suos Dominus ad futuros labores, quos in Euangelij prædicatione passuri erant, eorundem laborum prędictione munit & armat. Scitum enim est, ad omnia vitæ huius incommoda perferēda, maximum vel solatium, vel remedium, eorundem malorū præcognitionem esse. Qui enim contra se bellum apparari sciunt, opportunè se fossis ac vallis, & omni genere armorum & militum muniunt; ne imparatos repentinus hostis aduentus aggrediatur. Hac autem potissimùm ratione Philosophi nos ad ferenda fortiter aduersa instruere atque armare solent. Qua de re sic ait Seneca: Composito animo nihil accidet: sic tamen componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitauerit antequam senserit: si & liberos, & coniugē, & patrimonium sic habuerit, tanquam non vtique semper habiturus. Nihil enim firmum infirmo, nihil fragili æternum: mortale enim est omne mortalium bonum. De his loquor bonis ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur, certum est, sempiternumque, sapientia & virtus: hoc vnum contingit immortale mortalibus. Hactenus ille. Hoc igitur viri sapientis maximè proprium esse ducit, nō præsentia tantùm, sed futura etiam prudenti iudicio prospicere, & rerum conditionem non ex insanæ multitudinis opinione, sed ex earundem natura metiri. Vnde idem ait: Hoc in primis curat sapiens, ne quid illi, ex his quæ eueniunt, subitum sit. Quidquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet; qui ad præparatos expectantesque nihil afferunt noui: securis, & beata tantùm expectantibus, graues eueniunt. Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam in quàm tumultuosum me contubernium natura duxisset. Toties in vicinia mea conclamatum est, toties præter limen immaturas exequias fax cereusque præcessit. Sæpè altiùs ruentis ædificij fragor sonuit. Multos ex his quos forum, curia, sermo mecum contraxerat, nox abstulit, & vinctas ad so-

Simile.

Epist. 99.

Lib. 1. de tranquil. vitæ.

ad ſodalitium manus copulatas intercidit. Miror aliquando ad me pericula acceſſiſſe,quæ circa me ſemper errauerũt? Magna pars hominum eſt,quæ nauigatura de tempeſtate non cogitat. Numquam me in bona re mali pudebit auctoris. Publius tragicis comiciſque vehementior ingeniis,inter multa alia & hoc ait: Cuiuis poteſt accidere quod cuiquam poteſt. Hoc ſi quis in medullas dimiſerit,& omnia aliena mala,quorum ingens quotidie copia eſt,ſic aſpexerit,tanquam illis liberum ad ſe iter ſit, multo antè ſe armabit,quàm petatur. Serò animus ad periculorum patientiam poſt pericula inſtruitur. Non putaui hoc futurum, nunquam hoc euenturum crediſſem. Quare autem non? Quæ ſunt diuitiæ,quas non egeſtas, & fames, & mendicitas à tergo ſequatur? Quæ dignitas, cuius non prætextam & augurale extrema contemptio? Quod regnum eſt,cui non parata ſit ruina & proculcatio,& dominus,& carnifex? Nec magnis iſta interuallis diuiſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium & aliena genua. Hæc Seneca: qui deinde cõmemoratis multorum principum virorũ ac Regum inſperatis caſibus (vt Pompeij, Seiani, Crœſi, Ptolemæi, Mithridatis & Iugurthæ) concludit his verbis: In tanta rerum ſurſum ac deorſum euntium verſatione,ſi non quidquid fieri poteſt,pro futuro habes, das in te vires rebus aduerſis,quas infregit quiſquis prior vidit. Hactenus ille. Cuius præſtantiſſimi Philoſophi cõſilium pauci admodum ſequuntur: qui nequaquam rerum quas amant ſtabilitatem ex earum natura,ſed ex amore ac deſiderio ſuo ita metiuntur,vt, quas æternas eſſe cupiunt, æternas etiam futuras arbitrentur. neque enim de illis ſtatuere aut credere audent, quod vbi crediderint, mœrorem ſibi & metum pariat. Ita fit,vt hac cæca cupiditate deluſi,dum quæ fragilia ſunt,ſtabilia putant, in illis amorem ſuum, in illis ſpem & felicitatem ponant, & quod vni tantùm Creatori tanquam vltimo fini & ſummo bono debitum eſt, fragili & infirmæ creaturæ tribuãt. Cuius rei grauiſſimas ſępè pœnas pendere ſolent: nimirum vt, amiſſa ea re cui omnis eorum felicitas innitebatur, omnia eorum bona vno ſimul impetu concidant, & tunc diuinæ prouidentiæ vim omnia ſempiterna cura & imperio moderantis agnoſcant. Hac enim illos Dominus diſciplina erudit,vt nihil in hac vita firmum, nihil ſtabile & immotum eſſe credant,niſi quod illius cura & paterna prouidentia ſeruandum ſuſceperit. Quam quidem ſalutarem (quamuis acerbam) animaduerſionem à Deo ſanctus Propheta poſtulat,cùm ait: Dexteram tuã Pſal. 89.
ſic notam fac,& eruditos corde in ſapientia. Siue,vt alij verterunt, & offeremus cor ſapientiæ. hoc eſt, Cùm potentiæ tuæ dexterã immiſſis plagis declaraueris,tũc qui nobis tuta omnia pollice-

pollicebamur, neque ea in tua potestate sita esse cogitabamus, malis nostris edocti, virtutis tuæ dexteram omnia gubernantem agnoscemus. Hoc igitur modo erudiri eos æquum est, qui ita sese gerunt, vt reipsa Deum res humanas negligere arbitrẽtur. Ceterùm vir pius & sapiens prudenter humanarum rerum naturam, instabilitatem, fragilitatem, & conditionem considerat: & vt nihil illis tribuit quod non habent, ita non plus illas
Simile. diligit, aut illis fidit, quàm eorum conditio postulat. Cur enim ego in vase vitreo ferream aut æream soliditatem requiram? Vitrum est, vt vitrum igitur illud æstimabo, nec illius magis stabilitati, quàm rei fragili & mille periculis obnoxiæ, fidã. Vt igitur ad institutum redeamus, hoc consilio Dominus futuras piorum clades prænuntiare solet, vt hac prędictione admoniti, seipsos spiritualibus armis ad futura certamina muniant. Sic Paulo in omnibus Ecclesiis prænuntiari iubebat grauissimam persecutionem, quam Ierosolymis erat passurus. Vnde Agabus Propheta assumpta Pauli zona, alligans sibi pedes & ma-
Actor.21. nus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virũ, cuius est zona hæc, sic alligabũt Iudæi, & tradent in manus Gentium. Beatus verò Laurentius, cùm atrocissimis verberibus laceratus Dominum oraret vt spiritum suum acciperet, vocem à cælo sibi dicentem audiuit: Adhuc multa tibi desunt certamina. Hac igitur ratione Saluator in hodierna S. Euangelij lectione discipulis suis, quas in Euangelij prædicatione persecutiones passuri erant, apertè prænuntiat: vt animo & cogitationẽ eas præuidentes, atque ad eas multo antè parati, nihil sibi nouum, aut non antè præuisum accidisse mirarentur. Vnde ait:

I.

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Ille enim insignium operum miraculis, quæ per vos patrabit, admirabilique sapientia, quam ore vestro loquetur (non enim vos eritis qui loquemini, sed Spiritus Patris vestri qui loquetur in vobis) clarissimum de me testimonium feret, & vos quoque testimonium perhibebitis: vt qui à doctrinæ meæ initio mihi astitistis, & miranda opera mea vidistis. Hęc duo simul testimonia Apostoli post resurrectionem Domini ante principes sacerdotum protulerunt, cùm de doctrinæ suæ veritate requisiti, confidenter responderunt: Nos horum verborum testes sumus, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. Hac ergo ratione vos simul cum Spiritu sancto testimonium de me laturi estis. Sed quid hoc vestrum testimonium consequetur? Subdit protinus:

Hæc

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini: hoc est, vt cùm vos futura mala adoriantur, de gradu virtutis & cõstantiæ minimè depellant, nec malorum ponderi succumbere faciant. Quæ verò mala secutura sint, protinus explicat, cũ subdit, *Absq; Synagogis facient vos*: hoc est, illam pœnarum omnium maximam, nempe excommunicationem, aduersum vos ferent, & tãquam publicam pestem atque perniciem ab hominum consortio eijcient, & aqua & igne penitus interdicent, vt in extrema solitudine atque inopia vitam perducatis. Quodque his grauius est, adeò vos diuinis pariter atque humanis rebus infestos esse credent, vt is se gratissimũ obsequium Deo exhibiturum arbitretur, qui vos omnium tormentorum genere cruciatos è medio sustulerit. Hoc autẽ Paulus de se, cæterisq; condiscipulis, apertè prædicat. Pro eo enim quod nos legimus, Tanquam purga- 1.Cor.4.
menta huius mundi facti sumus; alij verterũt lustramenta: hoc est, Tales nos mundus reputat, eamq; de nobis opinionẽ concepit, vt nulla alia re sua illis numina, nisi nostro sanguine atq; exitio, placari posse credant; & tunc deos suos terræ hominibusque propitios atque benignos futuros arbitrentur, cùm exitio & sanguine nostro illorum contra nos iram & furorem exsaturauerint. Huc vsque igitur vestri labores, huc vsq; furentis mundi insania peruentura est. Hæc autẽ impia persuasio adeò tenaciter hominum pectora illis temporibus occupauit, vt hac de causa D. Augustinus libros de Ciuitate Dei, & Saluianus contra Gentes, & ante hos ipsos D. Cyprianus aduersus Demetrianum, clarissima ediderint volumina, quibus peruersam hanc infidelium opinionem ex hominum mentibus euellere conati sunt: qui videlicet nouæ Christianorum religioni omnia quibus tunc mundus vrgebatur mala imputabant: quocircà necesse esse eam è mundo prorsus eliminari, quo mundus in pace ageret, cælestibusque beneficiis potiretur. Quo quid dementius aut execrabilius fingi potuit?

Sed vnde tantus furor? vnde hæc tanta rabies? *Quia* (inquit) *non nouerunt Patrem, neque me*. Quid ergo nosse poterant, qui te, Domine, Dei virtutem & Dei sapientiam ignorabant? Necesse igitur erat eos in tetris tenebris, in caligine versari, qui duo hæc veritatis & sapientiæ lumina non videbant.

Sed cùm tota Apostolorum doctrina in virtutis & veritatis commendatione posita esset, veritas autem summa sit intellectus humani perfectio, virtutis autem decus & splendor apud barbaras etiam immanesque nationes in pretio sit: quî fieri potuit, vt virtutis veritatisque doctores tam acriter mundus fuerit insectatus? Ad hoc igitur respondemus, veritatem quidem intellectus humani lumen esse, quæ illum ab errorum & igno-

Simile. ignorantiæ tenebris vindicat. Sed quemadmodũ lumen ſanis quidem oculis gratiſſimũ, luſcioſis verò & ęgris moleſtiſſimum eſt: ita planè ſanis mẽtibus, & ab omni turpitudinis cõtagio puris, nihil veritatis candore iucundiùs, nihil amabilius; impuris autem & carnalium voluptatũ cœno immerſis, nihil acerbiùs, nihilque execrabilius ea veritate quæ eas ſordes & impuritates execratur & damnat; quæq; ſplendore ſuo earum deteſtabilem prauitatem detegit, & in lucem prodit. An non cùm multi alij Mat. 14. tyranni, tum vel maximè adultera Herodias id oſtendit, quæ tam immani odio aduerſus innocentiſſimum Ioannem, ſeueriſſima oratione eius adulteria accuſantem, exarſit, vt ſancti viri ſupplicium Herodis regno prætulerit? Virtutẽ quoque, fateor, impuri etiam homines admirantur & colunt, ſed vt quidã tamen dixit: Probitas laudatur & alget. Laudant igitur virtutẽ, quomodo iudicum & magiſtratuum ſeueritatem laudant: quã tamen in rebus ſuis locum habere nolunt. Cupiũt itaque, vt tu egregius virtutis cultor ſis, ſed tibi tamẽ, non illis: hoc eſt, vt illos ad virtutis tuæ imitationẽ non adigas. Sic quidam licentiores monachi D. Benedicti virtutẽ admirãtes, ipſum, vt eis pręeſſet, multa vi precũ impulêre. Qui tamen cùm ab illo arctiùs ad virtutis & religionis ſtudium aſtringerentur, tanto aduerſus illum odio excanduerunt, vt venenato vino mortem illi machinari voluerint. Quę cùm ita ſint, nõ mirum, ſi ſancti Apoſtoli, qui tanta cura improbos homines ab impietate & iniuſtitia ad honeſtatis ſtudium traducere nitebantur, quiq; virtutis lucem lippientibus oculis præferebant, adeò acerbum contra ſe impiorum odium & rabiem concitarent.

Quod ergo tantis malis, Domine, remedium adhibes? Quomodo dilectiſſimos amicos tuos tot calamitatibus expoſitos relinquis? Subdit protinus: *Sed hæc locutus ſum vobis, vt, cùm venerit hora eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis.* Primum ergo laborum ſolatium & munimentum eſt, hæc ipſa mala multo antè diſcipulis prænuntiaſſe, ne quicquã illis nouum & inopinatum accideret: qua de re ſatis anteà dictũ eſt. Sed eſt hîc tamen aliud, quod longè maius ſolatium præbeat: nempe, quòd hac ipſa futurarum rerũ certiſſima pręedictione pręceptoris ſui maieſtatem & diuinitatẽ agnoſcebãt, cuius eſt futura prænoſcere. Quid autem eos magis vel in media morte poſitos confirmare poterat, quàm quòd ipſa laborum perpeſſione intelligebant ſe Deum habere adiutorem & protectorem? An nõ tunc cũ Pro- Pſal. 26. pheta clamare poterãt: Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Hoc igitur primum & quidem maximum laborum ſolatium. Huic verò proximum fuit, Paracleti Spiritus mira conſolatio,

quæ

quæ piorum mentibus robur inuictum & inseparabile præstat. Hoc enim spirituales deliciæ à carnalibus distant, non solùm quòd istis vitia, illis virtutes aluntur; sed etiam quòd istæ dissoluunt, illæ roborãt; istæ molles & effeminatos, illæ autem viriles & strenuos animos generant. Hoc est enim quod virtutes Angelicę in Canticis de Ecclesia sub nomine Sunamitis, id est, pacificæ, insinuant, cùm aiunt: Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Pro quo alij choreas verterunt. Quomodo verò chorus siue chorea & castra cohærent? Choreæ enim lætantium, castra verò pugnantium agmina sunt. Qua igitur ratione lusus cum certamine conuenit? Nimirum quia nulla res maiorem piis fortitudinem & robur ad perferenda incommoda præstat, quàm gustata semel Spiritus diuini suauitas: quæ tanta est, vt labor omnis & incommoda omnia propterea meritò adeunda sint. Hæ namque duæ animæ nostrę vires, concupiscendi videlicet, in qua desiderium & oblectatio; & irascendi, in qua fortitudo sita est; ita natura sibi cohærent, atq; respondent, vt quo vehemẽtiùs vis æstuat cupiditatis, eo acriùs fortitudinis robur augeatur: vt vel quod cõcupiscimus, assequamur; vel quod assecuti iã sumus, aduersus inuadẽtes tueamur. Quocirca mirum non est, si maxima illa Paracleti Spiritus dulcedo atque suauitas tantum piis mentibus robur adiungat: ea enim facit, vt nullum laborem nullaque certamina recusent, quo hãc tantam suauitatem percipiant, qua ad diuina obsequia alacriores promptioresque reddantur. Hac autem fideles initio nascẽtis Ecclesiæ copiosissimè fruebãtur. Sic enim in Actis Apostolorum legimus: Ecclesia ędificabatur, ambulans in timore Domini, & cõsolatione Spiritus sancti replebatur. Hac igitur pleni & roborati Apostoli, ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Itaque tantum abfuit, vt flagellis cæsi, vinculis constricti, contumeliis affecti frangerentur; vt flagella quidem gaudia, vincula libertatem, iniurias autem & cõtumelias decus & gloriam reputarent. Quod non obscurè S. Euangelista insinuauit, cùm Apostolos ait gauisos fuisse, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Magnũ quidem est, in contumeliis, verberibus, & carcere gaudere: sed quanto maius est, summam dignitatem & gloriam in hoc sitam esse existimare! Itaq. Apostoli non ob hoc solùm gaudebant, quòd contumeliis pro nomine Iesu affecti essent; sed etiam, quòd ad eam dignitatis amplitudinem eos Dominus extulisset, vt digni essent qui pro eius gloria cõtumeliis afficerentur. Hanc igitur duplicem gaudij materiam S. Euangelista illis verbis inijcere voluit, quæ illis Spiritus sancti beneficio collata est.

Dissimil.

Cant. 7.

Actor. 19.

Actor. 5.

Vnde

Vnde colligimus magno Dei consilio factum esse, vt priùs quidem Paracletus adueniret, qui Apostolorum pectora ad pugnam roboraret, quàm aduersus eos mundus insurgeret. Priùs enim vires præberi, deinde certamina subsequi; priùs solatia Spiritus donari, deinde pericula adire, priùs armis spiritualibus instrui, deinde cum huius mundi principe dimicare debebant.
Lucæ vlt. Vnde discedens ab illis Saluator ait: Sedete in ciuitate donec induamini virtute, hoc est, cælesti Spiritu, ex alto. Hoc igitur duce quis nobis in certamine superior? hoc consolatore quæ vis dolorum nos deiicere queat? Licet enim hoc in loco simili vti
Rom. 8. argumento quo Paulus vtitur: Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? nos verò dicemus: Deus qui pios consolatur, quis ergo tristitia eos afficere valeat? Quid enim ab immensa illa maiestate proficisci potest, quod nõ eius magnitudinem & po-
Iob 12. tentiam referat? Sic eim S. Iob ait: Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nemo qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabũtur: si emiserit eas, subuertent terram. Si ergo tãtus hic Dominus hoc sibi munus pios cõsolandi delegit, quæ vis dolorum Deo cõsolante illos poterit opprimere? Vtinam, fratres, huius diuini Spiritus vel minima scintilla intra viscera nostra æstuaret: nõ dubium quin nulla mundi vis, nullus mœror, nulla dæmonũ potentia, nullæ carnis illecebræ mentem nostram de gradu virtutis & constantię depellere possent. Hæc sunt igitur fratres, solatia, quæ Apostolis Dominus & piis omnibus ad ferendos propter iustitiam labores impartitur. Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad id, quod initio proposuimus, veniamus.

Tractatio Thematis.

Philosophi qui de animalium motu & causis disputant, bonum cogitatione apprehensum, primã eius causam esse dicunt. Bonum enim aliquod externum oculos hominis primùm pulsat, sensus autem intellectui bonum illud repræsentat, intellectus verò voluntati: voluntas autem eius amore capta, per spiritus, quos animales Physici vocant, membra corporis mouet, vt ad bonum illud apprehendendũ proficiscantur. Ex qua rerum serie liquidò constat, externum illud bonum primam esse huius motus causam. Quod ergo in corporeo motu contingit, idem euenit in spirituali voluntatis motu, qui amor & desiderium est. Bonum siquidem voluntati ab intellectu propositum, eam ad illud amore prosequendum, & modis omnibus inquirendum ita prouocat, vt quo maius atque sublimius bonum illud fuerit, hoc ardentiùs in illius amorem voluntas rapiatur. Inter omnia porrò bona præstantissimum esse summum

mum bonum cōstat: & quòd supra illud nihil aliud sit, & quòd omnia in se bona simul comprehendat; quodque tanto cætera omnia interuallo superet, vt ne boni quidem nomem coram illo retineant, quemadmodum Saluator ait: Nemo bonus, nisi solus Deus. Cùm ergo tantam vim ad voluntatem nostram excitandam boni natura habeat, ac præcipuè maximum illud & summum bonum: Deus opt. max. qui vult omnes homines saluos fieri, hoc summum bonum in litteris sanctis vbique illis ostentat, quò amore & cupiditate eius illectos, ad pietatis & iustitiæ viam traducat: quà sola ad hoc summum bonum peruenitur. Hinc ad cunctorum fidelium parentem, & in illo ad omnes eius posteros ait: Noli timere Abraham: ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Et per Hieremiam, Nunquid, ait, solitudo factus sum Israëli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, nequaquam vltrà veniemus ad te? Saluator verò in Euangelio posita ob oculos cęlestis pręmij magnitudine, ad benignè faciendum nos hortatur his verbis, Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Lucæ 18. 1. Tim. 2. Gen. 15. Hier. 2. Lucæ 6.

Sed ad hæc tam magnifica promissa multi nauseant, non quia parua, sed quia futura, & à conspectu sensuque hominum remota sunt. Animus quippe noster præsentibus & sensibilibus bonis maximè capitur; futura verò & spiritualia fastidit: quia qualia sunt, minimè percipit. Hàc ergo de causa Spiritus ille diuinus quandam cælestium gaudiorum prægustationem, ac veluti primitias, pijs in hoc etiam exilio largitur; quibus aliqua saltem ratione cælestis gaudij magnitudinē, velut ex gutta percepta, fluminis magnitudinem agnoscant. Quemadmodum ergo qui pretiosa vina distrahere cupiunt, exemplar aliquod in exiguo vase videndum atque gustandum emptoribus offerunt, quo sapore, odore, atque coloris eius splendore illecti, ad illud emendum alliciantur: ita planè infinita illa bonitas, quæ mortales cunctos sui participes efficere cupit, supernæ dulcedinis exigua quædam prægustamenta multis elargitur, quo ad summi huius boni plenitudinem consequendam acriùs incitentur. Quemadmodum enim ex Chananæorum terra, quam Iudæis pollicitus fuerat, insignes quosdam fructus, ficus scilicet, vuas, & malogranata afferri voluit, vt eorum pulchritudine & suauitate capti, nec itineris laborem, nec dimicandi pericula extimescerent: sic etiam futuræ felicitatis prelibationem quandam pijs in hoc exilio præberi voluit: quam planè percepisse se in Cant. Sponsa gloriatur, cùm ait: Introduxit me Rex in cellam vinariam; exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Quo in loco vini nomine vinum illud

Simile. Num. 13. Cant. 2.

Matth. 26 accipimus, quòd se in regno suo cum Apostolis Dominus bibiturum pollicetur: quo videlicet cæli ciues ab vbertate domus Dei inebriantur. Verbo autem introducendi, aliquid supra externa omnia, quæ humano sensu aut intellectu percipiuntur, tacitè insinuat: quòd supernæ felicitatis & lætitiæ imaginem, & veluti prælibationem quandam præ se ferat. Quam quidem
Cant. 1. prægustationem sequitur quod deinde subdit: Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum. hoc est, lacteæ & purissimæ dulcedinis tuæ, qua nos infantes adhuc in hoc exilio reficis: donec adolescamus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vbi iam non lacte, sed solido beatarum mentium & inuisibili cibo nutriemur. Sed hęc tamen vbera tua, Domine, vino dulciora sunt: quæ etiam paulo superiùs dixit vnguentis optimis fragrare. Duabus enim rebus, quæ gustatui & odoratui suauissima sunt, dulcissima vbera Sponsi prætulit, vt harum duarum rerum nomine omnes alias mundi delicias designaret, quas omnes longissimo interuallo hæc dulcedo superat. Quomodo enim omnia mundi oblectamenta non superent, quæ imaginem & prælibationem quandam referunt felicitatis æternę? Salomon verò non rebus omnibus dulcissimis modò, sed omnibus etiam pretiosissimis has diuinæ Sapientiæ
Prou. 8. delicias longè superiores esse ait: Melior est, inquit, sapientia cunctis pretiosissimis; & omne quod desiderari potest, ei non valet comparari. In lib. verò Sapientiæ sigillatim omnia mundi bona, siue naturę siue fortunæ, numerantur: quę omnia incom-
Sapien. 7. parabiliter hoc munus cæleste superat: Pręposui, inquit, illam regnis & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, &c. quæ sequuntur. Quo in loco videtis omnia quæ apud homines maximo in pretio habentur, nempe imperia, regna, sedes, diuitias, argentum, aurum, & lapides pretiosos, ac demum salutem & speciem (quæ duo pulcherrima naturæ bona putantur) in huius cælestis doni comparatione nihil esse. Sed quis tamen hoc seculi hominibus persuadere valeat? Reclamet autem quantum volet mundus, ego diuina oracula non solùm corruptissimo multitudinis iudicio, sed omnium seculorũ, omniumque mundi sapientium iudicijs præferam.

Quòd si quæras, quisnam huius tantæ suauitatis auctor existat, non dubium quin ille sit, qui propter hanc ipsam rem Paracleti nomen habet. Quod eius officium Esaias describit his
Esaiæ 51. verbis: Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas: & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini: hoc est, paradisum quendam voluptatis in huius mundi squalenti deserto plantabit, in qua delicijs suis cum filijs hominum perfruatur. Vnde sequitur: Gaudium

Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. An non igitur lætabitur & gratias aget, qui ex arido deserto, in quo nihil lætum aut frugiferum erat, in amœnum paradisum voluptatis se repentè videt diuinæ gratiæ beneficio commutatum? Et ne quisquam putaret Angelorum aut aliarum creaturarum ministerio has delicias parari, subdit protinus in persona sua Dominus: Ego, ego ipse consolabor vos. Non enim contentus semel dixisse, Ego; eandem protinus vocem repetit: quod planè non vulgarem quandam emphasim habet. Si enim omnipotens Deus hoc sibi munus pios consolandi delegit, qualis erit illa consolatio quæ à tali fonte proficiscitur? Quid enim ab immensa illa maiestate, quod non eius magnitudinem referat, oriri potest? Idem autem adhuc longè clariùs alio in loco per eundem Prophetam his verbis pollicetur: (Esaiæ. 66.) Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Quibus verbis quid dulcius? quid blandius? quid amantius? Quas non molestias libenter pij perferent, quo hac plusquam materna Dei indulgentia perfruantur?

II.

Quòd si à me quæratis, qua ratione hæc tam eximia diuini Spiritus dona percipere possitis: scitote eiusdem auctoris esse & dona tribuere, & ad donorum suorum perceptionem animam præparare. Quare ille orandus est, vt non sibi aptare, & ad dona sua percipienda præparare dignetur. Hinc Diuus Augustinus (August. in Medit.) Deum orat his verbis: Angusta est, Domine, domus animæ meæ: quò venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinosa est, refice eam: habet quæ offendant oculos tuos, fateor & scio. Sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo, Ab occultis meis munda me, Domine? Hac ergo primùm ratione dignum Spiritui sancto habitaculum præparatur, si ipsum assiduè precemur, vt mentes nostras casta sibi tabernacula præparare dignetur. Nec vlla nos diffidentia ab hoc instituto reuocare debet, cùm vocem veritatis nos his verbis confirmantem audiamus: Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; (Lucæ 10.) quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se? Ex quibus verbis liquidò constat, assiduum precandi studium ad Spiritus sancti dona percipienda cum primis iuuare.

Nemo tamen hoc solum sufficere sibi putet, nisi manum etiam ad aratrum injciat. Memorat Plutarchus hunc Laco- (Plutar. in Probl.) nibus fuisse morem, vt Fortunam (quam illi Deam faciebant) protensa manu inuocarent: quo significare volebant, preces & vota hominum studio & industria iuuanda esse, quo res illis

Salluſt. in Catil. bene verterent. Id quod inſignis ille hiſtorię ſcriptor Salluſtius teſtatur: qui non votis muliebribus auxilia Deorum parari, ſed vigilando, & bene agendo proſperè omnia cedere ait. Quæ ſententia, quamuis ab Ethnico homine profecta, maximè tamen fidei noſtræ conſentanea eſt: quæ precibus, quas Deo fundimus, pietatis & iuſtitiæ opera iungenda eſſe docet. Itaque non ſatis eſt, Spiritum ſanctum, vt ſedem intra te ſibi ſtatuat, inuocare, niſi mentem quoque tuam omni genere virtutum ornare ſtudeas. Simile. Sicut enim omnibus membrorum atque ſenſuum organis inſtructus eſſe infans in materno vtero debet, quo in illum naturæ conditor animam infundat, quæ ſenſus ipſos perficit, & rationali vita afficit: ita cęleſtibus donis inſtructa eſſe ea mens debet, quæ domicilium intra ſe Spiritui ſancto parat. Quæ tamen dona nemo ſine eiuſdem Spiritus ope ſe aſſecuturum ſperet: quę idem rurſus mẽtem ingreſſus perficit, & nouis auget incrementis. Quod quidem D. Auguſtinus (tractans illa Ioan. 14. verba Domini, Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis) declarat his verbis: Hoc Dominus de Spiritu ſancto dicit, quem tamen niſi habeamus, nec Deum diligere poſſumus, nec eius mandata ſeruare. Quo modo ergo diligimus vt eum accipiamus; quem niſi habeamus, diligere non valemus? aut quomodo mandata ſeruabimus, vt eum accipiamus, quem niſi habeamus, mandata ſeruare non poſſumus? pręſertim cùm Apoſtolus dicat; Nemo dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Et quis Dominum Ieſum, niſi qui eum diligit, dicit; ſi eo modo dicit quo Apoſtolus intelligi voluit? Ad hoc igitur idem Auguſtinus reſpondet, Spiritum quidem ſanctum habere, quiſquis Deum diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Quocirca iam diſcipuli Spiritum ſanctum habebant, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, ſicut Dominus promittebat. Hactenus Auguſtinus.

Quid verò aliud admiranda illa tabernaculi teſtimonij fabrica tot coloribus & figuris, tantaq. rerum varietate cõtexta, niſi vel Eccleſiam Chriſti, vel fidelem animam (in qua cæleſtis Spiritus commoratur) ſignificat? Quam non terrenis coloribus aut picturis, ſed virtutum atque donorum cæleſtium ornamentis excultam eſſe oportet: quo dignũ tanto hoſpite tabernaculũ fiat. Neque enim diuini oculi auro, argento, ære, purpura, coccoque bis tincto, cæteriſque ſimilibus rebus oblectantur; ſed ijs virtutibus quæ per hæc ipſa intelliguntur. Quod enim piorum mentes tabernaculum Dei ſint, idem ipſe Dominus Ioan. 15. teſtatur cùm ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit,

bit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Apostolus quoque, Templũ, inquit, Dei sanctum est, quod estis vos. Quisquis igitur ad hanc tantam dignitatem aspirat (omnes autem aspirare debent) vt ille qui sedet super Cherubim, sedem quoque & tabernaculum in ipso deligat, atque mãsionem faciat, in hoc totis viribus incumbere debet, vt ornamenta illa omnia intra se spiritualiter habeat, quæ corporaliter Dominus in tabernaculo illo requirebat. Det igitur operam, vt intra se aurum habeat diuinæ sapientiæ, argentum cęlestis doctrinę, æs inuictę fortitudinis, candelabrum lucentis prudentiæ: quod quidem in australi parte, quæ Aquilonem respicit, collocari præcipitur: vt eius luce pius homo collustratus, omne malum, quod ab Aquilone panditur, præuidere & cauere opportunè queat. 1. Cor 3. Hier. 1.

Sed illud tamen magno studio prouidendum, vt quemadmodum in illo tabernaculo duo altaria, alterũ intra oraculum, alterum extra illud constituta erant; in quorum altero thus accendebatur, in altero verò animalia in sacrificio mactabantur; ita in anima quoque nostra eadem altaria in eosdem vsus collocari debent. Et quidem in intima & summa eius parte (quæ mentem complectitur) thus deuotæ orationis, igne dilectionis accensum Domino offeratur: in externa verò & infima nostri parte (quæ carnem, carnisque affectus continet) aliud altare ponendum est; in quo ferinos animæ nostræ motus, hoc est, taurum superbię, hœdum lasciuiæ, hircum luxuriæ, cæterosque similes affectus in sacrificium Domino mactemus. Neque enim diuina illa mens pecudum strage & sanguine delectatur: delectatur autem vel maximè, quoties quis diuini timoris gladio cupiditates omnes propriasque voluntates, quæ diuinæ voluntati aduersantur, iugulat & amputat: quandoquidem diuinę voluntatis rectitudo cum humana obliquitate stare simul nequeat. Huiusmodi namque sacrificium longè magis Deo, quàm taurorum aut hircorum, gratum est. Nemo igitur vnam tantùm aram ad huius tabernaculi constitutionem sufficere sibi credat: vtraque pari studio & diligentia statuenda est. Sunt enim qui delicias orationis captantes, mortificationis amaritudinem reformidant: hi autem thus orationis Deo offerunt, myrrham tamen mortificationis non offerunt. Quos videas frequenter quidem orare, eosdem tamen mores, hoc est, eundem iræ, ambitionis, & auaritiæ intra se morbum retinere. Quid isti orent, quid in oratione agant, quid à Domino petant, prorsus ignoro: cùm vel hoc potissimùm nomine orandi studium commendetur, quòd vires à Domino & robur petat, quo carnem spiritui subdere, ferinos eius motus comprimere, cupiditates omnes reseca-

reſecare, & incompoſitos animæ affectus diuinæ legis præſcriptioni ſubijcere poſſit. Quod quidem (vt alia prætereamus) Auguſt. D. Auguſtini exemplo diſcimus: qui cùm rebelles quoſdam intra ſe motus animi ſentiret, ardentiſſimis à Domino precibus remedium impetrare contendens aiebat: Tu, Domine, ſcis hac de re ad te gemitum cordis mei, & flumen oculorum meorum.

Exod. 26. Porrò autem ante tabernaculi oraculum apponitur velum, quod ex quatuor coloribus contextum erat, nempe purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, atque hyacintho. Et in purpuræ quidem ſanguineo colore patientiam, quæ totius vitæ & peregrinationis noſtræ quaſi baculus quidam eſt, intelligimus; quo in aduerſis rebus (quibus hæc vita referta eſt) ſuſtineamur. In cocco verò bis tincto, duplex charitas deſignatur: hoc enim mandatum habemus à Deo, vt, qui diligit 1. Ioan. 4. Deum, diligat & fratrem ſuum. Qui enim viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? His autem iungitur byſſus retorta. Byſſi nitor caſtitatem candore ſuo ſignificat: quæ tamen retorta eſſe debet, quia nemo illibatam diu caſtitatem ſine carnis maceratione retinere poterit. Ridiculum enim eſt, inter varias carnis delicias atque fomenta, carnis puritatem & integritatem conſeruare velle: ideoque non mirum, ſi mundus ardet libidinibus, quia quiſque, quantum poteſt, carnis indulget delicijs. Ioan. Cli. Hinc Ioan. Climac. Qui, inquit, ſine carnis maceratione Simile. carnis laſciuiam ſuperare vult, ſimilis eſt ei qui panem proijciens, canem à ſe abigere nititur. Poſtremus color hyacinthinus, hoc eſt, cæruleus, ſiue cæleſtis eſt: quo admonemur, terrenis rebus deſpectis, cęleſtia cogitare, cęleſtia appetere, & ad cæleſtia gaudia toto ſtudio feſtinare: quandoquidem non habemus hîc ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus: ad quam nos Spiritus ille cæleſtis, cui hiſce rebus tabernaculum præparamus, auxilio atque ductu ſuo clementer perducere dignetur; qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

A M E N.

IN



IN EADEM DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI, CONCIO ſecunda: in qua, poſt breuem Euangelicæ lectionis explanationem, ſex ſpiritualis gaudij cauſæ numerantur: quo quidem gaudio Paracletus Spiritus piorum mentes afficit. Deinde verò de præparatione ad illum dignè in die Pentecoſtes recipiendum agitur.

THEMA. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, &c.* Ioan. 15.



VIS ſit humanarum rerum ſtatus & miſeranda conditio, fratres chariſſimi, paucis ſapientiſſimus ille Salomon expreſſit, cùm ait: Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupabit. Prouer. 4. Quibus verbis inſinuare voluit, nihil in hac vita ſtabile & immotum, nihil eodem curſu & perpetua felicitate decurrens: ſed omnia quæ ſub luna ſunt, cum luna ipſa quoque mutari, & modò ſecundis, modò aduerſis humanæ vitæ flatibus agitari. Itaque ſicut in mari nunquam eadem Simile. ſemper aura nauigatur, nec anni tempora eodem ſemper modo fluunt (ſunt enim variæ diei & noctis, hiemis & veris, ſerenitatis & imbrium viciſſitudines) ita planè in vita hac ſecundis aduerſa, & aduerſis ſecunda, lætis triſtia, triſtibuſque læta ſibi ſuccedunt, ſeque alternis vicibus conſequuntur. Huius rei (vt alia prętereamus) exemplum in ſacra pręſentis Euangelij lectione videre licet: in qua Dominus ac Saluator noſter & Paracletum Spiritum totius conſolationis & lætitiæ fontem diſcipulis pollicetur: ſimulque grauiſſimos labores, quos in dilatatione fidei paſſuri erant, prædicit: vt pro huius vitæ conditione riſus dolore miſceatur, & gaudia doloribus excipiantur. Ait igitur:

Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre. In his verbis apertè Spiritus ſancti proceſſionem à Patre ſimul & Filio eſſe docet: à quibus vt diuinitatem, ita quoque potentiam, ſapientiam, & munus etiam nos ſanctificandi, roborandi, & conſolandi accipit. Hanc autem ineffabilem proceſſionem & ſanctificandi virtutem Ioannes in Apocal. ſub mira quadam Apoc. vlt. imagine Angelo monſtrante contemplatus eſt. Is enim Ioanni oſtendit

ostendit fluuium aquæ viuæ splendidum tamquam crystallum, procedentem à sede Dei & Agni: cuius aquis arbor vitę salutares proferens fructus irrigabatur. In eo enim quòd hunc fluuium à sede Dei & Agni procedere ait, apertè Spiritus sancti emanationem à Patre & Filio esse demonstrat. In eo verò quòd Spiritum sanctum fluuium aquæ viuæ appellauit, splendidum tamquam crystallum, Spiritus huius splendidissimam puritatem, & multiplicem virtutem appositissima aquæ similitudine designauit. Qui enim omnium est artifex, & omnem habet scientiam, modò quidem per ignem, modò per aquam (vt cæteras eius imagines prætercam) significatur. Et quidem de igne, suo loco; nunc de aqua dicamus: aqua siquidem sordes abluit, terram fecundat, solis ardorem temperat, sitim sedat: quę omnia appositissimè Spiritui sancto conueniũt. Is enim peccatorum nostrorum sordes lauat, fructus æternæ vitæ in nobis profert, cupiditatis ardorem temperat, & sitim terrenorum gaudiorum, cęlestium exhibitione restinguit: atque hoc modo piorum mentes cælesti consolatione replens, fit eis in mœrore solatium, in labore refugium, & tutissimum in periculis & tentatione firmamentum. Quod planè regius Propheta magnifica oratione declarat, cùm primùm quidem
Psal. 45. piorum tribulationes exaggerans ait: Sonuerunt, & turbatæ sunt (siue intumuerunt) aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Hoc est, tanta hostium vis contra fidelem populum excitata est, vt tempestuoso mari montes concutienti comparari posset. Deinde firmitatem eius ex diuinæ gratiæ præsidio exponit, cùm ait: Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Magna certè fortitudo hæc atque constantia, & qua vix vlla maior in hac vita esse queat. Sed vnde, quæso, hæc tanta virtus & fortitudo? Subdit protinus: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: hoc est, spiritualis lætitiæ magnitudo (quæ impetus nomine designatur) hanc tantam nobis peperit fortitudinem atque constantiam. Itaque aduersus impetus hostium, impetum Spiritus; aduersus mundi potentiam, Dei potentiam; aduersus aquas calamitatum, aquas consolationum opposuimus. Vtrumque enim aquarum nomine intelligitur. Nam & calamitatum
Psal. 68. procellas designant, sicut in Psalmo legimus: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: & aquas item consolationum, quæ animum refrigerant, sicut in hoc versiculo: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Huius ergo diuini Spiritus promissione Saluator ad futurorum laborum expectationem in præsenti Euangelio, vt paulo pòst explicabimus, suos armat.

Quem

Quem autem Spiritum Paracletum, eundem Spiritum veritatis appellat: vt qui non modò voluntatem hominis spirituali consolatione afficiat, sed intellectum etiam, peccati tenebris obscuratum, luce suæ veritatis illustret. Hoc enim veritatis lumine in his densissimis Aegypti tenebris egebamus, ne nos tot errorum, corruptissimorumq; iudiciorum tenebræ comprehenderent. Quamuis enim (vt D. Thom. ait) communis naturæ morbus non tam in intellectum, quàm in cæteras animæ vires desæuierit (quo factum est, vt multa vera solo naturali rationis lumine assequamur, nullum tamen Christianæ virtutis officium solis naturæ viribus proferre possimus) tamen corruptus affectus ipsum quoque frequentissimè corrumpit intellectum, & plusquã Cimmerias (quod aiunt) tenebras illi obfundit, & in varios errores conijcit; vt non quod natura rerum habet, sed quòd cupiditas velit, de rebus plurimis statuat. Cùm enim voluntas nostra sic à summo illo totius sanctitatis & bonitatis auctore instituta sit; vt nihil nisi quod bonũ est, aut boni speciem referat, velle possit: cùm in aliquod flagitium cupiditas impetu suo fertur, nec ab eo persequendo vllo modo reuocari vult; tandem contendit, vt hoc ipsum probet intellectus, quo in illud sub hac boni specie ferri valeat. Qua quidem in re tanta vis cupiditatis est, vt sæpe etiam suspendium (quod malorum omnium summum esse videtur; quãdò & corpori temporariam, & animę æternam mortem infert) bonum esse illi persuadeat, qui laqueo sibi vitam eripit. Quo fit, vt, cùm corruptissimum esse vbique videamus humanum affectum, necesse sit corruptissimum quoque esse intellectum: atque ita non minùs latè errorum, quàm vitiorum campum patêre. Quòd si totus mundus (vt Ioannes ait) in maligno positus est, sequitur profectò, vt totus quoque in erroribus, mendacijs, & horrendis tenebris constitutus sit. Et quamuis in hoc etiam statu naturę lapsæ signatum sit super nos diuini vultus lumen (quando quædam veritatis & virtutũ semina animis nostris cum natura ipsa simul ingenerata sunt) turbidi tamen affectus, deprauataq. hominum iudicia & exempla faciunt, vt veritas mendacio cedat, & virtus vitijs victa succumbat. Hinc factum est, vt cùm Cicero in Officijs virtutum omnium munera ex clarissimorum Philosophorum sententia luculentissimè filio suo descripserit; eundem tamen postea monuerit, vt non Philosophorum placita, (quamuis verissima) sed communes populi mores & consuetudinem in vita sequeretur. Quo nomine Lactantius Firmianus acerrimè aduersus illum inuehitur, vt, qui aliter doceret esse viuendum, aliter viuere præcepisset: tanta vis est receptæ consuetudinis, deprauatorumque iudiciorum. Quam

D. Thō.

1. Ioan. 5.

Cicero.

Lactant.

Gen. 26. quidem rem Philisthæi olim designarunt, qui quos puteos serui Abraham & Isaac in terra eorum effoderant, illi semper terra opplere, & subsilientes aquarum venas obturare nitebantur. Hoc igitur prauorum hominum dicta factaque, hoc etiam dæmonum astus atque malitia efficere contendit, vt interni luminis & sapientię venas, quæ nos ad beatam vitam iuuare possent, iacto terrenarum cupiditatum puluere obruant, & cupiditatibus ipsis seruire faciant. Quæ cùm ita sint, maximè ad institutionem vitæ nostræ diuinæ veritatis radius necessarius erat, ad quem in tantis tenebris confugeremus, in quem vnum intueremur, quò actiones nostras ad optatum finem dirigeremus, quique nobis esset itineris dux, vitę magister, errorum depulsor, & veritatis ac pietatis certissimus doctor. Quocirca necesse est, fratres, vt, qui fine vllo errore hoc iter vitæ conficere volumus, ad hunc assiduè ducem confugiamus, & cum Propheta clamemus: Emitte lucem tuam & veritatem tuum, &c. Et, illumina oculos meos, ne vnquam, &c. Et, Deus meus, illumina tenebras meas.

Psal. 42. Psal. 12. Psal. 17.

Hactenus quidem Saluator spiritualia munimenta discipulis nobisque proposuit: nunc labores ipsos describit, ad quos ferendos spiritualia hęc arma contulit. Sequitur enim: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Hoc planè arbitrati sunt (vt alios præteream) quadraginta illi viri, qui in Actis Apostolorū ad principem sacerdotū dixisse feruntur: Deuotione deuouimus, nos non manducaturos nec bibituros, donec Paulum occidamus. Et quidem constat, nullos vnquam homines hominibus magis salutares, quàm Apostolos, extitisse: qui illos ab horrendis tenebris ad lucem, à cultu lapidum & lignorum ad veri Dei cultum, à morte denique sempiterna ad immortalem vitam traducere summo studio nitebantur: eò tamen mundi insania processerat, vt quemadmodum phrenesis morbo laborantes (quorum omne rationis lumen extinctum est) in nullos magis, quàm in medicari & sanare volentes, insaniunt; ita planè mundus in nullum genus hominum atrociùs desæuiat, quàm in hos ipsos qui ipsum exitiali morbo laborantem sanare volebant. Hoc enim vel maximū inter mala corporis & animæ discrimen diligentissimè notandum est, quòd mala corporis quo leuiora sunt, minùs curamus: quo verò grauiora, eo diligentiùs omni medicamentorum genere depellere contendimus. Contrà verò quisquis virtutis studio sollicitè incumbens, in aliqua minora peccata (quæ leues animarum morbi sunt) incidit; & acriter dolet, & ea diligentissimè à se propulsare studet: qui autem, hoc studio neglecto, totum se turpissimæ vitio-

Act. 23.

Simile.

Dissimil. notandū.

vitiorum seruituti addixit, quo grauiora crimina committit, eo minùs sentit: quia omnem penè malorum sensum cum ipsa virtute amisit. Eodem enim ferè gradu & vitæ turpitudo, & mentis cæcitas decurrunt. Quare non valde mirandum est, si grauissima animæ vulnera minùs sentiant. Quin etiam multi sunt; qui esse sub sentibus delicias computent, quæ lætentur cùm malè fecerint, & exultent in rebus pessimis. Quò magis prouidendum est, fratres, ne peccata peccatis cumulantes, eò tandem veniamus, vt omnem doloris interni sensum sic amittamus, vt mala nostra minimè sentiamus, & omnia spiritualia medicamenta repudiemus, ac sic tandem insanabiles efficiamur. Scriptum est enim; Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. In hoc igitur miserando statu mundus erat: quare nihil mirum, si ita in eos, qui sanare ipsum cupiebant, efferatus esset. Prou. 18.

In hoc ergo rerum statu, quod discipulis tuis, Domine, solarium præbes? Subdit protinus: *Hæc locutus sum vobis, vt, cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Ego igitur qui potui futura mala prænunciare, potero etiam depellere: ego vobis vt malorum denunciator, ita & depulsor ero. Ecce enim ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Me ergo vos protegente, me spiritualibus armis pectus vestrum muniente, quæ vis humana deijcere, quæ calamitas aut persecutio premere & angustare queat? Constat enim deiectionem animi (vt D. Chrysostomus ait) non tam ex calamitatis pondere, quàm ex animi infirmitate oriri. Sicut enim frequenter in corporibus hoc accidere videmus, vt quædam multis & quidem grauissimis acceptis vulneribus celerem sanitatem recipiant, quædam verò leuissima quadam punctura, aut etiam scalptura in mortem (propter fragilem eius corporis naturam & imbecillitatem) incidant: ita grauissimi etiam labores animum diuina virtute munitum minimè deiiciunt; cùm vel leuissimi, diuino præsidio & salutaribus armis destitutum, in desperationis & impatientiæ barathrum præcipitent. Quocirca omni studio curare debemus, fratres, vt his diuinis armis (quibus Apostolorum pectora Dominus armauit) nos aduersus omnia mundi tela muniamus: alioqui vel leuissima mala (si inermes deprehenderint) de gradu virtutis & constantiæ facilè depellent. Hactenus de Euangelica lectione: nunc propositam in Themate sententiam paulo fusiùs excutiamus. Matth. 28. Chrysost. Simile.

Tractatio Thematis.

Cùm venerit Paracletus, &c. Inter varia nomina, quæ diuinæ litteræ

litteræ Spiritui ſancto tribuunt, celeberrimum Paracleti nomen eſt; quod (vt ſæpius audiſtis) conſolatorem ſonat: quòd videlicet hoc ſingulare eius officium ſit. Cur autem is hoc officio erga pios vtatur, duplex potiſſimũ cauſa eſt. Primùm enim, quod ex hac ipſa Euangelica lectione didiciſtis, multi pijs hominibus labores in hac ærumnoſa vita ferendi ſunt. Non
1. Tim. 3. enim Apoſtoli ſolùm, ſed omnes (vt Paulus ait) qui piè volunt
Sapien. 3. viuere in Chriſto, tribulationem patientur. Nam ſicut aurum in fornace probat eos Dominus, & quaſi holocauſti hoſtiam accipit eos. Miſſos in præſentia facio Martyres. Quot improborum hominum perſecutiones ſancti etiam Confeſſores paſſi ſunt? Diuus Chryſoſtomus bis in exilium pulſus, in ipſo tandem, multis exantlatis laboribus, vita functus eſt. Diuus Gregorius Theologus ipſe in exilium ſponte ſede ſua relicta abijt, vt aduerſariorum odijs & inuidiæ cederet. Alter Gregorius Magni cognomento dignus, pręter grauiſſimos (quos diu pertulit) morbos, vrbis obſidionem viuens, vita verò functus, ſcriptorum ſuorum incendium ab inimicis paſſus eſt. Athanaſij verò exilia, latibula, variaque aduerſus hæreticos & Imperatores certamina, quis explicare valeat? cùm inter ea hoc quoque referatur, quòd ſex continuos annos in ſicca ciſterna ſine Solis aſpectu latitauerit, amico quodam ei neceſſaria ſubminiſtrante. D. verò Hieronymus quoties de canibus vitam ſuam atque doctrinam lacerantibus queritur? Vt enim alia prętermittam, & hæreſis & ſtupri grauiſſima ei crimina impegerunt. Damaſus verò ſummus Pontifex, & familiaris eius amicus, cauſam de adulterio in publico concilio dixit. Quid alios
Pſal. 33. referam? Veriſſimè enim à Propheta dictum eſt: Multæ tribulationes iuſtorum, & ex omnibus ijs liberabit eos Dominus. Quæ cùm ita ſe habeant; æquum profectò erat, & diuinæ prouidentiæ maximè conſentaneum, vt, qui ſe propter Dei gloriam tot laboribus obiecerant, ab eodem Domino ſpiritualibus conſolationibus fouerentur: ne laborum & calamitatum mole preſſi, exanimatique deficerent. Quod quidem benefi-
Pſal. 93. cium à Deo ſe Propheta percepiſſe gloriatur, cùm ait: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Itemque Apoſtolus:
2. Cor. 1. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum conſolatio noſtra. Hæc igitur diuinæ huius conſolationis prior cauſa eſt.

Vt alterum autem intelligamus, obſeruandum eſt, quòd quemadmodum Philoſophi in omni motu duos terminos ſtatuunt; alterum à quo motus incipit, & alterum quò tendit: ſic etiam in hoc ſpiritualis vitæ curriculo duos quoque terminos
ſtatuimus;

ſtatuimus; alterum ad quem tendimus, qui charitatis perfectio eſt; alterum à quo incipimus, qui peccatorum fuga, carnaliumque voluptatum contemptus eſt. Hęc enim duo primùm à nobis pellenda ſunt, quo iuſtitiæ viam ingrediamur, menteſque noſtras ad cęleſtem illum Spiritum excipiendum præparemus. Eſca enim malorum omnium carnalis voluptas eſſe dicitur: cui qui libellum repudij non dederit, fruſtra in peccatorum fuga & virtutum acquiſitione deſudat. Cæterùm, cùm ea ſit humani animi natura, vt ſine delectatione aliqua eſſe nequeat, nec fas ſit impuris illum voluptatibus irretiri: neceſſe profectò erat, ſpiritualibus eum delicijs foueri: quo illum diuina prouidentia (quę non deficit in ijs quę ad hominis ſalutem neceſſaria ſunt) à carnalibus & inconceſſis voluptatibus ablactaret. Hoc autem munus Spiritui ſancto ita tribuitur, vt hac de cauſa Conſolatoris nomen acceperit: quod ideo inter eius nomina celeberrimum & frequentiſſimum eſt, quia hoc eius officium præſtantiſſimum, & nobis maximè neceſſarium erat. Cùm enim (vt antè diximus) humana mens ſine oblectatione diu eſſe non poſſit, omnis autem fœda carnis voluptas à nobis, qui crucifixum Dominum colimus, & crucem eius portare iubemur, repudianda ſit: niſi ſpiritualibus delicijs ſubinde recrearemur, carnales nunquam à nobis ſtirpitus euellendas curaremus. Quocirca hoc nobis præſtat ſanctus hic Paracletus, qui, vt eſt pignus & arrhabo hæreditatis noſtræ, ita eiuſdem hęreditatis primitias pijs hominibus in hoc etiam exilio deguſtandas tribuit: vt earum dulcedine capti, omnes mundi voluptates, ceu venena mortifera melle illita, deteſtentur. Ea namque harum deliciarum præſtantia, dignitas, puritas, & magnitudo eſt, vt omnia quæ in hoc mundo dulcia putantur, illis comparata, mera amaritudo exiſtimanda ſint.

I.

Sed quęret fortaſſe aliquis, qui nam ſint pręcipui ſpiritualis huius lætitiæ fontes, vnde hæc tanta ſolatia oriantur? Huic igitur primùm reſpondebimus, tres illas virtutum omnium principes, quas Theologicas appellamus, pręcipuos huius lętitię fontes eſſe; cùm eas videlicet Spiritus ille cęleſtis excitare & afflare dignatur. Sicut enim flumina, quę intra aluei Simile. ſui ripas leniter fluunt, inundare aliquando hibernis aucta imbribus ſolent (quo tempore finitima latè loca aquis inundantibus implent) ita hę virtutes Spiritu ſancto operante, & ſinus earum interna quadam vi & luce complente, ſuas quoque habent velut inundationes, quibus mirificè piorum mentes recreant atque reficiunt. Fidei namque lumen, quo cęleſtia atque diuina cognoſcimus, adeò nonnunquam diuini huius Spiritus

luce

luce colluſtratur atque perficitur, vt fidei myſteria pius homo non tam credere ſe, & quaſi per caliginem videre, quàm manibus penè contingere, & oculis ſe illa cernere arbitretur. Quod planè fit, cùm Spiritus ſanctus per intellectus donum fidem ipſam explicat & illuſtrat, atque ita myſteriorum eius veritatem maximè conſpicuam efficit. Quod quidem cæleſte

Rom. 15. munus Apoſtolus nobis precabatur cùm diceret: Deus autem repleat vos omni gaudio & pace in credendo. Hoc enim diuino munere fit, vt, quod alijs interdum nutandi & mœrendi occaſionem præbet, his inæſtimabile gaudium pariat. Quali Eunuchus ille Candacis reginæ affectus erat, qui, huius fidei lumine percepto, ibat per viam ſuam gaudens, vt qui tantum in ea theſaurum reperiſſet. Spes quoque ita nonnunquam exundat, vt non ſperare futura, ſed quaſi poſſidere ſe iam præſentia reputet: quod, incredibile dictu eſt, quàm magna mentem lætitia cu-

Rom. 12. mulet. De huiuſmodi enim ſpe Apoſtolus ait: Spe gaudentes. Quo enim hæc ſpes viuidior atque perfectior eſt, eo magis poſſeſſionis gaudio propinquior exiſtit: quo verò huic gaudio propior, eo ad oblectandum potentior. Quiſquis enim hoc modo ſperat, mira iam ſpei huius certitudine futura gaudia quodammodo manu prehendere & prælibare videtur. Charitatem verò quoties diuinus Spiritus incendit & afflat! quos ab eo feruores

Simile. & incrementa ſuſcipit! Sicut enim ignis flatu excitatus in altum flammas emittit: ita frequenter charitas diuino Spiritu afflata, flammas ſuas effundere ſolet, quæ incredibili gaudio mentem exhilarant. Gaudium enim charitatis comes eſt; quod quidem maiora tunc incrementa capit, cum ea hoc modo augetur & creſcit.

Præter hæc autem quæ dicta ſunt, oratio quoque (vt in ſuperiore concione diximus) miris interdum delicijs piorum

Ariſtot. animos reficit. Vt enim Ariſtoteles ait, ratioque ipſa manifeſtè dictat, nihil amanti aut deſideranti dulcius, quàm de re amata cogitare, loqui, & cum ea verſari: quod pij homines faciunt, quando in oratione cum Deo, quem ſuper omnia diligunt, colloquuntur. Hinc Diuus Auguſtinus cum Domino

Auguſt. loquens ait: Vbi mens mea, Domine, ad te ſuſpirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipſa carnis ſarcina minùs grauat, cogitationum tumultus ceſſat, pondus mortalitatis & miſeriarum more ſolito non hebetat, ſilent cuncta, tranquilla ſunt omnia, cor ardet, & animus gaudet. Hactenus ille. Habet igitur hæc pia cogitatio gaudia ſua atque delicias, ſine quibus nunquam pij homines tam longo temporis ſpacio in ea perſeuerarent, niſi quodam internæ ſuauitatis glutino alligati ibidem ſine vllo faſtidio detinerentur. Iam verò cùm aliquid à Domi-

Domino instanter petimus, & post assiduas preces voti tandem compotes efficimur; quis exauditionis huius gaudium explicare queat? Hoc enim gaudio velut tripudians, & extra se quodāmodo Propheta positus, cōtinere se non potuit, quin clamaret: Venite, audite, & narrabo vobis omnibus qui timetis Deū, quanta fecit animæ meæ. Quid porrò fecit? Ad ipsum, inquit, ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea, hoc est: lætatus sum, quòd vilissimi huius vermiculi preces Dominus clementer è cælo exaudire, & me paternis oculis aspicere dignatus fuerit. Pius quidam homo vehementer ad iram naturæ impulsu incitabatur, in verbaque hunc turbidum animi motum præferentia prorumpere solebat. Cumque maxima ob hoc tristitia afficeretur, continuisque apud Dominum precibus huius morbi remedium ne quicquam (vt sibi quidem videbatur) postularet, tandem aliquando maximo propter hoc ipsum dolore percussus, flagrantissimis precibus & intentissimis animi clamoribus huius mali victoriam à Domino postulauit. Qua oratione sic animo immutatum se postea deprehendit, vix vt aliquem iræ motum iniurijs etiam prouocatus præsentiret. Cumque hoc tam aperto indicio preces suas à Domino exauditas intellexisset, digitumq; Dei hîc adfuisse cognouisset, atque hinc suam indignitatem, inde verò immensam illam maiestatem attēderet, incredibili quadam lętitia simul & admiratione rapiebatur: dum animo suo volueret, quonam modo tanta illa sublimitas, quæ supera & infera omnia moderatur, ad vilissimi vermiculi vota precesque conuersa, ipsum benignè respicere, ipsum exaudire, ipsius vota implere, & salutarem huic morbo medicinam facere voluerit. Huiusmodi ergo lætitiam, admirationi summæ coniunctam, exaudita oratio afferre solet. Hoc enim significasse Dominus videtur cùm ait: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum: quando videlicet preces vestras à Deo exauditas esse conijciatis.

Psal. 65.

Ioan. 16.

His autem adde nouam aliam lætitiæ causam, quæ ex testimonio conscientiæ oriri solet, de qua Apostolus ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Quamuis enim nemo certò scire valeat, odio an amore dignus sit: potest tamen hac de re non quidem tenues, sed maximas interdum coniecturas habere: quandoquidem (vt Apostolus ait) ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Ea verò dignitatis huius amplitudo est, vt vel huiusmodi etiam cognitio, quæ pia formidine non caret, incomparabilem piorum mentibus lætitiam afferat. Rerum enim maximarum (vt Aristoteles ait) vel tenuis cognitio & certitudo maximam parit oblectationem. Quis enim pater euidenti cognitione nosse potest,

1. Cor. 1.
Eccles. 9.
Rom. 8.
Aristot.

Simile potest, an proles ex vxore suscepta, vera & legitima sit? Hæc tamen ipsa cognitio, quę tantum habet firmitatis, quantum ex vxoris pudicitia colligi potest, quem in parentum pectoribus amorem ingenerat? quas illis voluptates parit? quibus eos laboribus & periculis exponit, vt opes & amplum patrimonium filijs relinquant? Sic igitur cùm quis huiusmodi conscientiæ suæ testimonio filium se Dei, hæredemque cælestis patrimonij, & cohæredem Christi esse intelligit; qua lætitia exultabit? quo gaudio perfruetur, cùm hac ratione conijciat, se in eo statu constitutum, vt quocumque tempore Dominus eius venerit, & pulsauerit ianuam, inueniat vigilantem? In hoc enim statu Diuus Ambrosius positus, cùm iam morti vicinus esset, hæc verba, quæ in eo Diuus Augustinus maximè commendauit, protulisse fertur: Non sic vixi, vt me vixisse pœniteat: nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum. Quàm felix igitur qui sic animo constitutus est, vt omni tempore hæc verba proferre valeat! Quid enim hoc aliud, quàm inchoatam beatitudinem & felicitatem esse dicam? Hanc autem piorum lætitiam olim Dominus in lege lætissimo quodam festo instituto adumbrari voluit. Erat enim lege sancitum, vt septimo mense, quo tempore omnes fructus terræ conduntur (annum enim Hebræi ab initio veris numerabant) omnes filij Israel simul iuncti arborum pomis, & frondibus, & omni denique lætitiæ significatione dies illos celebrarent. Hoc priscæ legis institutum quis non videt ad animi lætitiam, amplissimis iustitiæ muneribus excitatam, pertinere? Neque enim annona, quæ corrumpi facilè potest, & ad corpus tantùm breuissimo temporis spatio sustentandum condi solet, veram dat lætandi materiam: sed vberrimi iustitiæ fructus ad æternitatem intima mente reconditi. Horum recordatione non septem dies, vt olim, sed perpetuum vitæ cursum numero septenario designatum, in lætitia conficere decet: neque modò sertis tantùm & frondibus, sed choris & cantibus est tantæ lætitiæ causa celebranda.

Lucæ 12. Ambros. Leuit. 23.

Postremò est & alia huius lætitiæ causa, quę ex hac ipsa consequitur: nempe, eum qui ita viuat, omnibus seruorum Dei priuilegijs & beneficijs gaudere. Sicut enim sua sunt nobilibus, sua clericis, sua monachis priuilegia & immunitates, quibus vel Regum, vel summorū Pontificū beneficio gaudent: ita serui quoque summi illius Regis & Imperatoris sua etiam habent admiranda priuilegia, quibus singulari Dei dono & beneficio potiuntur. Si quęras autem quęnam ea sint, faciliùs quidem astra cæli, quàm ea valeas numerare. Vix enim vlla pagina in sacris litteris reperitur, quę non miros piorū fauores, & gratias, cæle-

Simile.

cęlestiaq. pręsidia resonare videatur. Ex quibus omnibus vnum tantùm hoc in loco referam, quod proposito nostro magis quadrat. Hoc autē est paterna cura & prouidētia, quam summus ille rerum Dominus gerit seruorum suorum: quæ illos vt pupillam oculi custodit; quę misericordię suæ oculos super eos semper intentos habet, & aures suas in preces eorum; quæ Angelis suis præcipit, vt in manibus suis eos portent, ne offendāt ad lapidem pedes eorum; quę omnia eorum ossa atque adeò capillos omnes in numerato habet. Hæc enim paterna Dei cura, incredibile dictu est, quantam pijs omnibus lætitiam cum mira fiducia & securitate coniunctā afferat. Quam quidem lætitiam regius Propheta aduersus ignaros huius tantæ felicitatis homines his verbis insinuauit: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Hoc est, multi diuinarum rerum ignari, cùm tantas opes in iustitia & Dei cultu sitas esse prædicamus, à nobis requirunt vbi opes istæ sitæ sint: quandoquidem (quod ad externam speciem attinet) nihilo cæteris hominibus ditiores aut feliciores Dei serui appareant. His igitur Propheta respondet: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: siue, vt D. Hieron. vertit, Leua super nos lumen vultus tui Domine, hoc est, fauoris tui lucem effunde super nos Domine, placidisq. nos misericordiæ tuæ oculis intuere. Hæc enim sola res summas mihi opes atque diuitias parat, tantaque lætitia cor meum oblectat, vt nulla certè huius mundi lætitia, quamlibet maxima, cum interna hac cordis mei lætitia sit vllo modo comparanda. Itaque alij terrenis opibus suis, hoc est, abundantia frumenti, vini, & olei, cæterarumque rerum opulentia glorientur; ego autem in te vno bonorum omnium fonte gloriabor, & spe huius paternæ prouidentiæ tuæ confirmatus, securus in pace dormiam & requiescam. Videtis igitur quanta pax & lætitia hanc paternam Dei curam & prouidentiam consequatur?

[margin: prouidentia Dei (handwritten); Psal. 4.; Ibidem.]

His igitur rationibus multisque alijs (quas recensere nimis longum esset) paracletus ille Spiritus piorum corda miris delicijs afficit, & ad omnium terrenarum voluptatum contemptionem inducit. Hi sunt igitur pręcipui fontes, vnde cælestis ille Spiritus, qui (vt paulo antè diximus) fluuij nomine in Apocal. designatur, salutares spiritualium gaudiorum aquas educit: quibus piorum mentes non modò rigat & oblectat, sed ad omnes etiam virtutum labores confirmat & armat. Quis igitur tam vecors, suique hostis erit, qui non huius tanti thesauri desiderio tangatur? qui non studiosissimè inquirat, quibus tandem rationibus hoc tantum bonum assequi valeat?

[margin: Apoc. vi.]

Si quis igitur hoc desiderio flagrat, primo loco mentis suæ domum ab omnibus peccatorum sordibus per veram animi

contritionem & confeſſionis ſacramentum purgare ſtudeat. Sapien. 1. Scriptum eſt enim: In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus (qui eſt Spiritus diſciplinæ) effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate, id eſt, ſuperueniens iniquitas eum ab anima pellet. Mundiſſimo namque Domino munda debetur habitatio. Quocirca hoc ante omnia totius apparatus huius fundamentum eſt. *Simile.* Sicut enim tenebras pelli primùm neceſſe eſt, quo lucis ſplendore aër illuſtretur: ita peccatorum tenebræ fugandæ priùs ab anima ſunt, quo diuini ſpiritus luce & gratia compleatur. Quid verò poſt hoc ſecundo loco præſtandum ſit, *Act. 1.* Apoſtoli nos exemplo ſuo docent: qui (vt Lucas in Actis eorum memorat) his ipſis diebus, quibus Spiritus ſancti aduentũ præſtolabantur, erant perſeuerantes in orationibus cum Maria matre Ieſu, & mulieribus. O ſacer conuentus! ô ſancta congregatio! ô totius pietatis & ſinceritatis collegium! in quo nihil aliud quiſque audire & cernere poterat, niſi lachrymas, ſuſpiria, gemitus, & clamores, quibus cælos ipſos penetrare, & inde igneas linguas, inde robur inſuperabile, inde Spiritum ſanctum cum donis ſuis ad terram deducere potuerunt. Quo in loco ſanctus Euangeliſta non quomodocunque oraſſe, ſed in orationibus eos perſeueraſſe ait: vt intelligeremus, aſſiduitatem & perſeuerantiam orationis eſſe ad impetrandum efficaciſſimam. *Lucæ 11.* Quod quidem non obſcurè Saluator indicauit, cùm de amico ad amici fores intempeſta nocte pulſante ait: Et ille ſi perſeuerauerit pulſans, dico vobis, quòd ſi non dabit ei ſurgens eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit ei quæ neceſſaria ſint. Hinc videmus ſanctos illos Anachoritas, turbis vrbium derelictis, in deſerta loca ſeceſſiſſe, quo ab omni humana conſuetudine, terreniſque negotijs expediti, ſe totos orationis ſtudio, ac diuinarum rerum contemplationi dederent. Arſenium illum, qui in Theodoſij Magni aula non infimum dignitatis gradum tenuit, vbi in deſertum ſeceſſit, à veſpere ſabbati vſque ad ſequentis Dominici diei lucem, erectis in cælum manibus in oratione perſeuerare ſolitum legimus. Iſidorum verò alium ex iiſdem Patribus legimus nullum certum orationum aut hymnorũ numerum præſcriptum habuiſſe, propterea quòd dies nocteſque in hoc ſtudio infatigabili ardore inſumeret. *Hier. ad Euſtoch.* D. Hieronymus verò de ſanctiſſimis quibuſdam ætatis ſuæ feminis mentionem facit, quas miſericordiam Domini deprecantes ſol ſæpe deprehenderit. Ipſe verò de ſe (cùm à dæmone infeſtaretur) ſic ait: Memini me clamantem, diem crebrò iunxiſſe cum nocte; nec priùs à pecto-

ris

ris cessasse verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Tales autem apud Deum oratores Beniamin ille amantissimus Domini designat, de quo Moyses in Patriarcharum benedictionibus ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur. Thalamus autem quietis & deliciarum locus est: à quo Beniamin noster neque ad horam, nisi cum magno doloris sensu, discedere vellet. Horum igitur continuos clamores quomodo Spiritus ille totius sanctitatis & pietatis parens contemnat? Quo diutiùs igitur & ardentiùs ad illum clamant, hoc magis & cordis sui sinum dilatant, & maioribus ab illo diuinæ gratię opibus cumulantur. O si hanc nobis mentem cælestis hic Spiritus immitteret, vt huius rei periculum facere vellemus; atque vt in ludo chartarum totas aliquando noctes maximo nostro malo insumimus, aliquam saltem noctem, vel bonam eius partem, in hoc studio consumeremus! non dubito, quin pius ille misericordiarum Pater, clamoribus nostris excitatus, aliquam diuini illius ignis scintillam, quo Apostolorum pectora inflammauit, in nos quoque immitteret: qua percepta, omnes mundi opes atque diuitias vt fumum & puluerem repudiaremus. Vnde autem festorum insignium Vigilias (quarum apud nos solum manet nomen) ortum habuisse creditis, nisi ex eo quòd fideles initio nascentis Ecclesiæ vigiles noctes in sanctorum Martyrum celebratione & oratione ducebant? Quod quidem nos in solo Natalis Domini festo nunc agimus: idem certè & in hoc sacro Pentecostes festo, alijsque similibus facturi. Orationes verò nostras ieiunijs, eleemosynis, laborum patientia, iniuriarum remissione, vigili sensuum custodia, & cupiditatum abdicatione adiuuare debemus: quo talibus præsidijs fultæ, cælos penetrare, atque inde cælestes opes & eximia Spiritus sancti dona nobis impetrare valeant: quibus tandem adiuti, ad felicitatis æternæ gloriam eodem aspirante peruenire mereamur.

Deut. 33. Simile.

AMEN.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES,

CONCIO PRIMA: IN QVA HISTORIA aduentus Spiritus ſancti, quam S. Lucas Act. 2. deſcribit, enarratur: ac deinde, ad quid potiſſimùm idem Spiritus ſanctus venerit, & cur in ſpecie flatus venerit, exponitur.

THEMA. *Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Act. 2.



QVAMVIS ſacratiſſima huius diei ſolemnitas, fratres chariſſimi, diſcipulorum Domini propria eſſe videatur (qui primitias hodie Spiritus perceperunt) nos tamen nullo modo ab eius participatione ſecludimur. Siquidem Spiritus ſanctus, qui hodierna die in illos deſcendit, ſic planè deſcendit, vt, quàm diu ſeculum ſteterit, ipſe quoque apud nos manſurus ſit. Hoc eſt enim quod in fidei Symbolo quotidie profitemur, cùm ſanctam Eccleſiam, & Sanctorum communionem nos credere dicimus. Confitemur enim, in mundo eſſe piorum & ſanctorum hominum cœtum, in quibus Spiritus ſanctus ſedem ſibi atque domicilium elegerit, cuius ductu atque appulſu rebus omnibus terrenis, tanquam inanibus & celeriter interituris, ſpretis atque contemptis, ſpem omnem, amorem, & felicitatem ſuam in vno Deo poſitam & conſtitutam habeant: propter cuius gloriam & obedientiam non modò terrena iſta contemnere, ſed vitam etiam & ſanguinem profundere parati ſint. Hic igitur ignis, qui è cælis hodie effuſus eſt, in mundo planè ad finem vſque mundi integer & inextinctus in mentibus multorum fidelium permanebit. Cuius rei typum geſſit ignis ille qui ſupra Moſis ſacrificium, quod in deſerto obtulit, è cælo deſcendit: qui deinceps, appoſitis quotidie manu ſacerdotum lignis, in ſacro loco vſque ad captiuitatem Babylonicam adſeruatus, poſt illam mirabili ratione reſtitutus eſt. Qua de re ſic in 2. Machab. lib. ſcriptum legimus: Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præterijſſent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Perſidis: nepotes ſacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: &, ſicut

2.Mach.1.

&, ſicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. Et iuſſit eos haurire,& afferre ſibi:& ſacrificia quæ impoſita erãt, iuſſit ſacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua,& ligna, & quæ erant ſuperpoſita. Vtque hoc factũ eſt, & tempus affuit quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus,ita vt omnes mirarentur. Hic igitur ignis è cælo demiſſus, & hoc nouo miraculo reſtitutus, quo omnia veteris legis ſacrificia incendebantur, typum cæleſtis huius ignis tenet,qui hodie Apoſtolorũ pectora incendit. Sicut enim nullũ olim ſacrificium Deo gratum erat,niſi hoc igne cõbureretur: ita nullum iuſtitiæ, aut pietatis,aut laudis ſacrificium acceptum Deo eſt,niſi ab hoc diuini Spiritus igne virtutẽ trahat. Quidquid enim honeſtè feceris,niſi hoc diuini amoris igne conditũ fuerit,gratum Deo nõ eſt. Sicut autẽ ignis ille qui ſemel è cælo deſcendit, quàm diu lex illa viguit,ſeruatus eſt: ſic etiam hic cæleſtis ignis, quàm diu lex noua durabit (durabit autem ad finem vſque mundi) nobiſcum permanſurus eſt, & in piorum mentibus habitaturus. Quocirca non temerè à nobis dictum eſt, hodiernæ ſolemnitatis gratiam non ad Apoſtolos ſolùm, ſed ad nos quoque pertinere. De hac igitur tanta ſolemnitate hodie dicturi, cęleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Libet, fratres chariſſimi, priuſquam de huius diei myſterio diſſerere incipiam, ſacratiſſimæ ſolemnitatis huius dignitatem ex eius præcipuè nomine indagare. Nomen habet Græcum Pentecoſten, quod quinquageſimum diem ſignificat: quo die Iudæi memoriam celebrabant ampliſſimi cuiuſdam beneficij, quod in illos Dominus quinquageſimo die, poſteaquam ab Aegypto egreſſi ſunt, contulerat. Deſcendens quippe in montem Sinai, iter illis ad felicitatem & immortalem vitam oſtendit; dum leges dedit, quibus & ritè Deum colere, & felicitatis eius participes effici poſſent. Quod quidem beneficium magnificis quidem verbis legiſlator ipſe Moyſes attollit cùm ait: Quæ eſt gens ſic inclyta, quæ habeat cærimonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie coram oculis veſtris? (Deut. 4.) Huius igitur tanti beneficij memoriam Iudæi hoc quinquageſimo die celebrabant, laudis & gratiarum actionis Domino ſacrificium offerentes, quòd ſoli inter omnes nationes delecti eſſent, quibus diuina eloquia crederentur; ſoli ſine vllo errore veri Dei notitiam & ritum colendi nacti eſſent. Hæc tamen lex, quamuis meritò inter magna Dei beneficia numeranda eſſet,non tamen omnino perfecta, & numeris omnibus abſoluta erat: multa enim in ea meritò deſiderabantur. Atque illud in primis, quòd ea iter quidem oſtendebat in cælum;

lum; homini tamen, per communem peccati morbum claudo & imbecillo, vires ad ingrediendum non suppeditabat. Peccati quidem fugam præcipiebat, sed peccati odium non præbebat. Præterea cùm multa quidem hominibus aliàs concessa prohiberet, prohibitione ipsa peccandi acuebat appetitum (qui ferè nititur in vetitum semper, cupitque negata) & legum quoque ac prohibitionum multitudine, plura infirmis hominibus per occasionem, non quidem datam, sed acceptam, offendicula præbebat. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio: constituta verò lege, præuaricationis pariter occasio constituitur.

Hæc ergo quæ infirmis hominibus offendiculo esse poterant, hodierna die Spiritus ille cælestis aduentu suo sustulit; dum fidelium mentibus illapsus, non modò splendidissimo lucis suæ fulgore eos illuminauit, sed etiam charitatis igne in amorem rerum diuinarum accendit, & afflatu suo ad omnia legis præcepta perfectissimè implenda vires contulit. Quod ita futurum
Hier. 31. esse, multo antè Dominus per Hieremiam hoc memorabili vaticinio pollicitus fuerat: Ecce (inquit) dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, quando apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Aegypti: sed hoc erit pactum quod feriam cũ domo Israël in diebus illis: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Cùm autem nouum fœdus & pactum siue nouam legem auditis, non solùm Euangelium atramento & calamo scriptum, sed præcipuè Spiritum sanctum cogitatione complecti debetis. Hæc enim noua lex (vt D. Augustinus cæterique Patres docent) ipsa Spiritus sancti gratia, eiusque diuina præsentia est.
D. Tho. Vt enim D. Thomas ait, vnaquæque res id esse dicitur, quod in ea præcipuum & maximũ est. Præcipuum autem atque maximum in noua lege, & in quo tota eius vis cõsistit, est gratia Spiritus sancti: quæ & mentem nostram ad pietatem & iustitiam erudit, & ad eam studiosè colendam afflatu suo incitat & im-
August. pellit. Hinc D. Augustinus, Quid sunt, inquit, leges nouæ, nisi virtutes in cordibus fidelium? Hæ namque nos ad officia sua alacriter & suauiter exequenda mouent. Alacriter, inquam, quia,
Aristot. vt Aristoteles ait, Non est admodum difficile ea agere quæ vir iustus agit, sed difficile tamen est eo modo agere quo ille agit, hoc est, prompto & alacri animo.

Qua ex re vtriusque legis discrimina animaduersione quidem dignissima cognoscere licebit. Illa siquidem lex scripta fuit in tabulis lapideis, hæc verò in cordibus fidelium, in quibus habitat Spiritus sanctus. Illa solùm erudiebat & illuminabat intel-

intellectum: hęc verò & illuminat longè clariùs intellectum, & vehementer in amorem Dei inflammat affectum. Illa viam solùm ostendebat in cælum: hęc & viam ostendit, & vires atque animum ad ingrediendum addit. Illa pœnis ac terroribus homines in officio continebat: hæc amore magis ad pietatem & officium inuitat. Quocirca illa timoris lex, hęc amoris esse dicitur: illa seruorum, qui pœnarum metu à malo coërcentur; hæc verò filiorum, qui amore magis ad obedientiam incitantur. Vnde cùm Dominus legem illam ferret, tantò filios Israel tremore concussit, vt perterriti atque pauore perculsi ad Moysem dicerent: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Quibus ille, Nolite, ait, timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. At hoc die fideles, amoris igne de cęlo immisso, non timoris, sed amoris Spiritu in nouam vitam informati & animati sunt. Vnde Apostolus, Non accepistis, inquit, spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater, hoc est, qui filiorum in pectore nostro amorem ingenerans, facit nos Deum toto affectu tanquam parentem & vnicũ salutis auctorem inuocare. est & aliud discrimen, quod quidem ex impari vtriusque legislatoris dignitate nascitur: quod Ioannes Euangelista exposuit, cùm ait: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Quo verò legislator dignior, hoc & lata lex præstantior atque sublimior. His ita constitutis, facile est animaduertere, quanta sit huius diei solemnitas, quantaque à nobis deuotione & alacritate celebranda. Si enim Iudęi olim, ex omni natione quæ sub cælo est, Hierosolymam confluebant, vt pro latæ legis beneficio omnes in commune Domino gratias agerent: quid nos facere par est, qui hoc eodem die pro lege Euangelium, pro littera spiritum, pro vmbris veritatem; pro ministratione damnationis, ministerium iustitiæ; pro spiritu timoris, adoptionem filiorum; pro lege denique Moysis, Christi gratiam percepimus? Quo ergo maius beneficium, hoc & solemnitas dignior, & charitas ardentior, & gratiarum actio debet esse deuotior. Hæc de solemnitatis dignitate præfati, eius nunc historiam, & historiæ mysterium, quantum nobis per diuinam gratiam licuerit, explicare incipiamus.

Exod. 20.

Rom. 8.

Ioan. 1.

I.

Saluator noster profecturus ad Patrem, cùm discipulos suos mœrore consternatos abscessu suo videret, multis eos & maximis rationibus cõsolatus est. Familiare enim Domino est, mœrorem ipsius causa susceptum, multis modis lenire & mitigare. Inter varia autem doloris huius leuamenta, illud præcipuum

 & maxi-

& maximum fuit, quòd pro se alium eis præceptorem & consolatorem propediem missurus esset, qui eos in rebus gerendis erudiret, in afflictis consolaretur, in dubijs confirmaret, in certaminibus cælesti virtute armaret, qui eis documenta omnia, quibus ab ipso antea instructi essent, ad memoriam reuocaret, qui in omnem veritatem duceret, qui ante Reges & præsides ipsorum ore loqueretur, & locupletissimum de se testimonium ferret; qui denique cum illis perpetuo, nũquam ab eorum complexu auellendus, permaneret. His igitur tam magnificis promissis freti, non modò mœrorem suum leniebant, sed mentem quoque suam ad huius paracleti Spiritus expectationem excitabant. Hæc ante passionem omnia. Post resurrectionem iterum
Lucæ 24. eadem promissa renouauit, confirmauitque: Ego, inquit, mittam promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate,
Act. 1. donec induamini virtute ex alto. Et rursum, Ioannes, inquit, baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Et iterum, Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos: & eritis mihi testes, &c. Hac igitur tanta spe discipulorum animi erecti atque suspensi, vbi primùm Dominus ab illorum conspectu in cælum sublatus est, in cœnaculo montis Sion sese omnes vno cõsilio atque vna mente condiderunt: ibique (vt Lucas Euangelista refert) cum Maria matre Iesu, ceterisque sanctis feminis in precibus die noctéque perseuerabant, hoc videlicet magnificentissimum Christi Domini promissum à Deo Patre postulantes. Orationis enim proprium munus & officium est, hunc Spiritum continuis clamoribus petere; præmium verò, quod ita postulaueris, impetrare. Hoc autem exemplo, fratres, multorum errori occurrere poteritis, qui dictitare solent: Iam à Deo decretum est quæ tandem sors mihi euentura sit; neque irritum esse vllo modo potest, quod ille decreuit: volo igitur genio indulgere, & voluptuosam vitam sectari: nulla enim res diuina decreta immutare atque cõuellere poterit. Si tu ergo hoc modo philosopharis, simili ratione Apostoli quoque philosophari potuerũt dicentes: Omnia Prophetarum oracula Spiritus sancti aduentum prædixerunt; magister verò cælestis Christus Dominus & ante passionem & post resurrectionem suam nihil frequentiùs in ore habuit: cùm ergo Dei veritas concidere nullo modo possit, in nos vtique Spiritus sanctus adueniet, etiam si totos hos dies inerti somno & otio consumamus. Verùm discipuli hoc modo philosophati non sunt, sed, vt tantæ expectationis dignitas postulabat, omnes in vnum collecti, dies noctesque Dominicam promissionem continuis precibus vrgebant. Hoc enim perseuerandi verbum, quo diuinæ historiæ scriptor vsus est, apertè indicat.

indicat. Sciebant enim rerum omnium moderatorem Deum, vbi aliquid in rebus humanis fieri decernit, vias etiam & rationes simul definire, quibus id perfici & absolui possit. Decreuit autem in nouissimis diebus Spiritum sanctum in nos è cælo demittere: sed id tamen Apostolorum precibus, ac præcipuè meritis & intercessione Christi decreuit, sicut ipse ait: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Vtrumque igitur simul statuit, & quod esset in nos donum collaturus, & qua ratione esset collaturus. Quamuis autem pręcipua huius beneficij ratio Christi Domini merita & oratio fuerat, tamen hoc etiam quod Apostoli præstare poterant, quamlibet exiguum esset, cum Christi meritis simul interuenire voluit. Hoc enim ferè diuinæ prouidētiæ ordo exigit, quod quamuis ipse in opere salutis nostræ, quod præcipuum & summum est, exequatur; nos tamen vult vt id quod pro virili nostra possumus (quamuis exiguum & tantis eius beneficijs impar sit) exequamur. Aliter enim magnam ignauię atque socordię nostræ occasionem beneficijs suis prębere. Dum igitur hæc sacra concio his decem post ascensum Domini diebus in orationibus perseueraret, & promissum à Deo munus precibus vrgeret, decimo tandem die, cùm sacrum Pentecostes festum Iudęis instaret, *Factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant Apostoli sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: seditq; supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Eo namq. claritatis splendore, eo mentis ardore, suauitate, & admiratione completi sunt, eaque diuinorũ mysteriorum cognitione illustrati, vt cōtinere se non possent, quin vocibus & clamoribus immensam diuinæ bonitatis magnitudinem linguis omnibus prædicarent. Quid enim aliud facerent, qui tantam diuini Spiritus plenitudinē & lucem acceperant, quantam nulli antea Patriarchæ, nulli Prophetæ fuerant consecuti? Hic igitur cælestis ignis in eorum cordibus exæstuans, quomodo has flammas cohibere potuisset? Si aqua quæ natura grauis est, & deorsum naturali impetu fertur, vbi igni admota vehementem ignis calorem concepit, velut naturæ suæ oblita sursum nititur, nec intra vasis angustias continetur, sed foras erumpit: quid mirum, si Apostolica pectora, vbi hoc cælesti igne exarserunt, in has laudis & confessionis voces erumperent? Poterat sanè quisque eorum illa Eliu verba meritò vsurpare: En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncula nouas disrumpit. Ideoque non mirum, si nonnulli eorum qui ad has voces confluxerant, cæteris ad rei magnitudinem & linguarum varietatem attonitis, irridentes dicerent, Musto pleni sunt isti.

Ioan. 14.

Simile.

Iob 32.

At Petrus in medium prosiliens, mysterij magnitudinē ex Prophetarū vaticinijs & testimonijs propalare cœpit: nēpe Deum, qui præteritis temporibus parciùs Spiritum suum selectis quibusdam hominibus impartitus fuisset, nunc vnigeniti Filij sui meritis & sanguine placatum, quasi diuitiarum suarum prodigum, gratiarum omnium thesauros aperuisse, & has tantas opes in omnem carnem, hoc est, in omne genus hominum effudisse:
Ioel. 2. quemadmodum Ioëlis ore prœnunciasset: Et erit (ait Dominus) in nouissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Non enim solùm Iudææ finibus hę tantę opes continendę erant; sed ad omnem carnem, hoc est, ad omnes exterarū gentium oras quàm latissimè profundendæ. Quod idem Apo-
Act. 2. stolus paulo inferiùs exposuit, cùm ait: Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt. hoc est, qui à veri Dei cultu & religione alieni, dęmonū obsequio addicti sunt. qui hoc cęlesti Spiritu afflati, & diuinæ gratiæ opibus locupletati, lætissimos pietatis & iustitiæ fructus edent. Hæc igitur tanta gratiarum vbertas in omnem hodie carnem effusa esse dicitur: quoniam licet centum viginti homines tantùm illam perceperint, hi tamen facultatem donandi eam cæteris acceperunt.

II.

Hactenus historia rei gestæ, quam simplicibus penè verbis beatus Euangelista Lucas exposuit: quæ tamen tot penè mysterijs quot verbis referta est. Nihil enim in ea otiosum, nihil mysterio & ratione vacans continetur. Nam quòd Spiritus sanctus è cælo missus sit, quòd post ascensum Christi Domini in cælum in nos venerit, quòd in festo Pentecostes, quòd in specie spiritus vehementis, & ignis, variarumque linguarum apparere voluerit, quis mysterijs vacare credat, nisi qui omnium diuinarum rerum ignarus sit? Sed quoniam his omnibus rebus explicandis vnicus sermo satis esse non potest; quod inter hęc omnia veluti caput est, in præsenti concione tractabimus: nempe ad quid potissimùm Spiritus sanctus è cælo in nos delapsus sit. Cui quæstioni tam multa responderi possunt, quàm sunt multa beneficia, quæ nobis hoc vno beneficio conferuntur: quæ & maxima & innumera sunt. Præcipua tamen huius aduentus causa extitit, vt collapsam naturam hominis reformaret, animosque nostros, à iustitiæ & pietatis cultu abhorrentes, ad iustitiam potenter incitaret. Quod vt rectiùs intelligatis, rudi crassaque (quod aiunt) Minerua hoc explicandum curabo. Sciendum ergo est, duo maximè nobis necessaria esse, quo per viam salutis & iustitiæ ingredi valeamus: nempe rerum gerendarum cognitionem, & voluntatis ad agendum propensionem. Hoc est, vt sciamus quonam modo iustitia colenda sit, deinde

vt ex

vt ex animo eam colere velimus. Multi enim sciunt quo pacto viuendum sit, qui tamen, cupiditatibus suis implicati, vehementer illud ipsum vitæ genus quod probant, detrectant, atque refugiunt. Ex his autem duobus prius illud longè facilius est. Partim enim naturæ lumine, partim doctrina legis instructi, quid sequendum, quid fugiendum sit, vtcumque nouimus. Quis enim nesciat, periurium, mendacium, furtum, homicidium, & adulterium detestanda esse? contrà verò castitatem, humilitatem, charitatem, & omnes denique virtutes esse sectãdas? Quid ergo hominibus ad pietatem & iustitiam deest? Nimirum certa & firma voluntas præstandi quod intelligas. Quàm multi enim sunt, qui cùm sciant virtutem & probitatem esse maximè expetendam, libidinum tamen & voluptatum amore deuincti eam deserunt! Quibus illud Poëtæ maximè conuenire videtur: Video meliora proboque, deteriora sequor. In hanc autem miseriam homo propter commune naturæ peccatum corruit. Vnde necessariò consecutum est, vt in via Dei claudicaret, qui cùm intellectu vtcunque agenda cognosceret, affectu tamen & voluntate ab illis longè abhorrebat. O quàm multi in hoc miserando statu degunt! qui cùm æternam vitam & salutem percupiant, & præceptorum diuinorum obedientiam ad hoc esse necessariam sciant, hanc tamen horrent atque fastidiunt; contraque, quicquid animæ saluti nocet, sitienter appetunt. Itaque cùm Deus pudicam vitam, & fraternam charitatem, & sobrietatem, & iniuriarum patientiam, & lenitatem, & humilitatem, & terrenarum opum atque voluptatum contemptum, tanquam salutares animi cibos illis proponat: ipsi contrà hæc omnia detrectantes, libidinem, intemperantiã, superbiam, fastum, terrenas opes, & voluptates ardentissimo studio consectantur. His igitur omnibus degendæ vitæ ratio nota est; deest tamen firma præstandi voluntas, sine qua cognitio illa non admodum iuuat, & interdum etiam in maiorem damnationis cumulum cedit: quandoquidem eorum causam inexcusabilem coram superno Iudice reddit. Huic igitur morbo (vt initiò diximus) lata olim à Deo lex non succurrebat: quæ cùm diuinæ voluntatis & peccati cognitionem præberet, non tamen aut peccati odium, aut diuinæ legis amorem conferebat: ideoque salutem hominibus non dabat. In hoc igitur verè miserando statu mundus ante Domini Saluatoris aduentum agebat. Quid igitur? An in hac tanta infirmitate homines, quos ad imaginem tuam, Domine, condidisti, & felicitatis tuæ participes effici voluisti, perpetuò manebunt? Si nulli animantium prouidentiæ tuæ beneficia desunt, si vilissimis etiam vermiculis, cæterisque reptilibus ita consulis, vt, quidquid ad fines suos consequendos neces- Simile.

necessarium sit, largè illis atque magnificè suppedites: quî fieri poterit, vt hominem deseras, propter quem omnia condidisti? Quomodo ijs opibus destitutus erit, quibus ad finem, propter quem illum condidisti, niti & aspirare possit? Non est hoc prouidentiæ tuæ, quæ maxima cura, ea quæ maiora sunt, tuetur ac moderatur. Huic igitur tantæ necessitati sic diuina bonitas consuluit, vt vix quicquam homini felicius aut optabilius contingere potuisset. Cùm enim multis modis infirmitas nostra roborari, & inopia subleuari potuisset, hanc præcipuè sanandæ naturæ nostræ rationem delegit, vt ipse conditor noster fieret medicus & magister noster, qui omnia in omnibus adimpleret. Hoc enim prima lectionis Euangelicæ verba insinuant, quibus Saluator ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid, quæso, hac dignitate sublimius? quid humanæ naturæ optabilius? Pensate, ait D. Gregor. fratres charissimi, quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio aduentum Dei. Sicut igitur diuina bonitas multis rationibus humanum genus redimere potuisset, eam tamen delegit, quæ & nostræ miseriæ sanandæ, & diuinæ gloriæ amplificandæ commodissima esset, nempe vt opus hoc Vnigenito suo demandaret: ita modò, cùm multis alijs rationibus inopiæ atque infirmitati nostræ prouidere potuisset, hanc vnam destinauit, quæ erat omnium efficacissima & præstantissima; maioremque homini non modò salutem, sed etiam dignitatem afferret. Ad hoc igitur Spiritus sanctus missus est, vt, quod veteri legi deerat, abundè suppleret, vt lapsę naturæ morbū sanaret, vt algentem hominis volūtatem igne suo incenderet, torpentem excitaret, iacentē erigeret, & in diuinę legis studiū inflammaret. Quo factū est, vt, qui hoc diuino Spiritu pleniùs afflati fuêre, maiori deinceps ardore & contentione cęlestia & inuisibilia bona quęrerent, quàm terrena & visibilia antea quæsissent. Quod ita futurum esse longè antè Baruch Propheta vaticinatus fuerat his verbis: Sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo; sic decies tantum conuertentes, requiretis eum. Magna planè maximeq. miranda sunt, quæ de huius diuini Spiritus virtute & officio in litteris sanctis prædicantur: sed hoc tamen summum vaticinium paucissimis verbis ea omnia comprehendere videtur. Si quis enim paulo attentiùs cum animo suo reputauerit, quo studio & ardore seculi homines secularia bona, hoc est, opes, honores, voluptates, potentiam, regna, & imperia consectentur; si Hannibales, Cæsares, Alexandros, ceterosq. mundi principes ad memoriam reuocauerit, & quos ij labores & pericula imperandi cupiditate adierint, consideret; satis superque esse arbitrabitur,

Ioan. 14.
Gregor.
Baruch 4.

bitur, si quis eo studio & contentione cælestia bona quærat, quo illi terrena quæsierunt. At multo maius mihi studium atque ardorem Vates sanctus pollicetur cùm ait, Decies tantum conuertentes requiretis Deum. Ea enim cælestis huius Spiritus vis & potentia est, sicque interdum pectus, quod plenius obsederit, illuminat, roborat, instruit, & cęlestium rerum amore incendit, vt omnes mundi amatores, omnes ambitiosos, auaros, voluptuarios, cæterosq. terrenarum rerum amore ebrios, studio & amore rerum cælestiũ multis partibus superet. Cuius enim auari & ambitiosi ardor cum ardore Pauli, cuius studium cum illius studio, cuius labores cum illius laboribus conferendi sunt? Neque verò ego Paulum tantùm, sed Laurentios, Vincentios, & innumerabilem sanctorũ Martyrum exercitũ proferre possem, qui, eodem Spiritu acti, maiori desiderio mortis supplicium propter Christi fidem, quàm alij vitam & mundi gloriam, appetebant. An non hoc facilè Diuus Ignatius ostendit, qui tanto martyrij ardore flagrabat, vt ad bestias dãnatus, sic eas appellaret: O felices bestias, quæ præparantur mihi! quando venient? quando emittentur? quando eis licebit frui carnibus meis? Quas ego opto acriores fieri, ne fortè, vt in nonnullis fecerunt, timeant contingere corpus meum. Quin & si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Quid hoc animo excelsius? quid mirabilius? Vnde hæc tanta vis, nisi ab hoc Spiritu vehementi, qui hodie Apostolica pectora repleuit? Hac enim de causa in vehementis auræ specie venit, vt ipsa species, quæ sensibus obiecta erat, latentem eius vim & impetum, quo nos ad pietatis & iustitiæ amorem exsuscitat, indicaret. Proprium enim vehementis & concitatę auræ est, ea, in quæ incurrerit, potenter impellere. Sic videmus quo impetu & celeritate naues in mari moueãtur, cùm vehemens aura spirare cœperit: qua tamen destitutæ, immobiles in medio mari iacent. Simili ergo impetu pigram hominis voluntatem, & ad pietatem & iustitiam corruptæ naturæ vitio desidem & inertem, inuisibili quadam, sed potenti tamẽ virtute Spiritus sanctus incitat & impellit. Quam rem Dominus appositissima similitudine explicuit, cùm ait: Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis; sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Hoc est, ventum quidem quamuis non cernamus, eius tamen vim & efficaciam intelligimus, cùm arborum fragorem & motum vento excitatum videmus, & ingentes interdum arbores, firmaque radice solidatas, eius vi conuulsas vel confractas intueamur. Eius igitur effectum apertè videmus, ipsum tamen non cernimus, sed intelligimus. Hoc est enim quod ait: Sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: qua loquendi figura aëris naturam

Simile.

Simile. Ioan. 3.

ab

ab oculorum sensu remotam designauit, quamuis eius motus & impulsus apertissimè sentiatur. Hac autem similitudine Dominus præpotentem diuini Spiritus virtutem, sed latentem tamen atque inuisibilem voluit indicare, cùm dixit: Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Quis est autem qui natus est ex Spiritu? Cedò mihi aliquem qui iuxta prioris natiuitatis naturam carnis cupiditatibus aliquando seruiuit; nunc verò, percepta diuini Spiritus gratia, in nouam creaturam regeneratus, non carni, sed spiritui; non voluntati propriæ, sed diuinæ; non seculo, sed Deo seruire contendit. Hic sic diuinæ vocationis beneficio feliciter renatus, sentit quidem animum suum interiùs commutari, sentit se ad religionis studium & cælestium rerum amorem vehementer accendi, sentit se amare quæ oderat, odisse quæ amabat, desiderare quæ fastidiebat, fastidire quæ sitiebat, voluptatem capere in ijs quæ illi acerba erant, oneri verò & mœrori esse, quæ illi antea voluptati erant. Hoc autem discimus quotidianis vocibus & exẽplis eorũ qui singulari Dei dono ab amore seculi ad Dei amorem & pietatis studium tota mente conuersi sunt. Alius enim dicit se olim quidẽ vitam omnem in chartarum ludo, cæterisq. similibus contriuisse: modò verò, vbi spiritualis dulcedinis guttulam degustauit, omnia ludorum genera morte peiùs odisse. Alius, qui dies noctesque pecuniæ congerendæ intentus erat, nunc se eximio Euangelicæ paupertatis studio flagrare ait: & qui priùs aliena frequenter rapiebat, nunc pietatis amore sua etiam libẽtissimè elargitur. Alius, qui impossibile esse credebat citra impurum carnis cõmercium viuere, modò fatetur se multos iam annos non solùm impuro opere, sed ne verbo quidem aut cogitatione pudicitiæ candorem labe vlla maculasse. Alius, qui olim aut venandi, aut equos alendi studio sic deditus erat, vt aliud nihil cogitaret aut moliretur; vbi cæli atria cogitatione collustrare cœpit, ad hæc omnia tanquam vilissima & abiectissima nauseat. Alius fabulosorũ librorũ lectioni (qui impudentissimis mendacijs horrida bella & singularia certamina confingunt) perpetuo & indefesso studio vacabat: verùm vbi delibata diuini Spiritus dulcedine resipuit, vehemẽti pudore afficitur, quòd talibus nenijs ac nugamẽtis oblectari sustinuerit. Inuenies & virgines non paucas, quæ felicitatem suam in corporis & vestiũ ornatu positam habebãt: quæ vbi primùm huius diuini Spiritus limina attigerunt, hæc omnia velut stercora & tamquam pannos menstruatæ detestantur. Erunt & aliæ, quæ ita in virorum & filiorũ amore insaniebant, vt, si quis illos vel leuis morbus attigisset, vix mentis compotes essent: quæ vbi diuini amoris suauitatem degustarunt, ceteros deinde creaturarum etiam coniunctissimarum amores ita moderatæ sunt, vt
ad

ad omnia, quę de rebus suis diuina prouidentia statuere voluisset, paratum semper & promptum animum gestarent. Erunt rursus & alij, qui hæc ipsa, quæ sigillatim enumerauimus, sibi ipsis accidisse dicant: qui hoc argumento conuicti, clamare cum Propheta cogantur: Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Omnes igitur isti, vbi cælestium bonorum amœnitatem, Spiritu monstrante, experimento didicerunt, facilè præ horum dignitate & splendore cætera omnia pro nihilo ducunt. Hinc D. Gregorius, Sancti, inquit, viri cùm iam æternis æstuant desiderijs, audire quæ sunt mundi, deprimens pondus credunt. Valde namque insolens & intolerabile æstimant, quicquid non sonat illud quod intus amant. His autem interni hominis mutationibus Spiritus sanctus, qui nos ita afficit, testimonium quoque perhibet spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: non quòd hoc quisquam in hac vita certò scire possit, sed quòd vehementes interdum ea de re coniecturas habeat. Quisquis igitur his aut similibus rationibus sic immutatus est, vt vix seipsum agnoscat, & se non esse qui antè erat miratur; is vtique (quod antè quærebamus) ex Spiritu natus est, quando prioris natiuitatis vetustate deposita, in nouam creaturam translatus est. Psal. 76. Gregor.

Ne verò quisquam hanc tantam animorũ mutationem minoris faciat quàm par est, sciat ex D. Bernardi sententia, altius atque diuinius esse donum hoc, quàm operationem miraculorum. Is namq. in vita Malachiæ, viri sanctissimi, quam ipse litteris mandauit, vbi feminam quandam sancti viri precibus à morte ad vitam fuisse reuocatam commemorasset, aliam deinde refert, quæ iracundiæ & furoris morbo sic obnoxia erat, vt & fratribus, & filijs etiam, cæterisque omnibus intolerabilis existeret. Itaque dolentes filij tum pro illa, tum pro se ipsis, trahunt illam ad præsentiam Malachiæ, lacrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem sanctus & periculum matris, & incommodum miserans filiorum, seorsum aduocat illam; fuerit ne confessa aliquando peccata sua, solicitè percunctatur. Respondit: Nequaquam. Confitere, inquit. Paret. Et ille iniungens pœnitentiam confitenti, oransque super eam, vt Dominus omnipotens det illi spiritum mansuetudinis, in nomine Domini Iesu, ne vltrà irascatur, iubet. Tanta deinde mãsuetudo secuta est, vt pateret omnibus, non esse aliud, quàm admirabilem mutationem dexteræ Excelsi. Fertur adhuc hodie viuere, & tantæ esse patientiæ & lenitatis, vt, quæ omnes exasperare solebat, nullis modò exasperari damnis, contumelijs, & afflictionibus queat. Si licet & me, iuxta Apostolum (ait Bernardus) abundare in sensu meo, accipiat quisque vt volet: ego istud superiori suscitatæ miraculo mortuæ sentio præferendum, Bernard.

quòd

quòd exterior quidē ibi, hîc verò interior reuixerit homo. Hactenus Bernardus. Satis quidem hoc exemplo, vt opinor, fratres, huius admirandæ mutationis vis & dignitas intelligi potest. Verùm quo res fiat dilucidior (nec enim mirum est, si minùs capiamus quod Nicodemus olim magister in Israël ignorabat) aliud vobis huius admirandæ mutationis locupletissimū exemplum proponam. Intuemini Apostolū Petrum in passione Domini ad vnius inermis puellę vocem trepidantem, & Dominum pernegantem, ac paulo pòst ipso Domino præsente, cuius obsequio vitam suam paulo antè deuouerat, eiurantem, detestantem, & anathematizantem (hoc est, dira sibi supplicia imprecantem) quòd hominem illum non agnosceret. Quid hoc animo infirmius? quid imbecillius? At nunc eundem intueamur, vbi paucis pòst diebus hunc cælestem Spiritum hausit. Is igitur, posteaquam maximis quotidie vocibus crucifixi gloriam in omnium oculis prædicasset, in senatum Iudæorum adductus (quò Annas princeps sacerdotum, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali, confluxerant) & ab illis, in cuius nominis virtute claudum quendam sanasset interrogatus, hæc animosa inuiolabilis fidei verba respondit: Principes
Act. 4. populi & seniores, si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est: notum sit omnibus vobis & omni plebi Israel, quòd in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Neque enim aliud nomen est sub cælo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid, quęso, hac responsione fortiùs? quid cōstantius? quid mirabilius? Quam enim circumstantiam prętermisit, quę vel ad cognoscendum Christum, vel ad eius gloriam declarandam, vel ad Pontificum & Pharisæorum perfidiam & immanitatem accusandā pertineret? Quis te, ô beate piscator, sic mutauit? Vnde tibi tanta vis, tam noua fortitudo, tam insuperabilis constantia? quis pectus istud adeò muliebre & infirmum, vt mulieris infirmæ vocem paucis antè hac diebus expauesceret, sic armauit, vt totum Iudæorū senatum atq. concilium insuperabili fortitudine pedibus protereres atque calcares? Quis igitur hoc exemplo non facilè huius celestis Spiritus vim & potestatem agnoscat? non miretur? non reuereatur? non adoret? non votis omnibus ad huius (vt ita dixerim) diuinitatis participationem aspirare contendat? Quod autem de vno Petro dixi, idem de cæteris quoque discipulis dicere potuissem, qui tamē omnes in passione Domini scandalum passi sunt. Omnes enim relicto eo fugerunt, adeò, vt ado-

vt adolescens quidam sindone tectus, dum ab impijs comprehēderetur, relicta sindone nudus profugerit ab eis, ac pudoris & verecundiæ iactura salutem sibi hac turpi fuga quæsierit. Quæ omnia diligenter ab Euangelistis Spiritus sanctus describi voluit, vt hac ratione tum discipuli ipsi, tum omnes nos, quid illis Spiritus sancti gratia contulisset, intelligeremus. Simile enim quidam facere solent, qui thesauris vel fisco Regum præficiūtur: qui, priusquā munus illud obire incipiant, patrimoniorum suorum opes Regibus ipsis declarandas curant: vt qua in re ex officij administratione ditiores euaserint, constare liquidò possit. Sic igitur perspecta prior discipulorum imbecillitas, satis apertè, quid à Spiritu sancto perceperint, ostendit. Simile.

Sed dicet aliquis forsitan: Rectè sanè. Verùm hoc tam præclarum Spiritus donū Apostolis tantùm concessum est, qui primitias Spiritus acceperunt. Fateor quidem ita esse. Sed quem tamē Dominus ab huius Spiritus participatione secernit? quem à gratię suæ communione secludit: imò quàm multis nos modis ad illam vocat? Euntes, inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Quid est autem Euangelium, nisi oblata vltrò Spiritus sancti gratia? Rursúmque apud Ioannem Dominus: Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, & bibat. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. O vocem auream! ô vocem pietatis & misericordiæ plenissimam, dignam quæ cordis nostri auribus perpetuò insonaret, vt nos in desiderium & spem cælestis huius doni erigeret! Quid verò illa Prophetæ inuitatio? Omnes sitientes venite ad aquas; & qui nō habetis argentū, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac: hoc est, vinum dilectionis, & lac cælestis suauitatis. Vinum, qui robustiores iam effecti estis; lac, qui adhuc tāquam paruuli in Christo vbera sugitis. Sed quonam modo hæc inter se duo cohærent, Venite, emite: cùm statim dicat, absque argento, & absque vlla commutatione? Quis enim emit, qui non vel pecunia vel alicuius rei cōmutatione emat? An fortasse hoc est quod Sponsa in Cant. ait? Si dederit homo omnē substantiā suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Tanta namque cælestis huius doni dignitas & magnitudo est, vt eius gratia omnes mundi opes expensæ, omnes mundi labores exhausti nihil prorsus esse dicantur. Vnde est illa vox: Neque comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in cōparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Quid quòd hoc donum & emitur, & gratis etiam donatur? Sicut enim interdum ita contingit, vt alius sit qui seminet, alius qui metat: ita non mirum si in hac

Marc. 16. Ioan. 7. Esaiæ. 55. Cant. 8. Sap. 7.

etiam re alius sit qui emat, alius qui gratuitò accipiat. Verè enim Christus Dominus hoc tantum donum nobis sanguinis sui pretio emit: nos verò à Patre gratis propter illum accepimus. Hoc
Rom.3. est enim quod Apostolus insinuauit, cùm ait, nos gratis fuisse iustificatos, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Gratis ergo sumus iustificati, sed magno tamen pretio empti, videlicet per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Sed iam receptui canentes, quid ex his quæ à nobis hactenus dicta sunt, domum referre debeamus, ne frustra concionē audisse videamur, paucis aperiendum est. Primum est igitur, vt immortales gratias huic diuino Spiritui agamus, qui hodie in Apostolica pectora descendit. Neque enim nos ab huius gratię communione excludimur, quandoquidem propter nos clarissimum illud donum in Apostolos effusum est. Cùm enim Deus Ecclesiæ suæ templum ex viuis lapidibus ædificare decreuisset, eius operis artifices creare debuit, qui huic operi instarent: nos autem opus illud & templum sumus propter quod artifices quęsiti sunt. Hoc enim Apostolus apertè insinuauit, cùm ad Corinth.
1. Cor. 3. scripsit: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia vestra sunt, hoc est, ad vestram salutem instituta.
Simile. Itaque sicut nobilis pater, qui filij sui præceptorem, quo illum diligentiùs erudiat, magnis afficit muneribus, non modò præceptorem, sed ipsum quoque filiū honorat: ita cùm Deus Apostolos hodierna die Spiritu suo repleuit, & illos vtique hoc ingenti beneficio sibi deuinxit, & nos quoque eiusdem beneficij debitores effecit, propter quorum salutem tam larga manu in eos effusus est. Vt omittam interim, quòd hic idem Spiritus (vt initio diximus) perpetuò apud nos mansurus est, vt ipse nos inuisibili ductu, magisterio, & afflatu suo ad beatam & immortalem vitam perducat. Duos enim mundos in hoc vno mundo contemplari debetis: alterum naturalem, alterum supernaturalem: alterum cuius finis est esse naturæ, alterum cuius est esse gratiæ, hoc est, supernaturale atque diuinum esse. Sicut ergo naturæ conditor Deus, primusque motor & causa prima perpetua prouidentia rebus omnibus, quæ natura constant, præsens adest, easque ad fines suos generali concursu incessanter dirigit: ita idem Dominus, qui est etiam gratiæ & felicitatis auctor, in altero supernaturali mundo, hoc est, in Ecclesia simili modo se gerit, piorū mentibus occulto & inuisibili illapsu sese insinuans, eosque supernaturali virtute ad supernaturalem finem per pietatis & iustitiæ opera adducens. Deinde etiam illud sequitur, vt Seruatori quoque nostro simili studio atque affectu gratias agamus, cuius meritis & precibus hoc tam præclarum munus

in nos

in nos effusum est. Tertiò ex his etiam colligimus, totò cælo errare illos qui virtutis iter tanquam inaccessum atque asperum reformidant. Hi namque Spiritus sancti virtutem, vt nunquam experti sunt, ita planè nō agnoscunt. Sine cuius præsidio fateor virtutis iter esse multo adhuc difficilius, quàm illi autumant; eo tamen aspirante, esse adeò facile atque suaue, vt Propheta meritò dixerit: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut Psal. 118.
in omnibus diuitijs. Quæ cùm ita sint, iure multorum ignauia atque desidia accusanda est. Quæ enim maior ignauia, quàm tàm ingens donum, tam magno pretio & labore partum, propter res nihili amittere? Tantum enim ponderis in dono & in doni pretio est, vt vtriusq. magnitudo inter se certare quodammodo videatur. Si enim pretium cogitas, quid eo maius? Si donum respicis, quid eo diuinius? Ego tamen verè cæcus & amens, ne exiguum laborem subeam, vtrumque repudio. Quid enim aliud à me Dominus requirit, quàm vt sitiam, quo bibam? petam, quo accipiam? quæram, quo inueniam? dilatemque os meum, vt ipse impleat illud? Verissimè enim Veritas ipsa dicit:
Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti ape- Lucæ 11.
rietur. De sanctis Apostolis superiùs diximus, quòd decem post ascensum Domini diebus erant perseuerantes in orationibus cum Maria matre Iesu & mulieribus. Ego me tibi pro Deo vadem & sponsorem offero, eundem te Spiritum, quamuis non pari plenitudine, percepturum, si veteris vitæ pœnitentia compunctus, vigilanter in oratione persistas, si cum Apostolis instanter petas, quæras, atque pulses. Habes hac de re certissimos
obsides, nempe illam Domini Saluatoris promissionem: Si vos, Matth. 7.
inquit, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petenti-
bus se? Habes item Iacobi Apostoli testimonium dicentis: Si Iacobi 1.
quis, inquit, indiget sapientia (quæ videlicet inter cætera Spiritus sancti dona principem locum tenet) postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Sed quonam modo, inquis, postulabo? Ad hoc idem Apostolus respondet: Postulet autem in fide nihil hęsitans. Fides enim inter cæteras orationis conditiones cum primis necessaria est si impetrare volumus quod postulamus.

Sed quoniam de fide mentionem fecimus, perniciosissimum multorum errorem hodiernæ solemnitatis argumento conuellere tentabo. Multi enim sunt, partim hæretici, partim etiam fideles, qui, in sceleribus suis persistentes, de sola sibi fide blandiuntur, existimantes ea sola salutem sibi parare posse, & in ea totius Christianæ pietatis summam collocantes. Quæ quidem persuasio Satanæ opera in mundum inuecta, incredibile dictu est, quantas animarum strages ediderit. Quam quidem senten-

tiam (vt nihil aliud in præsentia dicam) sola huius diei festi ratio conuellere atque infringere potest. Constat enim huc omnes Christi Domini conatus, huc preces, huc labores, huc incarnationem, passionem, mortem, vitam, resurrectionem, & in cælum ascensum destinata fuisse, vt Spiritus sanctus in nos è cælis demitteretur. At Spiritus sanctus (si eius naturam & essentiam consideres) amor est, quo se Pater & Filius infinito amore complectuntur. Vt enim Filius Verbum, qui ab intellectu Patris procedit; ita Spiritus sanctus Amor est, qui ab vtriusque voluntate, Patris videlicet & Filij, manat. Hoc igitur argumento, fratres, intelligite, charitatem quidem totius Christianæ religionis esse finem, quando Spiritus sanctus, qui Patris & Filij charitas est, omnium laborum Christi finis extitit: vt is videlicet, qui essentialiter amor est, mentes nostras rerum cęlestium amore inflammaret; & quemadmodum ineffabili amoris nexu Patrem & Filium iungit, ita fideles omnes mutuo inter se charitatis vinculo copularet. Vbi autẽ huiusmodi charitas regnat, ibi nec odium, nec inuidia, nec iniuria, nec rapina, nec contumelia, nec detractio, nec susurratio, nec scandalum, aut impudicus amor locum habent: sed pro his misericordia, benignitas, liberalitas, affabilitas, lenitas, suauitas dominantur. Hæc sunt igitur veræ charitatis officia, eademque indicia sunt, quibus de Spiritus sancti præsentia coniecturam apud se quisque facere poterit. Quocirca charitati semper studeamus, charitatem rebus omnibus anteferamus, charitatis ignem à Domino assiduis precibus postulemus: quam Apostolus Christianæ philosophiæ summam, & perfectionis vinculum esse definit. Est quidem necessaria, maximeque commendanda fides, sine qua charitas esse non potest, sed illa tamen vt operis fundamentum, hæc verò vt totius operis consummatio. Cuius tanta dignitas est, vt (quemadmodum idem Apostolus ait) fide & spe deficientibus, sola charitas in cælesti patria maneat. Quam Spiritus sanctus nobis hodie misericorditer concedere dignetur, qui cum Patre & Filio viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

IN EODEM FESTO PENTECOSTES, CONCIO SECVNDA: IN QVA EXPONITVR, quonam modo Spiritus sancti operâ & singulari beneficio humanæ naturæ morbus sanetur, & lapsus homo in pristinum dignitatis gradum restituatur.

THEMA. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Actuum 2.



RAECEPTA sunt eorum qui dicendi rationem tradunt, vt ad extremam orationis partem, quæ potētissima atque optima in causa sunt, referuentur: vt, quoniam extremum illud in auditorum animis infixum hæret, ex eo potissimum de cæteris orationis partibus, ac de tota demum causa auditor pronunciaret. Hunc ordinem diuina sapientia in salute hominis procuranda secuta esse videtur, vtpote quæ Spiritus sancti aduentum, in quo salutis nostræ summa constituta erat, ad redemptionis nostræ finem reseruauit. Hæc enim omnium Christi Domini operum atque laborum pulcherrima clausula extitit. Ad hoc enim Christus omnia opera sua destinauit, in hoc semper incubuit, hoc semper à Patre assiduis precibus impetrare studuit, ad hoc denique & sanguinem fudit, & crucis supplicium pertulit; vt huius tanti sacrificij merito hoc tam præclarum donum, hunc cælestem ignem promeretur, de quo ipse ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Hac autem ratione licebit, fratres, huius doni magnitudinem æstimare. Si enim qui vno verbo hanc vniuersi mundi machinam condidit, tot annos insumpsit, tot labores subijt, tam multa molitus est, quo nobis hoc donum impetraret: quale illud esse existimabimus, quod tot laboribus, talique pretio comparatum fuit? Hinc etiam sacratissimę solemnitatis huius dignitatē intelligere licet: ad quam non solùm tot Christi labores, sed omnia etiam nouæ legis sacramenta, omnia Christi mysteria, omnis eius doctrina atque promissa instituta sunt. Hæc enim omnia eo pertinent, vt hunc cælestem diuini Spiritus ignem animo concipiamus. De hoc igitur ineffabili mysterio nobis hodie agendum est: de quo ne ipsi quidem Apostoli dignum aliquid dicere potuissent, nisi ab eodem Spiritu linguas igneas accepissent. Optandum ergo erat de hoc mysterio dicturis, vt de eisdem linguis igneis aliquid nobis Dominus impartiret, quo de cælestis huius ignis natura, vi, & potestate pro dignitate diceremus. Quis enim hanc

Lucæ 12.

tantam dicendi prouinciam aggrediatur, nisi ille adsit qui mutis linguam, rudibus eloquentiam, imperitis sapientiam, timidis atque infirmis dicendi audaciam subministrat? Hanc igitur, fratres, dicendi audiendique facultatem, sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Constat planè ex ijs quæ modò à nobis dicta sunt, omnes Christi labores in hoc fuisse destinatos, vt Spiritus sanctus in corda fidelium effunderetur; cuius ope & beneficio salus æterna hominibus contingeret. Vterque igitur salutis nostræ auctor, vterque eius causa est, dissimili tamen ratione: Christus enim crucis supplicio Spiritum sanctũ nobis promeruit; Spiritus verò sanctus Christi merito fideliũ cordibus infusus, salutem nostram operatur, humanamq. naturam, vitio primi parentis collapsam, donis suis renouat & instaurat. Vt igitur reparationis huius beneficiũ intelligere possimus, hominis quoque lapsum & ruinam paucis antea repetere necesse est. Ab hac igitur exordiũ capientes, reparationis nostrę seriem, & præclarissima Spiritus sancti dona & beneficia in præsenti lectione explicare tentabimus. Vos dignas aures ad summũ hoc & inuisibile Spiritus sancti officium percipiendum adhibere curate: vt argumenti huius dignitati par studium atque discendi auiditas respondeat.

Principiò igitur satis constat, Deum propter immensam & infinitam bonitatem suam in hoc hominem condidisse, vt illum felicitatis suæ (quæ in aperta summi boni visione consistit) participem efficeret. Hæc autem felicitas adeò naturalis & propria Dei est, vt nulli creaturæ, quamlibet excellentissimæ, naturæ vi vllo modo conuenire possit. Cùm enim ea sit naturalis Dei beatitudo, nulli planè conuenire potest, quod diuinitatis propriũ est. Potest tamen pręstare gratia quod non habet natura. Quia verò omnia Dei opera sapientissimè instituta sunt, quoniam naturæ ratio exigit, vt finis, & ea quæ ad finem diriguntur, eiusdem ordinis & rationis existant, necesse erat, vt, quando finis hic supra omnem naturæ facultatem positus erat, vita quoque hominis ad hunc finem destinata non tam humana quàm diuina esset. Hoc enim rationis ordo poscebat, vt, qui ad diuinam beatitudinem cooptatus esset, vitam quoque non humanam (quæ carnis & sanguinis impetu ducitur) sed cælestem atque diuinam viueret. Ad hanc porrò vitam degendam diuina prouidentia instrumenta & auxilia præbuit, quibus se homo supra se attollens, hanc vitam duceret. Vt enim diuus Basilius ait: Simul & condidit naturam, & largitus est gratiam; nec solam gratiam, sed originalem quoque iustitiam. Et à gratia quidem velut à perenni quodam fonte virtutes omnes &

Basilius.

Spiritus

Spiritus ſancti dona mandabant, quibus omnes animæ vires ad præclaras virtutum actiones inſtruebantur & ornabantur, hominesque idonei ad hanc ſupernaturalem vitam degẽdam efficiebantur. Qua de cauſa habitus à Theologis appellantur, ſiue quia habiles nos expeditoſque ad bene operandum reddunt, ſiue quia tanquam habitu quodam animæ noſtræ vires veſtiunt & ornant. Cæterùm originalis iuſtitia hoc præcipuè homini præſtabat, vt quamquam is ex duabus diſſimilibus naturis, altera ſpirituali, altera corporea, conſtaret; inferior tamen ſuperiori ita ſubderetur, vt ne latum quidem vnguem ab eius imperio & præſcriptione recederet: atque ita portio hæc, quæ proximè ad belluarum naturam accedit, in rationalem ſpiritualemque quodammodo tranſiret.

Cùm igitur in hoc feliciſſimo ſtatu ageret homo, inuidia operaq. diaboli ſupra ſe elatus, omnibus donis, quibus in ſuperbiam abuſus fuit, ſpoliatus eſt, nuduſque (vt ſe ipſe poſtea deprehendit) relictus. Quo factum eſt, vt omnes animæ vires, quæ cæleſtibus donis fultæ, ad cæleſtia aſpirabant, ad ima deprimerentur, & à priori illa rectitudine deflecterent. Sicut enim piſces maris aqua marina conſeruantur, à qua extracti palpitare atque deficere incipiunt: ita natura humana, gratiæ atque iuſtitiæ beneficio, integra & pura ſeruabatur; qua per peccatũ deſtituta, corruptioni & exitio obnoxia facta eſt. Ea enim eſt peccati vis & malitia, vt ea omnia, in quæ incubuerit, peſſundet, vaſtet, atque corrũpat. Quod ne cui mirum aut incredibile videatur, exemplum non incommodum ad hoc explicandũ afferam. Referunt non pœnitendæ auctoritatis ſcriptores, Hypanim latiſſimum flumen (de quo Virgilius in Georg. mentionem facit) dulci admodum aqua, & ad potandum commodiſſima, eſſe; in quem tamen vbi fonticulus quidam amarus ex latere vicini montis influit, ingentem illam vim aquarum amaram & ſalſam, & ad potandum inſuauẽ reddit. Hic igitur fonticulus originalis illius labis mihi naturam referre videtur: quandoquidem vnius tantùm hominis lapſus totam generis humani maſſam infecit, & in quouis ſingulari homine corpus & animam, & omnes animæ vires diſſipauit. Nihil igitur in toto hominis regione fuit, quod horrifica illius peccati tabes non inficeret, & de rectitudinis ſuæ ſtatu deduceret. Sed præcipuè tamen duæ illæ principes animæ noſtræ vires, quarũ cęterę imperio parent, nempe intellectus & voluntas, duo grauiſſima vulnera acceperunt. Intellectus enim, qui ſpiritualia atque diuina clarè contuebatur, caligare ad ea cœpit: voluntas verò, quę tota per amorem diuinis rebus intenta erat, ad terreſtria bona deflexit. Portio autem animæ inferior, quæ pleniſſimè ſuperioris obſequio & vo-

Simile.

Simile.

luntati obtemperabat, repudiato eius imperio, sola cœpit dominari, & superiores animæ vires ad explendas cupiditates suas vehementi post se impetu trahere. Quo factum est, vt cùm hic appetitus noster ad naturam pecudum proximè accedat (vtpote nobis cum illis communis) hoc ipso dominãte & veluti clauum tenente, vita ipsa in pecudum naturam moresque degeneraret, atque ita demum impleretur quod ait Propheta: Homo cùm in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Qui enim in maximo honore a Deo constitutus, insolenter se extulit supra se, iusto Dei iudicio deiectus est infra se; vt fieret similis bestijs, qui elato animo ad diuinæ similitudinis gloriam aspirare ausus est. Cuius rei appositissimam nobis imaginẽ exhibet superbus ille Nabuchodonosor Babyloniæ Rex, qui eò vsque elatus fuit, vt diuinos sibi honores voluerit impendi; qui tamen, Deo iniuriam suam vindicante, ita deiectus fuit, vt bestiarum similis fieret, qui Dei similitudinem vsurpare præsumpserat. Dum is enim in aula sua deambulans, superbiæq. spiritu inflatus, inanes de amplitudinis suę maiestate cogitationes volueret, hac cælesti voce correptus est: Tibi dicitur Nabuchodonosor, regnũ tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua; fœnum quasi bos comedes. Quo in loco interpretes aiunt, superbum hunc Regem sub hominis imagine atq. figura cor bestiarum retinuisse. Sic enim dictũ fuerat: Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum. Quod ergo hîc in figura gestũ est, in primo illo homine eiusque posteris impletum cernimus: quorũ multi cùm hominis effigiem habitumq. retineant, more tamẽ pecudũ viuunt. Quemadmodum enim pecudes omnibus in rebus non ratione, qua carent, sed cupiditate & impetu feruntur: ita plerosque hominum videas pecudum ritu non rationis iudicium, sed turbulentos animi motus & cupiditates in omni penè vita sequi, atque pro lege habere. Hoc autem quid aliud est, quàm more pecudum vitam instituere? Pecudum quoq. vnicũ studium est, ea solùm quæ ad corporis vsum & voluptatem pertinent, vbiq. captare; quandoquidẽ eorum natura adeò infima & abiecta est, vt supra hęc assurgere nullo modo possit. Ad hunc autẽ modũ non paucos homines videas, qui quamuis ad cęlestia æternaque bona conditi sint, sic tamen ab hac insita nobilitate degenerarunt, vt pecudũ more se totos carnalibus atque terrenis bonis addixerint, quasi minimè ad eos pertinerent quæ de futuræ vitæ felicitate prædicantur. Hi sunt, qui vocauerũt nomina sua in terris suis, qui recedentes à Deo in terra scripti sunt, qui deniq. vt de terra sunt, ita semper (vt Ioan. ait) de terra loquũtur, hoc est,
qui

Psal. 48.
Nabuchodonosor
Dan. 14.
Simile.
Ioan. 3.

qui omnes curas & cogitationes suas, omniaque vitæ studia ad terrena bona cõtulerunt. Tales igitur homines quid aliud quàm pecudes & iumenta sub imagine hominis existunt? qualis erat superbus ille Rex, qui sub hominis effigie ferinum animum gestabat. Videtis ergo fratres, vnde & quò tandem ceciderit is qui in summo honore à Deo conditus, speciem & imaginem eius referebat? Modò verò comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: imò verò & eisdem longè inferior effectus est: quia quod illa sine vllo suo vitio habent à natura, hic natura ipsa reluctante habet à culpa.

Sed numquid in ęternum proijciet Deus, aut in finem misericordiã suam abscindet? aut obliuiscetur misereri Deus, & continebit in ira sua misericordias suas? Hęc planè misericordia, quæ post euoluta septẽ tempora Nabuchodonosori amissum cum regno sensum restituit, eadem septima hac mũdi ętate, quã Christus Dñs aduentu suo decorauit, ad pristinã dignitatem & gloriam hominem reuocauit. Quemadmodũ enim ab illo Rege cor feræ sublatũ, & cor hominis datum est; ita hodie diuinę pietatis beneficio cor pecudis ab homine tollitur, & nouum cor Spiritu Dei pleuũ donatur. Ad hoc enim hodie Spiritus sanctus in hominũ corda delapsus est, vt, quę instar pecudũ erant, Deo superueniente diuina fierent, carnaliaque in spiritualia verterentur. Vnde sicut Deus olim in hominẽ de limo terræ formatũ, spiraculum vitæ insufflauit, id est, Spiritum sanctũ (sicut Athanasius mysticè interpretatur) ita nũc cùm deformatũ vellet denuo reformare, eundẽ illi Spiritũ tribuit, vt eandẽ illam vitam, quam amiserat, recuperaret; eandemq. Dei imaginẽ & similitudinẽ, ad quam formatus fuerat, referret. Ad quod efficiendũ nihil excogitari poterat conuenientius, quàm vt idem ipse diuinus Spiritus in corda nostra effunderetur: cuius numine & afflatu tales efficeremur, qualis ipse est. Talem enim vnumquemq. esse constat, qualem intra se spiritum gestat. Vnde quemadmodũ spiritus malus similes sibi facit quos inhabitat, nimirum superbos, rebelles, elatos, & in malis obstinatos, ac omni denique malitia, inuidia, & nequitia plenos: sic etiam qui à diuino illo Spiritu aguntur, illiusque vim & numen participant, illius etiam puritatem, benignitatem, & innocentiam (quoad homini fas est) imitari contendunt. Hoc enim ipse quoque à nobis Dominus exigit cùm ait: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Qui igitur ab hoc Spiritu tamquam filij Dei aguntur, iam non more pecudum, nec more item hominum (qui sola ratione fidei lumine destituta ducuntur) vitam degunt, sed diuinam sanctitatem & puritatem in suis moribus exprimere conantur. Hoc enim est quod Ioannes Euangelista, de regeneratis in Christo agens

[Margin notes: Athanas. — Simile. — Leuit. 11. — Ioan. 1.]

agens significauit, cùm dixit: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq. ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hausto enim Spiritu & semine cælesti (quo secunda & noua natiuitate in nouam vitam Filij Dei regenerantur) non affecti-bus & cupiditatibus carnis & sanguinis, non volũtate viri (quæ quamuis ratione dirigatur, ad diuina tamen & supernaturalia non erigitur) sed huius diuini Spiritus ductu & consilio vitam suam dirigunt & moderantur, atque ita diuini quodammodo efficiuntur. Hoc est enim quod ait, Sed ex Deo nati sunt: atque ita Patris sui sanctitatem moribus referunt. Si enim verè Dominus dixit: Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est; ita rectè quoque dici potest, Quod natum est ex Deo, Deus est. Sicut enim Iudam Dominus diabolum nuncupauit, quoniam à diabolo in præceps agebatur: ita dij meritò nuncupantur, qui diuino Spiritu afflati, diuinos mores, quantum possunt, in factis suis adumbrare conantur.

Ibidem.

I.

Sed quoniam paulo antè diximus, principes animæ nostræ vires, nempe intellectum & voluntatem (quarum cæteræ imperio subsunt) maximè læsas per peccatum fuisse: consequens est, vt de earum morbo simul & medicamento (quatenus ad huius diei mysterium attinet) paucis disseramus. Cùm igitur ex his duabus animæ viribus intellectus summum locum teneat (cuius rei gratia illum Aristoteles primo cælorum orbi, à quo cęteri mouentur, comparat) si is erroribus & prauis opinionibus sit imbutus, nihil in actionibus nostris fieri ordine & ratione poterit. Is autem in plerisque hominum sic erat peccati morbo obscuratus, vt vix vlla quàm præsentia & visibilia in malorum aut bonorum numero poneret, &, Iudæorum more, illa solùm fugienda, & hæc appetenda duceret, hisque solùm felicitatem infelicitatemque suam metiretur. Omnes enim homines duce natura flagrant beatæ vitæ desiderio. Beatam porrò vitam malorum omnium depulsione, & bonorum complexione, definiunt. Bona autem ea numerant, quę communis hominum vita sitienter appetit, nẽpe diuitias, voluptates, honores, imperia, vires, pulchritudinem, & reliqua eiusmodi, quæ vel in corpore sita sunt, vel ad illius commodum & oblectationem maxima ex parte referuntur. Humi namque strati, res terrenas admirantur, mentem ab oculorum consuetudine auocare non possunt, nihil intueri queunt, quod non ad corporis obsequium pertineat, omniaque promissa diuina vitæ commodis & terrena felicitate metiuntur. Ad has ergo tenebras discutiendas egebat homo supernaturali quodam lumine, quo intelligeret, inferiora hæc siue bona siue mala, non tam vera bona & mala, quàm

Aristot. Simile.

tenues

tenues quasdam bonorum & malorum vmbras esse: ideoq. neque illa magnopere appetenda, neque hæc summo studio fugienda. Sola verò æterna & inuisibilia bona, & quæ nos ad ea ducunt, esse in pretio habenda; peccatum verò (quod nos ab illis auocat) supra omnia detestandũ. Hoc autem lumẽ potissimùm nobis præstat Spiritus sanctus, de quo Saluator ait: Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnẽ veritatẽ. Rursumq;, Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Iterumq;, Vnctio docebit vos de omnibus. Docet autẽ, non per interualla temporũ & lõgas annorum moras, sed, quemadmodũ Beda dicit, Nulla in discendo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor est. Hinc Eus. Emiss ait: Per Christum redimimur, per Spiritũ verò sanctũ dono sapientię spiritalis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, vt illã sancti Spiritus vocem audire possimus: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris. Hoc autẽ docendi munus Spiritui sancto potissimũ tribuitur, quoniam (vt Apostolus ait) Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim nouit ea quę sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita & quæ Dei sunt, nemo nouit nisi Spiritus Dei. Ad quẽ ergo quę diuina sunt, docere, nisi ad Spiritũ Dei spectat? Ad hoc autẽ efficiendũ, quatuor clarissimis donis suis intellectum hominis perficit & illuminat, nempe dono scientiæ, intellectus, consilij, & sapientiæ, ad quam cætera eius dona ordinantur. Hac igitur ratione intellectus nostri tenebras & obscuritatem ex peccato contractam discutit, pristinumque illi splendorem ad diuina contuenda restituit.

Ioan. 14.

Beda.

Eus. Emi.

Psal. 32.

1. Cor. 2.

Voluntas tamen (cuius erat Deum diuinaque bona diligere) adeò grauiter sauciata, & ab officio suo deducta erat, vt, cùm terrenarum rerum ardentissimo studio flagraret, in Dei amore vsque adeò langueret, vt terrenum illi puluerem, hoc est, terrena omnia bona anteferret. Hanc ego inter omnes humanæ vitæ miserias maximam, maximeque lamentabilem iudico; & quæ apertissimè humanæ naturæ ruinam & morbum declaret. Cùm enim humani corporis membra magis caput suum quàm seipsa diligant, quid, quæso, indignius, quàm vt homo Deum, qui totius mundi huius caput, principium, & finis est, supra omnia non diligat? Præterea cùm voluntas naturali quadam propensione in ea quæ sunt honesta & pulchra feratur; quid indignius, quàm illum super omnia non amare, qui summus totius honestatis & pulchritudinis architectus est? Quid magis deplorandum, quàm quòd cùm cuticula muliebris vultus ficto interdum medicamine decorata, & mendacio honestata, multos homines præ amoris magnitudine propè ad insaniam adegerit, immensa tamen illa diuinæ pulchritudinis species mentem tuam in sui

amorem minimè alliciat? Quid? An non monſtri ſimile eſt, quòd cùm me viliſſimum vermem ſupra omnia diligam, ſummum illud & infinitum bonum propter me contemnam? O verè deplorãdam miſeriam! O ſummum humanę naturæ morbum! quàm multa rerum diſcrimina homines terrenarũ rerum amore incenſi ſubeunt! quibus ſe periculis & laboribus non obijciunt? quę maria non emetiuntur? in quas ſe terrarum oras & ignota littora non conferunt? qui tamen grauiſſimum eſſe onus putant, propter Dei amorem vel vnius diei inediam ſuſtinere. Quas tragœdias non excitant, ſi quicquam vel de opibus eorum, vel de aura & opinione populari illis detrahatur? qui tamen Deum ipſum, inexhauſtum bonorum omnium fontem, nouis quotidie ſceleribus amittentes, nullo prorſus doloris ſenſu tanguntur. Quocirca hanc tantam affectuum noſtrorum peruerſitatem conſideranti mihi, apparet planè internum hominem noſtrum in quandam ſpiritualis paralyſis ægritudinem peccati vitio incidiſſe. Euenit enim aliquando, vt homo ſic hoc morbo corripiatur, vt altera corporis parte integra atque illæſa manente, altera vi morbi oppreſſa, omnis motus & ſenſus expers iaceat. Hinc fit, vt ſi eam, quæ ſana eſt, vel acicula leuiter pungas, acri doloris ſenſu afficiatur; morbida autem, ſi vel ferrum adhibeas & ignem, nihil ſentiat. Idem igitur mihi interno homini noſtro eueniſſe videtur. Cùm enim duplex ſit eius portio, quarum altera ſpiritualia & diuina contuetur, altera verò terrena & ad corporis commodum pertinentia captat; ſic tamen natura per peccatum deprauata & inuerſa fuit, ſic ius ſuum altera eius pars retinuit, altera amiſit, vt inferior hęc portio ea quę ad corporis commodum pertinent, ardentiſſimo amore proſequatur; ſuperior autem illa quæ ſpiritualia & diuina perſequi debebat (quæ tanto flagrantiori ſtudio amplectenda erant, quanto humanis diuina, terrenis cæleſtia, & caducis æterna præſtant) nihili ea faciat, nec illorum iacturis quamlibet maximis perturbetur. Quis igitur hoc indicio nòn apertè videat internum hominem noſtrum grauiſſimo paralyſis morbo correptum; quando altera eius pars quæ terrena reſpicit, ita viuit & viget, altera verò, quæ diuina ſuſpicere deberet, in plerìſque hominum velut ſaxum quoddam immota maneat? Heu miſeriam nunquam ſatis, nec lacrymis quidem Hieremiæ, deploratam! Quàm eſſemus felices, ſi res diuerſa ratione procederet, ſi paralyſis hæc non ſuperiorem animæ partem, qua diuina ſuſpicimus, ſed inferiorem oppreſſiſſet: ſi videlicet ad terrena ſtupidos ac veluti mortuos, ad diuina verò acres ac vigentes ſenſus haberemus! Quam quidem felicitatem ſibi contigiſſe Paulus gloriatur, cùm ſe mundo mortuum, Deo autem

Simile. (margin, beside "minem noſtrum in quandam ſpiritualis paralyſis")
Galat. 2. (margin, beside "contigiſſe Paulus gloriatur")

tem se viuere testatur. Quam eandem benedictio illa Iacobo Patriarchę ab Angelo data adumbrasse videtur, qui, carnis pede claudicante, spiritu sanus & incolumis erat. Gen. 32.

Hanc igitur tantam humanæ naturæ corruptelam miseratus naturæ conditor Dominus, multis antea seculis remedium crebris Prophetarum vaticinijs pollicitus est. Cuius rei extat locupletissimum Ezechielis testimonium, apud quem Dominus hodiernæ solemnitatis mysterium his verbis apertissimè declarat: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Eadem penè verba repetit eiusdem Prophetæ cap. 11. Quid igitur his apertius? Imò quid promitti potuit illustrius? quid magnificentius? In his certè suauissimis verbis totius Euangelicæ philosophiæ summam Dominus complexus est. Tota enim ea hoc præcipuè docet, hoc ante omnia tradit, nempe lapsæ naturæ morbum, eiusdemque medicamentum atque remedium: quod Christus Dominus passionis suæ sacrificio promereri, Spiritus verò sanctus vi atque ope gratię suę pręstare debebat. Quæ omnia paucissimis his verbis cõprehensa sunt. Felices igitur, quibus hoc cæleste donum cõtigit: felices, quorum corda sic emollita atque commutata sunt: felices, qui superata atque proculcata carne, spirituales atque diuini huius Spiritus illapsu effecti sunt. Hoc enim præcipuè diuinus hic Spiritus, mentem hominis inhabitans, operatur, vt quemadmodum Nabuchodonosor (de quo suprà mentionem fecimus) in humana effigie ferinum cor gestabat: ita contrà Spiritus sanctus sub humana forma diuinam mentem homini tribuat, qua diuinæ puritatis sanctitatem & innocentiam imitetur. Quod quidem apertè Paulus in persona sua expressit, cùm ait: Viuo ego, iam nõ ego, viuit verò in me Christus. Hoc erat autem præcipuum & summum medicamentum, quo humanæ naturæ morbus erat sanandus. Parum quidem medici hisce remedijs & fomentis tribuunt, quæ ægris corporibus exteriùs adhibentur. Salutis enim præcipuam spem in ijs ponunt, quæ in ipsa viscera immissa, noxios humores (è quibus tota vis morbi manat) foras egerũt. lex autem hominibus olim data, sacrificia, & sacræ cęremoniæ velut externa quædam medicamenta ægris mentibus adhibita erant, quæ malum, quod in imis visceribus conditum erat, non pellebant. At Spiritus sanctus adueniens, seseque cordibus nostris (in quibus tota morbi vis & peccati fomes hærebat) insinuans,

Ezech 36.

Galat. 2.

Simile.

sinuans, & noxios peccatorum humores foras protrudit, & fomitis ardorem gratiæ suæ rore temperat, & verum ad spiritualia omnia robur confert, atque ita naturam peccati morbo ægram sanat. Hęc est ergo solemnitas, fratres, quam hodie celebramus: in qua videlicet fidelis Dominus in verbis suis hanc hodie veridicam promissionem impleuit, quam ineffabili misericordia sua promisit, quando nobis hodierna die de cælo corporea specie Spiritum suum misit, & in medio nostri posuit: cuius operatione & virtute spiritualem animæ nostræ paralysim sustulit, & lapideum cor nostrum in carneum, hoc est, in tenerum, molle, atque tractabile commutauit: quo videlicet non minùs spiritualibus commodis aut incommodis, quàm cor carneum carnalibus afficeretur, nec minùs illud ad spiritualia, quàm hoc ad corporalia, moueretur. Quod quidem infusæ charitatis munere & benefi-
Rom. 5. cio fit, quæ per Spiritum sanctum nobis donatur, sicut Apostolus ait. Hæc enim charitas facit, vt cor nostrum, quod ad spiritualia atque diuina frigebat, ac penè stupidum & veluti saxeum erat, ardentissimo erga illa amore afficiatur. Aliter enim, quonam modo carnis natura & mens carni immersa, in spiritualium rerum amorem assurgere, nisi hoc Spiritu adiuta, potuisset? Quo amore incensa, protinus quem amiserat, sensum motumque recuperat. Amoris enim est, cæteros quoque affectus & motus animi amorem ipsum cōsequentes post se trahere, atque ita demum vitam nostram rectè constituere, cuius recta constitutio
August. (vt D. Augustinus ait) in amoris ordine sita est.

Quia verò anima nostra carni immersa & in carnis quodammodo naturam versa, ad spiritualia atque diuina bona affici per se minimè poterat, magno Dei munere factum est, vt Spiritus sanctus (qui Patris & Filij amor est, qui charitas est, qui igneus ille fluuius est, qui ab ore Dei procedit) in corda nostra effunderetur, cuius omnipotenti virtute mentes nostræ, quæ ad sola visibilia & corporea bona afficiebantur, in inuisibilium amo-
Simile. rem raperentur. Sicut enim ignis proprium est, quamcumque materiā corripuerit, in ignē vertere: ita Spiritus sanctus, qui, vt diximus, essentialiter amor est, quas mentes occupauerit, in sui
Simile. amorem vehementer incendit. Quid autem mirum hoc pijs hominibus præstare Spiritum sanctum erga diuina, quod aliquando spiritus nequā erga impura & canalia opera efficit? In vita
Hieron. namque beati Hilarionis, quam D. Hieronymus scripsit, nobilis quædam virgo fuisse memoratur quæ dæmonis operā & veneficijs dementata, in vilissimi cuiusdam famuli amorem sic exarsit, vt penè ad insaniam adigeretur. Si igitur potestates illæ aduersæ, quæ hominis mentem & voluntatē attingere nequeunt, ita illam (Deo permittente) perturbare varijs imaginibus possunt,

ſunt, vt in ea repentè depereant quæ anteà deſpiciebant: quid mirum, ſi omnipotens ille Spiritus, qui ipſam hominis mentem contingere, in eaque ſedem ſibi deligere poteſt, eam diuinarum, hoc eſt, præſtantiſſimarum & nobiliſſimarum rerum ardentiſſimo amore incendat? Vtinam nos impedimenta omnia ſubmoueremus: vtinam, ſublatis vitiorum ſordibus, nos illi aditum prę-beremus, & corda noſtra caſta illi & munda tabernacula aptaremus: ipſe enim protinus in ea delapſus, cæleſtiũ rerum amore mirabiliter inflammaret, & terrenarum nobis rerum, quarum anteà amore tenebamur, faſtidium ingeneraret.

II.

Ex hac autem in Deum charitate, fraterna deinde charitas naſcitur: quæ quo Deum amore diligit, eius quoque filios, hoc eſt, omnes homines perinde atque ſeipſum diligit. Quod initio naſcentis Eccleſiæ huius Spiritus beneficio fidelibus contigit, de quibus Lucas ait: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Omnes igitur fideles, quamuis diſſimillimis tum locis tum fortunis & officijs diſcreti ſitis, in vnum tamen Eccleſiæ corpus hoc diuini Spiritus glutino compacti & copulati eſtis. Hoc eſt ergo verum Pentecoſtes feſtum, hoc felix & fauſtum paſcha, quod fidelibus cunctis bene precari debetis, vt videlicet in eos Spiritus ſanctus adueniens, ſic eos charitate deuinciat, vt ſine perſonarum acceptione eodem ſe omnes amore diligant, deque omnibus (quacumque illi fortuna ſint, ſiue ſerui, ſiue liberi; ſiue nobiles, ſiue ignobiles; ſiue Reges & Principes, ſiue infimæ ſortis homines) benè mereri, & in omnes charitatis officia tanquam in ſeipſos impartiri ſtudeant. Proprium namque huius diuini Spiritus eſt, ad vnitatem omnia reuocare, cùm omnibus idem eſſe, nempe ſpirituale atque diuinum tribuat, cuius participatione omnes vnum corpus, vnum cor, & anima vna efficiuntur. Ex hac autem Spiritus vnitate ijdem affectus, eademque ſtudia & opera conſequuntur. Ita fit, vt vno aliquo miſeriam ſuam deflente, cæteri defleant, gaudente gaudeant, dolente doleant, languente langueant, & in peccatũ ruente, cæteri compaſſionis affectu ſibi ruere videantur. Quem quidem affectum illa Pauli verba exprimunt: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?

Act. 4.

2. Cor. 11.

His igitur rationibus Spiritus ille cæleſtis has duas principes animæ noſtræ vires (quarum imperio alię ſubijciuntur) numine ſuo ſanat atque reformat. Quod quidem Eſaias ita futurum vaticinatur, cùm Dominus ſordes filiarum Sion ſe purgaturum promittat in ſpiritu iudicij & ſpiritu ardoris: ſpiritu namq. iudicij ſic intellectum diuinę lucis ſplendore inſtruit & illuminat, vt cæleſtia contueri, & pro dignitate illa æſtimare poſſit, quæ

antea

antea nihil faciebat: quo etiam omnes diaboli fraudes intelligere, & pretiosum à vili, lucem à tenebris secernere sine errore valeat. Et quoniam innumera penè sunt, quæ iuxta iudicij huius leges atque præscripta nos viuere impediunt, ad spiritum iudicij spiritum addidit ardoris, quo Dei amore voluntas incensa, omnia hæc impedimenta superare queat. Sic enim hæc diuina vis intellectum hominis illustrat, sic voluntatem impellit & accendit, sic omnia interiora eius penetrat, sic denique cæteras animæ vires afficit & immutat, vt iam nec intellectus iudicet, quod antè iudicabat; nec voluntas velit, quæ antè volebat; nec memoria recolat, quę recolere antea solita erat; nec oculi videāt, quod antè videbant: antea enim omnia tamquam voluptatis atque curiositatis irritamenta cernebant, modò omnibus in rebus Deum sibi videre videntur.

Quo minùs mirandum est, fratres, si viri sancti hoc Spiritu Dei pleni, adeò magna opera & communem hominū virtutem ac fidem superantia ederēt, cùm hunc tam potentē intra se Spiritum haberēt, qui eos ab omnium terrenarū rerum cupiditate & amore abductos, solo cælestiū rerum amore & contemplatione pascebat. Hinc Socrates in Ecclesiastica historia, sanctum quendā Abbatem fuisse memorat, qui cùm vilissimo pane victitaret, & ab eo quæreretur, cur eo semper pane vesceretur, qui adeò esset vilis & insuauis: Ne, inquit, vlla res sit quæ mihi præter Deum suauis & iucunda sit: in quo vno omnem felicitatem & iucunditatem meam collocaui. Quid ad hoc dicemus, fratres, qui tam longè ab hoc Spiritu & mente distamus? Quis enim nostrûm in rebus diuinis aut talem suauitatem, aut vllam omnino suauitatem percipit? Imò sunt quidam adeò carnalibus delicijs assueti, vt fabulas & somnia esse putent, quidquid nos de spiritualium deliciarum magnitudine prædicamus.

Socrates.

Sed fortè dices, non esse ad salutem necessarium hunc adeò vehementem & insignem spiritum habere, cùm non omnes ad perfectiorem vitam teneantur. Scio planè. Varij enim virtutis gradus, varijque Spiritus sancti effectus sunt. Nullus tamen adeò infirmus est, vt non in eo necesse sit & Deum diligere supra omnia, & peccatum supra omnia detestari: hoc est, vt omnia priùs vitæ discrimina subire, quàm lethale aliquod crimen admittere verè & ex animo parati simus. Hanc enim cunctis fidelibus Dominus legem sanxit cùm dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quid igitur? An ad hoc venit Christus, vt naturæ iura dissolueret, quæ ipse condidit? Nullo modo. Sed hoc tamen nobis insinuare voluit, tantum conditori & salutis

Luc. 14.

nostrę auctori esse tribuendum, vt priùs omnia alia naturę iura, quàm ius illi debitum violandum sit: quod qui non facit, discipulus eius esse non potest. Ergo omnes lex vna cõstrictos tenet, quicunque discipuli Christi esse velint. Hoc autem præstare inter tot mundi laqueos, tot offendicula, tot hominum contumelias & iniurias, totq. in promptu positas ruinarum occasiones, non minorem aliquando virtutem & robur spiritus, quàm maximarum virtutum operatio requirit.

Cæterùm ne quis cùm hanc tantam animi cõstantiam à nobis requiri audit, animum despondeat; ex ijs quæ hactenus dicta sunt, animum resumere, & in spem erigi facilè poterit. Si enim in hoc Spiritus sanctus datus est, vt lapideum cor à nobis auferens, nouum cor, nouam mẽtem, nouam vitam, nouum lumen, nouum dilectionis ignem, nouumq. spiritum & inuictum robur nobis tribuat; quo carnis cupiditate compressa, diuinis legibus obtemperemus: quid mirum, si hoc cælesti Spiritu hausto, cælestem vitam ab omni carnis contagio immunem viuere valeamus? Si enim Deus pro nobis, & intra nos est; quæ nos vis de gradu virtutis & constantiæ depellere queat?

Sit ergo prima cura, fratres, vt hunc cælestem Spiritum hauriamus. Quem quidem hauriemus, si assiduè cum Propheta clamemus; Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Ad hanc autem petitionem idem ipse Spiritus nos adiuuat (ne quicquam sit quod illi non debeamus) qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, nos ipsos hoc ardentissimo studio ad petendum incendit, cùm, mirabili donorum suorum dignitate ante oculos posita, cupiditatem nostram inflammat, sitim acuit, desiderium accendit, atque ita demum gemitibus inenarrabilibus dona sua postulare facit. Hæc igitur postulatio, quę non iners, non segnis, non denique exanguis & arida est (quales pleræque multorum esse solent) numquam vacua redit, sed cælum conscendens, inde nobis Spiritum trahit, clamans cum Propheta: Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderâbam. Hoc igitur affectu & studio petamus, clamemus, pulsemus, & quæramus, fratres, apud cælestem Patrem, qui Spiritum bonum petentibus præbet: vt ipse nos deducat in terram rectam, hoc est, in terram viuentium, vnde mors exulat, dolor abest, cupiditas conquiescit, & sempiterna lætitia deliciarum atque bonorum omnium fructu cumulata perpetuò regnat.

Psal. 50.

Psal. 118.

IN EODEM FESTO PENTECOSTES, CONCIO TERTIA: IN QVA PRIMVM omnia, quæ pijs hominibus ad salutem necessaria sunt, ab vno Spiritu sancto plenissimè donari declaratur. Secundo verò loco varijs quæstionibus ad hoc argumenti genus pertinentibus respondetur.

THEMA. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ioan. 14.



AMILIARE est ijs qui se mutuo amore diligunt, cùm ab inuicem separantur, munusculis atque litteris vltro citroq. datis, intermissam amicitiæ consuetudinem resarcire. Sic enim cùm alter coniugum peregrè profectus, in aliena regione diutiùs commoratur, dilectæ vxori, eximioq. viri amore flagranti, non litteras modò, sed quidquid in ea regione in pretio habetur, mittere solet: quò illius erga se fidem & amorem his mutuæ dilectionis obsidibus excitet & conseruet. Hoc ipsum Ecclesiæ Sponsus Dominus Iesus hodierno die præstitit: qui quò dilectionis erga nos suæ fidem atque constantiam indicaret, neque eam discessu suo à nobis extinctam, aut aliqua in re imminutam ostenderet, Spiritum sanctum è cælesti illa regione in hanc nostram demisit: quo nihil erat in ea pretiosius atque sublimius. Sed hac tamen in re (vt cætera taceantur) doni huius gratia maior est, quòd homines quidem amoris pignora & indicia, non amorem, ad amicos mittere possunt: Christus autem Dominus ipsum ad nos amorem suum, eundemque donum præclarissimum misit. Vtrumque enim, & amoris & summi doni ratio, in Spiritum sanctum cadit. Qua quidem in re non modò vnigeniti Filij Dei, sed etiam summi Patris charitatem in genus hominum agnoscere licet: quando idem non modò Filium antea, sed Spiritum quoque suum ad nos hodie misit. Sicut enim vterque à Patre procedit; ita vterque ex voluntate summi Patris ad nos è cælo missus est. In quo quidem pietatis officio cælestis Pater matris erga infantulos suos affectum nobis exhibuisse videtur: quæ cùm alterum ex vberibus filio sugendum porrexerit, alterum deinde simili charitate præbet.

Sic igitur summus ille Pater, qui plusquam materna erga suos viscera gestat, vbi alterum gratiarum omniũ fontem, nempe Filium suum, nobis propinauit; alterũ hodie exhibet, nempe Spiritum sanctum. Hoc autem (vt D. Tho. interpretatur) magnifica illa Dñi verba significant: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & de vertice ramorũ eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum, & erumpet in germen, & faciet fructum. Cedrus sublimis cælestem Patrem; vertex autem cedri, Vnigenitũ eius qui à Patre procedit; medulla verò intra cedrum condita, Spiritum sanctum designat; qui intimus Patris & Filij amor est. Vtrumq. igitur, verticem scilicet ac medullam, cęlestis Pater in Ecclesię monte plantauit, cùm Filium & Spiritum sanctum in nos è cęlo demisit, vt eorum ope atq. virtute spiritualem atq. diuinã vitam homines in terra degerent, spiritualesq́. ac diuinos bonorum operũ fructus ederent. Qua in re totius beatissimæ Trinitatis solicitudinẽ & curam animaduertere licet; quæ tota in salutis humanæ procuratione occupata est. Pater enim seipsum nobis offert in felicitatis præmiũ: Filius in redemtionis pretium: Spiritus verò sanctus in hęreditatis pignus, & vitę solatium atq. medicamentũ. Qua de re sic D. Aug. ait: Deus misericordia motus, misit Filium suum, quò redimeret seruos: misit etiam Spiritum sanctum, quò seruos adoptaret in filios. Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctũ in priuilegium amoris: se deniq. totum seruat in hęreditatẽ adoptionis. Sic ergo Deus vt pijssimus & misericors, prę desiderio & amore hominis, non solùm sua, verùm etiam seipsum impendit, vt hominem recuperaret non tam sibi, quàm homini. Hæc ille. Vtinam nos, fratres, eo studio quæ ad salutem nostram pertinent, curaremus, quo beatissima illa Trinitas (quę bonorum nostrorum non eget) ex sola bonitate eam iuuare atque promouere satagit. Vt igitur in præsenti concione de hoc summo diuinæ charitatis beneficio dignum aliquid dicere valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

D. Tho. Opusc. de Sacram.

Ezech. 17.

August. in Matth.

AVE MARIA.

Inter varios veterum Philosophorum errores vix vllus perniciosior extitit, quàm eorum qui diuinã prouidentiã impiè (vt ait Plato) & nefariè sustulerũt. Sublata enim prouidentia, vbi nullus apud Deum est bonorum malorumq́ue delectus, quid consequens est, nisi vt (quemadmodum Apostolus ait) in omnem se homines operationem immũditiæ & auaritiæ tradant? Si igitur ita res habet (vt idẽ ait) comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Quisquis igitur diuinam prouidentiã sustulit, virtutem omnem & omne officium è vita hominum eliminauit. Esse autem hunc errorem apertissimum, clamant cælum, terra, mare,

Ephes. 4.

Esaiæ 22.

& omnia quæ cæli ſinu continentur. Qui enim infinitam hanc pulcherrimarum rerum turbam in hominis obſequium cōdidit, naturamq. vniuerſam indefeſſa cura adminiſtrat, quomodo hominum curam abijciat, propter quos non ſolùm tam multa & admiranda ſemel molitus eſt, ſed etiam perpetua adminiſtratione gubernat? Cui enim alteri piſces maris, cui volatilia cæli, cui beſtiæ terræ, cui tot fruges, tot arborum fructus, tot pratorum ſuaue olentes flores, tot frondoſæ ſiluę, tot aromatū & pigmentorū ſpecies, tot medicę herbę, reliquaq. multiplex, varia, atque infinita naturæ ſupellex, niſi hominis obſequio & ſaluti ſeruit? Atque, vt terrena prætercam, in quem alium vſum deſtinatus eſt tantus ille fulgor Solis & Lunæ reliquorumque errantium ſiderum admirabilis in varia & multiplici conuerſione conſtantia, dierum & noctium viciſſitudines, temporumque aptiſſimæ ad moderandā vitam varietates? Quid ipſius cæleſtis naturę tāti motus atque conuerſiones admirabili inter ſe ratione cōcinentes, ad omniū rerum, quę ipſius cæli ſinu cōtinentur, ſtatū atque naturā cōſeruandam? Num parū liquet omnia hęc ad humanę vitæ cōmoditates perpetuò deſeruire? Lunę quippe variæ mutationes, Soliſque ad nos acceſſus atque receſſus, orbiumq. cæleſtium motus, quos ex imperio Domini variæ intelligentiæ orbibus ipſis prępoſitę mouēt, omnium quę in terra mariq. gignuntur, cauſæ exiſtunt. Quæ cùm ita ſint, quonam modo qui tam multa in humanæ vitæ vſum excogitauit, & ſempiterna cura moderatur, hominis prouidētiam abijciet, cui tam multa prouidit? Sed fortè dices: Fateor hæc omnia ad humani corporis curam & prouidētiam pertinere. Quid igitur? An tantam Deus viliſſimæ partis noſtræ curam geret, nobiliſſima noſtri portione, nempe anima rationali, neglecta? Quis hoc mentis compos in animum inducere poſſit: vt videlicet indumenti aliquis diligentiſſimam curam habeat, ipſum verò corpus omnino negligat, & vulnerari atque lacerari ſinat? Quid verò aliud corpus noſtrum quàm animę quodammodo indumentum, aut, quemadmodum
2. Pet. 1. Petrus Apoſtolus vocat, eius tabernaculum eſt? Neq. enim domum appellare voluit, quæ frequēter domino ſuperſtes exiſtit; ſed tabernaculum, quod domino etiam permanente facilè commutatur. Si ergo tam multa & miranda Deus in huius tabernaculi vſum molitus eſt; quid, quæſo propter huius tabernaculi dominum faciet? Abſurdiſſimum enim eſſet, diuinam Sapiētiam maiori ſtudio infima quàm ſumma curare. Si igitur totus hic inferior mundus humano corpori ſeruit, maius aliquid mundo ad ſalutem animæ procurandam deſtinandum erat. Quid verò maius mundo cogitari poteſt, quàm conditor mundi? Hunc ergo animæ noſtræ curam gerere, fateamur neceſſe eſt.

Hoc

Hoc igitur ſummum diuinæ pietatis beneficium feſtis hodie laudibus celebramus, fratres, in quo videlicet Spiritus ſanctus ad hoc tantum munus hominibus præſtandum è cælo delapſus, & in Apoſtolica pectora effuſus, hanc tantam benignitatem & gratiam viſibili etiam ſigno declarare dignatus eſt. Quamuis autem ipſe vnus idemque ſimpliciſſimus ſit, creaturæ autem corporis vſibus deſeruientes innumeræ: is tamen inſtar omnium, imò ſupra omnia eſt. Illas namque plures eſſe neceſſe fuit, quia imperfectæ erant, nec vna aliqua præſtare omnia poterat: at hic qui ſummè perfectus eſt, qui vnus in ſe omnia continet, qui bonorum omnium fons inexhauſtus eſt, vnus tantùm eſſe debuit. Sidera enim ideo multa ſunt, quia, *Simile.* cùm exiguo ſplendore fulgeant, multarum congerie, quod cuique deerat, refici & ſuppleri debuit. Sol autem ideo vnus eſt, quia, cùm ſplendidiſſimus ſit, aliorum ſiderum acceſſione non eget. Idem igitur de conditore noſtro ſentiendum eſt, qui in ſumma naturæ ſuæ ſimplicitate rerum omnium conditarum perfectiones longè perfectiùs continet. Hinc D. Auguſtinus, *Auguſt.* Aurum, inquit, quod tibi eſt, non poteſt eſſe argentum. Vinum quod tibi eſt, non poteſt tibi eſſe panis, Deus verò totus tibi eſt, in eo totum habebis. Hinc idem Auguſtinus, hoc vno *Idem.* ſalutis auctore contentus, ipſum ſolum ſe deſiderare oſtendit his verbis: Nihil, Domine, peto niſi te; quia tu es doctor & doctrina, medicus & medicina, perfector & præparator mentis, amor & amator: tu es donum, tu es dator, vita, & vitæ conſeruator. Quam quidem ſententiam D. Gregorius propoſitis *Gregor.* exemplis confirmat his verbis: Conſidero Patres noui & veteris Teſtamenti, Dauid, Danielem, Amos, Petrum, Paulum, & Matthæum, & apertis oculis fidei intueor. Implet namque Spiritus ſanctus puerum citharœdum, & Pſalmiſtam facit: implet abſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit: implet paſtorem armentarium, & Prophetam facit: implet piſcatorem, & principem Apoſtolorum facit: implet perſecutorem, & Doctorem Gentium facit: implet publicanum, & Euangeliſtam facit. Quàm ergo dementes ſumus, qui hunc Spiritum non quærimus! Cùm igitur rerum omnium perfectiones atque virtutes in Deo ſint, longè meliùs ſola eius cura & prouidentia animæ noſtræ conſultum eſt, quàm ſi infinitam rerum congeriem ad eius curam & obſequium Dominus deſtinaſſet. Hac enim de cauſa Spiritus vnicus & multiplex eſſe dicitur: quia omnium *Sap. 7.* eſt artifex, omnem habens ſcientiam, omnia proſpiciens, & omnia, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, cumulatiſſimè præſtans. Hoc ipſum autem Hieronymus Vidas in hymno teſtatur his verbis:

Nam quicunque tibi se iungit & altiùs hæret,
Teq; habet, omnia habet, nulliusq; indigus vltrà est:
Omnia sunt in te, per te omnia, te omnia ab vno,
Si quid opus, nulli dees: atque omnia omnibus vnus
Sufficis, & te, qui sis omnibus omnia, præbes.

Quid autem mirum, si hæc omnia, quæ ad spiritualis vitæ perfectionem requiruntur, præstat vnus Spiritus sanctus, cùm anima rationalis (quæ verè vnica & simplex forma est) ad functiones omnes, quæ ad naturalem hanc vitam requiruntur, plenissimam vim & facultatẽ præbeat, & tam varias atque multiplices actiones in omnibus tum corporis sensibus, tum ipsius animæ viribus operetur? Quid enim est, quo homo ad hanc cælestem vitam egeat, quod is abundè non tribuat? Si enim luce & rerum diuinarum cognitione indiget, Spiritus veritatis est: si viribus destituitur, virtus & fortitudo est: si ægritudine laborat, medicus & medicamentum est: si doctrina eget, Ecclesiæ atque præcipuè paruulorum magister est: si viæ ducem quærit, certissimus in cælum dux est: si rectore indiget, Rex noster est: si inter hostes periclitatur, defensor & protector noster est: si paruulus & infans est, nutricius & paruulorum pædagogus est: si varijs vitæ huius ærumnis premitur, Paracletus, hoc est, consolator est: si adiutore indiget, adiutor in opportunitatibus & in tribulatione est: atque, vt semel finiam, vnus omnibus omnia est.

Simile.

Quam eius multiplicem virtutem B. Pater Franciscus diu multumq. expertus, tota nocte orans, hanc vnam vocem magno cordis affectu identidem repetebat: Deus meus & omnia, Deus meus & omnia. Verè enim omnia est, qui omnia in omnibus operatur. Hoc autem beati omnes in cælo apertissimè intelligent, quando illa Esaiæ verba proferent: Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.

Esaiæ 26.

Hac autem de causa Spiritus sanctus varia in scripturis sanctis sortitur nomina, vt varia & multiplex eius virtus per ea insinuetur. Appellatur enim Spiritus sapientię, intelligentiæ, consilij, fortitudinis, prudentiæ, religionis, veritatis, libertatis, adoptionis. Fons pręterea perẽnis atq. diuini ardoris incendiũ, ordinis, cõuenientiæ, pulchritudinis, voluptatis effector. His quippe nominibus exprimitur, vt varia eius officia, quæ in fidelium mẽtibus exequitur, intelligeremus. Illius igitur abscessu nec lux, nec vita, nec decus, nec iucunditas vlla reperitur: omnia tenebris obruũtur, pestiferis morbis impediũtur, luctu & mœroris acerbitate conficiuntur. At illius præsenti numine, nouus repentè ornatus exoritur, omniaque læta & collustrata conspicimus.

Galat. 5.

Sed Apostolus tamen, qui hoc cælesti Spiritu plenus erat, multiplices eius fructus enumerat his verbis: Fructus autem

Spiritus, charitas, pax, gaudium, bonitas, &c. Quia verò omnes hos fructus explanare non vacat, trium solùm, qui primo loco positi sunt, vim & efficaciã paucis explanabo. Hi namq. tres indissolubili inter se ordine atque nexu consequũtur. Sublata namque cupiditatis libidine, quę in animi statu turbas efficit, & foras excurrit, vt tumultus excitet, nefariumq. bellum contra societatem generis humani molitur; charitas protinus operâ diuini Spiritus ardẽs existit. Illa autẽ precatio, qua Christus Patrẽ suppliciter orabat (cùm mors illius instaret) vt discipuli illius vnum fierẽt, & studio charitatis illam diuinarũ personarũ coniunctionẽ (quoad liceret) imitarẽtur, idem Spiritus sanctus efficit. Cùm enim multiplici & effrenatæ cupiditati (quæ dissidiorum omnium seminarium est) interitum afferat, & animos cupiditate vnius summi boni vehementer incẽdat: is planè omnem discordiam tollit, & sempiternam pacem conciliat. Quis autem hoc tantum beneficium afferre potest, nisi Spiritus idem totius pacis & vnitatis effector? Ergo cùm seditionis materia tollatur, & idem omnes ardenter expetant, sintq. inter se moribus & vita simillimi, & quilibet in altero sui imaginem mente perspiciat, & arctissimo Spiritus sancti vinculo inter se deuincti sint, ex omnium animis vnus sensus atque voluntas efficitur. Ioan. 17.

Ex huiusmodi verò charitate pax illa, quæ exuperat omnem sensum, consequẽter exoritur, Mens enim ita Deo coniungitur, vt in summa tranquillitate versetur. In illum enim, qui ad hunc modum in Dei tutela atque præsidio latet, nec libidinis importunæ temeritas inuehitur, nec illius animum vllæ pœnæ scelerum persequuntur, nec formidines graui cura sollicitant, nec mundi totius fragor, metusq. ruinæ labefactat, nec intenti vlli terrores & cruciatus de statu conuellũt. Ex his verò tantis bonis gaudium illud nascitur, quod Ioannes Manna absconditum nominat, quod Petrus lætitiam inenarrabilem appellat, quod Dauid torrentem voluptatis esse dicit, quod postremò Christus gaudium stabile atque sempiternum fore prænunciat. Hac Spiritus diuini iucunditate completus animus exultat, tantaque lætitia gestit, vt imperitis interdum desipere videatur. Hac autem ratione idem Spiritus præstat, vt gustu verissimæ voluptatis futiles & inanes facillimè contemnantur, sensu cælestium diuitiarum terrenæ despiciantur, studio gloriæ diuinæ falsi honoris & dignitatis ornamenta respuantur, & mentes studio numinis diuini vehementissimè concitentur.

Ex his autem adeò magnificis Spiritus sancti muneribus & officijs ea beatitudo consurgit, quæ in hac vita inchoata, in altera perficienda est. Quàm varię fuerunt olim Philosophorum de summo bono sententiæ! Alij namq. dignitatem, alij doloris

vacuitatem, alij voluptatem, alij naturę principia ex animi sententia constituta, alij deniq. alias summi boni rationes excogitabant. Ad hęc omnia simul in Spiritus sancti munere & benignitate cōsistunt. Is enim est verissimi decoris, & honestatis, & dignitatis architectus: is animos hominū iucūditate sua ab omni sensu doloris auertit: is naturam animi ad Dei similitudinem facti perfectè cōstituit: is deniq. mentes humanas tanta voluptate perfundit, quantam nulla vbertas orationis explicare dicendo poterit. Ex his autem liquere puto, fratres, quo studio, quo affectu, quaq. animi contentione & ardore hunc cælestem hospitem desiderare, quærere, & continuis à Domino precibus postulare debeamus: vt ad nos veniens, in nobis requiescere, & stabilem in mētibus nostris sedem sibi figere dignetur. Vnde colligimus, sacratissimū hoc festum non huius diei tantùm, sed totius vitæ, atque adeò omnium horarū festum esse. Quoties enim interno aliquo diuini Spiritus motu vel desiderio agitamur, vel spirituali gaudio afficimur, toties linguam nostram in cælestis huius hospitis & Paracleti præconia laxare deberemus.

Secunda pars.

I.

Nunc quoniam de multiplici Spiritus sancti officio & munere diximus, tacitis quibusdam auditorum quæstionibus respondendum est, quò pleniùs huius diei mysterium intelligamus. Primùm enim quæret aliquis, qua ratione Spiritus sanctus piorum mentes inhabitare dicatur, cùm is cælum & terram impleat, & omnibus in rebus insit. Est ille quidem omnibus in rebus; sed hac tamen ratione, quòd vniuscuiusque rei naturam in suo esse naturali conseruet. Cæterùm in anima iusti longè aliter esse dicitur. Non enim contentus animam in esse naturæ conseruare, illam ad esse diuinum cælesti virtute eleuat: dum eam purgat, illuminat, perficit, diuinaq. imagine informat: atque ita diuinę similitudinis & sanctitatis participem facit, & hac ratione ad nobiliorem similitudinem, quæ erit in futura vita, disponit & præparat. Cùm enim causarum omnium sit, similes sibi effectus producere; consequens est, vt Spiritus sanctus, quam inhabitat mentem, spiritualem, sanctam, atque diuinam, hoc est, sui similem atque Deiformem efficiat. Hac igitur singulari ratione Spiritus sanctus in anima iusti esse dicitur; quæ quidē rationalis creaturæ summa dignitas & perfectio est. Deinde quæret aliquis, cur hoc opus Spiritui sancto potissimùm tribuatur, cùm hoc idem Patris & Filij ac totius beatissimæ Trinitatis opus sit. Vt huic igitur quæstioni respondeamus, illud primò statuendum est, externa omnia beatissimæ Trinitatis opera indiuisa esse: omnia enim ibi sunt vnum, vbi-
cumque

cumque non obuiat relationis oppositio. Sciendum præterea, quòd cùm variæ sint diuinæ maiestatis perfectiones & attributa, singulis attributis singula quædã opera accomodare solemus. Diuinæ siquidem omnipotentiæ rerum creatio, prouidentię gubernatio, sapientiæ admirabilis rerum ordo atque dispositio; bonitati verò & charitati rationalis creaturæ sanctificatio tribuitur. Idem igitur Deus omnia quidem in omnibus operatur: sed in ipsis tamen operibus suis aliæ atque aliæ eius virtutes & attributa magis elucent, vt proposita à nobis exempla declarant. Postremò illud etiam animaduertẽdum est, simili penè ratione diuinis personis quædam attribui, quæ alioqui omnibus communia sunt. Patri enim, quoniam diuinitatis principium est, potentia; Filio, quia Patris verbum, & conceptus paternæ mentis est, sapientia; Spiritui verò sancto, qui Patris & Filij amor est, amor & bonitas tribuuntur. Hinc fit, vt omnia diuinæ bonitatis & charitatis opera Spiritui sancto hac ratione potissimùm tribuantur: quæ tamen alioqui personis omnibus communia sunt. Hinc omnia gratiarum munera, omnia spiritualia charismata, omnia Prophetarum eloquia Spiritus sancti munera esse dicuntur: quia omnia hæc immensæ charitatis & bonitatis opera sunt, quibus ad hominum salutem promouendam bonitate & misericordia sua vtitur. Inter quæ opera rationalis creaturæ sanctificationem numerari diximus: quæ planè summam Dei nostri bonitatem charitatemque declarat. Quanta enim bonitas & charitas est, immensam illam & infinitam maiestatem, quæ sedet super Cherubin, quæ ambulat super pennas ventorum, quæ cælum & terram implet, cui millia millium in cælo ministrant Angelorum, sedem sibi in hoc angusto tugurio deligere, & mansionem in eo facere, vilissimique homuncionis curam suscipere, illumque diuinitatis & sanctitatis suæ participem reddere, omnibusque donis suis cumulare voluisse! Qui enim hæc tria diligenter ponderauerit; nempe hominis vilitatem, Dei sublimitatem, & operis huius dignitatem; numquam satis tantam hanc Dei nostri bonitatem & charitatem poterit demirari. His ita constitutis, facilè liquet, qua ratione opus hoc & totius beatissimæ Trinitatis, & Spiritus sancti proprium sit. Vnde quam mentem Spiritus sanctus, eandem tota Trinitas inhabitat, testante Domino, qui ait: Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14.

Tertio deinde loco quęri illud quoque potest, cur post ascensum Domini in cælum, Spiritus sanctus in terram missus sit, cùm potuisset antè demitti. Satis quidem pijs mentibus diuinæ voluntatis consilium pro responsione esse deberet. Non tamen deest quid huic quæstioni respondeamus. Voluit enim hac ratione

tione cælestis Pater ostendere, hoc tam præclarum donum (in quo salutis humanæ summa constituta est) Christo Domino atque Seruatori nostro adscribendum esse. Ipse enim nobis hoc
Ioan. 14. donum precibus suis impetrauit, sicut ipse ait, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Neque precibus solùm, sed multo magis meritis & passionis suæ sacrificio tantum hoc munus nobis promeruit. Huc enim omnes eius labores tendebant, hoc vnum præcipuè captabat, vt meritis suis hæc tanta nobis gratia donaretur. Hinc
Ioan. 7. Ioannes ait: Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Glorificatus autem fuit, non solùm resurrectionis & ascensionis suæ gloria, sed etiam passionis ignominia, qua summi Patris gloriam plenissima illa admissi sceleris humani satisfactione, & admiranda obedientia illustrauit. Ante hoc igitur summum sacrificium & piacularem hostiam, cùm nondum extarent passionis & mortis Christi merita, nondum erat Spiritus sanctus hominibus datus; eâ videlicet plenitudine, qua post illa in mundum effusus est, qui etiam non angustis Iudeæ finibus contineretur, sed in omnes exterarum gentium oras longè lateque diffunderetur, easque ad veræ fidei & diui-
Psal. 21. nitatis cultum aduocaret. Hinc Regius Propheta: Manducauerunt, inquit, & adorauerunt eum omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Pro eo autem quod subditur, Et anima mea illi viuet; in Hebreo habetur, Et anima eius non viuet. Iuxta hanc ergo versionem sensus est, quòd pingues terræ, hoc est, viri potentes & diuites seculi (qui in deliciis & voluptatibus vitam omnem transigebant), cæteræque mundi nationes Christum Dominum adorabunt, seque supplices illi submittent. Cuius submissionis & religionis causam subdit cùm ait: Anima eius non viuet. Quia videlicet animam suam, hoc est, vitam suam pro illorum vita & salute ad
Esaiæ 53. morté obtulit. Quod apertè Esaias testatur, cùm ait: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & vo-
Ibidem. luntas Domini in manu eius dirigetur. Et rursum: Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Quia videlicet ob immensos quos in hac vita propter Patris gloriam pertulit labores, copiosissima gratiarum munera in eos, quos sanguinis sui pretio redemit, effundi videbit.

Sed fortè dices: Quid necesse erat Dominum maiestatis tot laboribus premi, tot suppliciis vexari; cùm quælibet eius actio (propter infinitam diuinæ personæ dignitatem) has tantas opes promereri potuisset? Certè potuisset. verùm ille non hoc tantùm agebat, vt Patrem nobis placatum exhiberet, Spiritumque sanctum in nos demitteret; sed illud etiam, vt tantæ bonitatis osten-

ostensione, tantæq. charitatis exhibitione, tantorumq. dolorum perpessione, ferrea corda nostra emolliret, & ad mutuam amoris vicem reddendam incitaret. Vnde si quis paulo attentiùs Christi Domini vitam consideret, inueniet planè omnia eius opera, miracula, verba, exempla, & beneficia esse ignita quędam iacula, quibus voluntatem nostram amoris sui telo sauciaret, & charitatis igne incenderet. Nouerat enim humani cordis duritiem; quippe qui longè antè per Prophetam dixerat: Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & transgressorem ex vtero vocaui te. Ferreum ergo hominis pectus hoc tantæ charitatis igne molliendum erat. Esaiæ 48.

Vltimo loco de ea specie, in qua Spiritus sanctus venit, agendum est. Venit autem super discipulos in specie vehementis aëris & ignis. Et quidem de aëris significatione in prima concione dictum à nobis est: nunc de igne paucis dicamus, quamuis ea res longiorem tractationem desideret. Magnam quippe philosophandi materiam nobis Spiritus sanctus præbuit, cùm se hac specie hominibus insinuare voluit. Vix enim quicquam in rebus corporeis est, quod varios atque multiplices Spiritus sancti effectus ita significet. Vnde quemadmodum cùm Saluator venerabile corporis sui Sacramentum cibum esse dixit, hoc vno verbo omnia, quæ corporeus cibus in edentibus efficit, sacramentum hoc in piorum mẽtibus efficere designauit: sic cùm Spiritus sanctus sub ignis specie virtutẽ suam declarare voluit, omnia ferè, quæ ad ignis naturam pertinent, sibi etiám spiritualiter conuenire docuit. Vnde sicut ignis incendit, liquat, durat, sursum agitur, & omnia, quæ ei applicita & coniuncta fuerunt, sui similia facere contendit: sic etiam Spiritus sanctus, quam mentem occupauerit, rerum cęlestium amore incendit, dulcedinis suauitate liquefacit, fortitudinis virtute roborat, ad superna eleuat, & sui tandem similem, hoc est spiritualem, sanctam, atque diuinam (quatenus homini licet) efficere conatur. Sed ex his tamen illud præcipuè sumo, quòd ignis cælo proximus atque contiguus, sedem sibi in supera mundi regione delegit. Hoc autem earum mentium, quas Spiritus sanctus inhabitat, maximè proprium est, qui eas, licet carnis põdere ad ima deuergant, potenti tamen virtute sua à terrenis rebus abductas, ad cælestia secum eleuat & attollit. Sicut enim aqua illa quam Samaritanæ Dominus promisit, salit in vitam æternam (vnde eadem profecta est) ita Spiritus hic cælestis eos quoque, quos inhabitat, sic in cælestem patriam subleuat, vt curas omnes, & cogitationes, & studia atque opera ad illam semper dirigant. Simile.

Hinc illud etiam sequitur, vt in omnibus etiam operibus quibus pij homines naturæ necessitati seruiunt (hoc est, quòd comedunt,

comedunt, quòd bibunt, quòd dormiũt, quòd manu sibi victum parant) huc referunt, huc mentis intentione tendunt, vt illi gratificentur & obsequantur, à quo tam ingens bonum se accepturos sperant. Sicut igitur hoc igne incensi, flagrant amore Dei; ita quæcumque faciunt, quæcumque moliuntur, propter illius amorem faciunt, ad illiusq́. gloriam referunt. Hinc Dionysius, Radij, inquit, diuinæ claritatis, qui ad nos vsque demittuntur, rursum ad colligantis Spiritus vnitatem, diuinamq́. simplicitatem nos conuertunt. Qua in re piscatorum artem diuina sapientia imitari videtur; qui hamum filo pendentem in aquarum ima demittunt, vt pisces in imo residentes ad supera trahant. Sic enim Spiritus sanctus, è cælo in terram demissus, terrenos homines secum subuehit in cælum, quamuis illud ad mortem, hoc ad vitam fidelibus tribuendam ordinetur. Ab hac autem intentionis puritate omnia actionum nostrarum merita proficiscuntur: quoniam sapientissimus ille spirituum ponderator in operibus nostris non tam manum, quàm animum, hoc est, non tam externam operis faciem, quàm internam mentis intentionem considerat. O quàm multi in supremo illo examine se delusos deprehendent: quos externa species operum suorum sine vllo diuini numinis respectu edita fefellit! Cuius rei non leue indicium est, quòd illa virtutum opera, quæ aut ignominiæ, aut laboris & doloris aliquid præ se ferre videntur, fugimus, ac detrectamus: ea verò quæ commoditatibus nostris aut gloriæ seruiunt, libenter amplectimur. Quo tempore suspecti nobis esse debemus, an nos ad illa propriæ vtilitatis ratio, an amor diuinitatis impellat. Ad hoc enim præcipuè Spiritus sanctus è cælo in terram missus est, vt mentes nostras à terrenis ad cælestia eleuaret; vt mundo mortui, Deo viuamus, & in terris positi, cælestia amplectamur, illis inhiemus, illorum studio & amore flagremus, nullisq́. propterea in hac vita laboribus parcamus, imò etiam mori propter illa pulcherrimum iudicemus: quo tandem ad plenam eorum possessionem, Spiritu sancto ducente & in via dirigente, peruenire mereamur.

Dionys.

Simile.

IN EODEM FESTO PENTECOSTES,

CONCIO QVARTA: IN QVA DE VARIIS admirandisque Spiritus sancti officijs & effectibus, quos in piorum mentibus operatur, sigillatim differitur.

THEMA. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*
Ioan. 14.



ELEBRAMVS hodie, fratres dilectissimi, aduentum Spiritus sancti. Quis autem pro dignitate hanc tantam gratiam, hoc tantum opus, hoc tam ingens diuinæ pietatis & misericordiæ beneficium poterit explicare? Est enim aduentus hic omnium diuinorum operum, omnium beneficiorum, omniumque spiritualium gratiarum velut finis. Imò verò quicquid in orbe terrarum diuina prouidentia molita est, in hunc præcipuè finem destinauit, vt huius diuini Spiritus participes efficeremur, atque ita in eius sobole censeremur, & eius tandem hæreditatem consequeremur.

Quæ cùm ita sint, duo mihi in hac sacra solemnitate explicanda esse videntur: alterum, quænam sint huius diuini Spiritus officia, quæ in piorum mentibus exequitur: alterum verò, quónam modo eiusdem Spiritus & gratię participes fieri valeamus. Hæc autem duo ita inter se connexa sunt, vt alterum deriuetur ex altero. Quisquis enim prius illud probè tenuerit, viam sibi ad posterius illud consequendum paratam habet. Rectissima enim via ad hunc Spiritum consequendum, ipsius vera cognitio est. Sic enim Saluator ait: Ego rogabo Patrē, & alium Ioan. 14.
Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in ęternum: quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Quia igitur nescit eum, ideo nec accipit eum. Cur ita? Quia nimirum quod non agnoscimus, non magnifacimus: quod non magnifacimus, non admodum concupiscimus: quod non concupiscimus, non studiosè quærimus: quod autem non quærimus, non inuenimus. Vt ergo Spiritum sanctum inueniamus, necesse est vt illum prius agnoscamus. Sed quonam modo? Eo certè quo illum discipuli cognouerunt, quibus protinus Dominus ait: Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, &

in

in vobis erit. Ex eius ergo mansione, & diuina in vobis operatione, illum planè agnoſcetis. Qua quidem cognitione nulla in hac vita nec certior, nec efficacior, nec etiam vtilior eſt. Vt enim nemo mellis dulcedinẽ, aut ignis calorem pleniùs nouit, quàm qui vtriuſque vim experiendo magis quàm audiendo percepit: ita nemo Spiritus ſancti virtutem & efficientiam perfectiùs intelligit, quàm qui illius intra ſe vim frequenter expertus eſt. Huiuſmodi enim cognitio ad Spiritum ſanctum accipiendum mirificè viam munit. non enim ſatis eſt illum ex auditu, aut lectione, aut ſpeculatione noſſe, niſi hac illum ratione cognoſcas.

Simile.

Sed inſtabis forſitan: Si non poſſum recipere Spiritum ſanctum, niſi illum experiendo nouerim; nec hoc modo noſſe poſſum, niſi illum intra me habeam: ergo antequam recipiam Spiritum ſanctum, habere debeo Spiritum ſanctum. Quomodo ergo priùs habendus eſt quàm habeatur? Hanc eandem quæſtionem D. Auguſtinus tractat, verba illa Domini Ioan. 14. enarrans: Si diligitis me, mandata mea ſeruate: & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Sic enim ait: Quomodo hoc in loco Dominus dicit, Spiritum ſanctum ijs eſſe dandum, qui Chriſtum diligant, & mandata eius cuſtodiant: cùm ſine Spiritu ſancto nec Chriſtum diligere, nec eius mandata ſeruare poſſimus? Quomodo ergo diligemus, aut eum accipiemus quem niſi habeamus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata ſeruabimus, vt eum accipiamus, quem niſi accipiamus, mandata eius ſeruare non poſſumus? Reſtat ergo vt intelligamus Spiritum ſanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Itaque iam habebant Spiritum ſanctum diſcipuli, quem Dominus promittebat: nec tamen eum habebant, ſicut Dominus promittebat. Hactenus ille. Ad hunc ergo modum habere intra nos Spiritum ſanctum oportet, vt illum agnoſcamus: ſi autem agnoſcentes, pleniorem ab illo gratiam percipiemus. Multum tamen ad hanc eius cognitionem doctrina valet, quæ torpentem mentem excitat, vt experiri & poſſidere geſtiat, quod tam magnificis titulis & laudibus commendari audit. Hoc igitur in præſenti concione tractare eſt animus: in qua de admirandis huius diuini Spiritus officijs diſſeremus. Vt hoc autem piè atque vtiliter præſtare valeamus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

Auguſt.

AVE MARIA.

Vt vos igitur, fratres dilectiſſimi, huius diuini Spiritus percipiendi atque poſſidendi cupiditate incendam, eius virtutes atque officia (vt modò promiſi) explicare incipiam. Sed quæ

vis

vis orationis hoc consequi dicendo poterit? Oportebat enim vt Spiritus sancti donis plenus esset, quisquis de hac tãta re verba facere debuisset: quò de plenitudine cordis sui eructaret verbum bonum. Sed experiar tamen; & quæ nobis Dominus precibus vestris donauerit, in medium proferam. Adeste ergo nunc animis, & quicumque hunc Spiritum percepistis, vt eius in vos collata beneficia pernoscatis; & quicumque viam mandatorũ eius vt asperam atque difficilem ingredi detrectatis, vt cælestia huius diuini Spiritus auxilia intuentes, inanem istum timorem ex animis vestris depellatis.

Primùm igitur, Spiritus sanctus mentem hominis ingrediens, peccata omnia fugat. Quemadmodum enim adueniente luce, tenebræ diffugiunt: ita Spiritu sancto mentem hominis occupante, peccatorum tenebræ ipsius luce fugatæ euanescunt. Ipse enim est splendidissima lux, & omnium remissio peccatorum. Deinde non contentus peccata omnia eliminasse, & ab æternæ mortis supplicio hominem liberasse, ne iterum in eadem mala relabatur, mentẽ eius spiritualibus armis instruit, & roborat, omniumque donorum suorum ornamentis mirificè decorat. Gratiam enim, hoc est, cælestem formam, & virtutes ab ea dimanantes infundit; quibus intellectum & voluntatem, cæterasque animæ vires munit & armat: idoneasq. & potentes reddit tum ad flagitia omnia repellenda, tum ad omnia virtutis & pietatis opera exequenda. Vnus igitur & quidem simplicissimus Spiritus cùm sit, cumulatissimè tamen omnibus omnia præstat, quæ ad animarum salutem necessaria sunt. Simile.

Sed est aliud Spiritus sancti munus, & id quidem maximè necessarium. Quis enim tot spiritualibus donis & ornamentis atque primus generis humani parens instructus fuit? Quis tot sapientiæ opibus atque Rex Salomon excelluit? Vterque tamen miserabiliter corruit: quoniam donis, quæ & multa & maxima à Deo perceperat, vti piè & sanctè noluit. Ad hoc igitur præcipuè Spiritus sancti præsentia necessaria est, vt nouo quodam munere liberum arbitrium nostrum ita dirigat, ne vmquam diuinis muneribus abutatur, nec ab eorum ductu & præscriptione declinet. Qua de re Eus. Emiss. sic ait: Nunquid prodest si quisquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita ergo Paracletus regeneratis in Christo & consolator & tutor est; ideo dicit sermo diuinus: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Videtis ergo, fratres, nequaquam sufficere custodiam nostram, quò tamdiu à tam multis hostium insidiis ciuitatis nostræ mœnia obsidentibus tueamur; nisi adsit etiã diuini Spiritus custodia atque tutela? Quartum præterea Spiritus sancti

Eus. Emiss. serm. de Spiritu sancto.

Psal. 126.

cti munus & officium est, internis nos motibus ad officia virtutum excitare. Dormitare enim virtutum habitus aliquando videntur, quos Spiritus ille cælestis excitat, & ad operandum inuitat.

Simile. Vt enim quamuis oculos vigentes habeamus, externa tamen luce ad videndum egemus: ita quamuis anima gratiæ virtutumque beneficio sanata, & ad rectè operandum instructa sit, ope tamen & luce diuini Spiritus eget, quo ad rectè operandum incitetur. Hanc enim preclaram philosophandi rationem Diuus

D. Tho. Thom. secutus est. Quia enim idem Spiritus naturæ simul & gratiæ conditor & auctor est: eandem in vtriusque moderatione rationem conseruat. Vt enim in rebus quæ natura constant, non satis est ad functiones operum suorum, quòd suas quæque formas & vires ad operandum habeant, nisi adsit etiam communis eiusdem primæ causæ concursus, qui eas omnes virtute sua moueat: ita non satis est viri iusti animam diuina gratia ceu forma quadam, & virtutum habitibus ceu viribus quibusdam ad bene operandum instructam esse, nisi præstò quoque diuinæ opis auxilium adsit, quod ad bene operandū incitet, & ad supernaturalem finem hominis actiones dirigat. Aliter enim prima causa res omnes ad naturales suos fines, aliter ad supernaturalem finem mouere debet; cùm nobilior effectus nobiliorem in causa sua modum requirat. Hoc igitur tam præclarum munus Spiritus sancti viri iusti mentē inhabitantis propriū est: qui ibidem agēs, non cessat, non dormitat; sed iugi semper afflatu & impulsu ad

D.Tho. bene operādum incēdit. Hinc D. Thom. Christū quidem hu-

Simile. mano capiti, Spiritū verò sanctum cordi similem esse ait. Sicut enim animātis cor occulto & inuisibili motu atque impulsu vitalem calorē, vitalésq. spiritus in omnia corporis membra effundere nunquam intermittit: ita Spiritus sanctus velut corporis huius mystici, hoc est, Ecclesię cor, omnia eius corporis membra, quæ præsertim capiti suo charitatis nexu coniuncta sunt, agitare, incendere, & ad pietatis & honestatis studia incitare non desistit. Quocirca cùm nos sanctis votis atq. desiderijs, pijsq. conatibus agitari sentimus, huic diuino Spiritui gratias agere debemus, qui nos ad vias vitæ & studium immortalitatis incendit.

I.

Sed hæc tamen Spiritus sancti officia omnibus nota sunt. Est aliud longè tum sublimius, tum etiam ad explicandum difficilius, quod Spiritus sancti proprium est, quodque huius diei solemnitatem maximè commendat. Sciendum igitur est, eos omnes qui ad immortalitatis gloriam à Deo cooptati sunt, Spiritus sancti ope atque magisterio indigere: non solùm vt eos, sicut dictum est ad virtutum officia & diuina mandata exequenda inducat, sed etiam vt totum vitæ cursum & viuendi rationes ita

ita moderetur & dirigat, vt omnia, quæ in vita contigerint, eos à contento virtutis studio minimè remorentur. Nescio autem an quod in hac re animo concepi, oratio mea persequi valeat: præsertim cùm paucis huius rei summam comprehendere nequeam: sed pergam tamen (vt potero) explicare quæ sentio. Est vnicuique hominum vitæ genus & conditio eligenda: sunt varij in humana vita status, vt cælibum, coniugatorum, clericorum, & monachorum. Sunt item varia officia, & publicorum & priuatorum hominum: sunt variæ artes, quibus ea, quæ ad vsum vitæ requiruntur, sibi homines parant: sunt item variæ fortunæ seruorum atque liberorum, diuitum & pauperum, nobilium & ignobilium: sunt varia amicorum contubernia, & variarum item studia litterarum: sunt frequenter nauigationes, peregrinationes, & itinera longa peragenda, & variæ regiones adeundæ. In his autem omnibus quis non videt quantum ad animi quietem, ad pacem, ad innocentiam & pietatem cuiusq. referat, hæc aut illa sibi sors vel vitæ, vel officij, vel fortunæ, vel amicitiæ, vel professionis & studij ratio contingat? Ex his namque alia aliis ad laqueum & præcipitium, aliis ad vitã & salutem, occasionem & materiam præbent. Quis autem quid sibi ad propositum cælestis vitæ finem capessendum commodius sit, intelligat: aut id ipsum, quod expedire intellexerit, facilè consequi possit? Nec enim omnia omnibus ad manum & in promptu posita sunt. Verissimè enim dictum est: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes prouidentiæ nostræ. In hac Sap.9. igitur tanta humanæ mentis ignoratione, adest electis omnibus diuini Spiritus prouidentia: quæ ipsis interdum ignorantibus, aut nihil minus cogitantibus, dat operam, vt quæ illis futura sint maximè salutaria, contingant, & eis omnia cooperentur in bonum. Quàm multi monasticam vitam professi seruati sunt, qui, si in seculari vita permansissent, interirent! Contra verò quàm multi sacerdotia, magistratus, & Ecclesiæ dignitates magno suo malo assecuti sunt, qui, si priuatam vitam duxissent, salutem adepti essent! Quàm multis vel confessarius, vel concionator, vel amicus, vel etiam pudica & sancta vxor (quæ veluti casu quodam & sorte, magis quàm electione & cõsilio, contigisse videtur) hoc diuino Spiritu (illis ignorantibus) prouidente, maximo ad studium pietatis adiumento fuerunt; & alia rursum quæ in promptu erant, & nocere grauiter potuissent, eodem Spiritu prospiciente veluti è manibus elapsa sunt! In vtroque autem simul Spiritus sancti beneficium & prouidentia cernitur. Quoties te vel hoc itinere ingressurum, vel in hanc aut illam domum iturum, in qua diaboli insidiæ, aut aliquis tibi laqueus paratus erat, in quem incidere potuisses, cęlestis Spiritus

futurorum præſcius te ab vtroque reuocauit; & aliam viam, aliamque domum veluti caſu quodam, quò periculum euaderes, ingredi inſtigauit? Huius autem beneficij magnitudinem ingens ille Dauidis Regis lapſus & ruina declarat: quē ſi occulto hoc & inuiſibili inſtinctu à deambulando in ſolario domus ſuę Spiritus ſanctus reuocaſſet, nec alienam vxorē ſe ex aduerſo lauantem conſpexiſſet, nec ſe fœdo adulterio & cęde innocentis viri cruentaſſet, nec perpetui luctus ſibi materiam peperiſſet.

Sed quoniam hoc magnum diuinæ prouidentiæ beneficium, maximeque ad ſalutem neceſſarium vobis compertum & exploratum eſſe vellem; propoſitis aliquot rerum corporearum ſimilitudinibus, illud vobis patefacere curabo. Spiritus ergo ſanctus in hoc officio his hominibus, qui exercitum per dubias & inexploratas vias præeuntes ducunt, ſimilis mihi eſſe videtur. Solent enim inſtructæ acies hoſtilem regionem ingreſſæ, (Simile.) cùm aut imparatos hoſtes adoriri, aut vrbem aliquam populari deſtinarunt, peritum itineris ducem ſequi, qui cuncta inſidioſa aut ſuſpecta loca declinare ſciat, & per eas ſemitas deducat, in quibus nullum periculum ſubeuntes, voti tandem compotes fiant. Hoc igitur, fratres, præcipuum Spiritus ſancti munus eſt: cuius præſidio regius Propheta fretus aiebat: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Eundem quoque ipſe Dominus electis ſuis ducatum pollicetur, cùm ait: Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: in igne non combureris. In hodierna quoque ſancti Euangelij lectione, *Non turbetur*, inquit, *cor veſtrum, neque formidet; audiſtis, quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos.* Hoc eſt, ſemper vobis adero, ſemper inuiſam, nec vobis vnquam deero. Quid ergo tali cuſtodia muniti formidare poteritis? Similis eſt item paſtori gregem ſuum per tuta loca ducenti. Huic enim regius Propheta Spiritum ſanctum ſimilem facit cùm ait: Qui regis Iſrael, intende: ſiue (vt alij verterunt) Paſtor Iſrael auſculta: qui deducis velut ouem Ioſeph. (Pſalm. 79.) Sicut enim boni paſtoris eſt, per eos tramites oues ſuas ducere atque deducere, in quibus & læta gramina inuenire, & à ferarum inſidiis liberari, & itineris anfractus & præcipitia deuitare queant: ita ſummus ille paſtor, quas oues in cæleſtes caules adducere deſtinauit, ipſe ſe illis viæ comitem, ipſe paſtorem & protectorem exhibet: qui illis frequenter ignorantibus imminentia pericula & noxia cuncta depellit, & ſalutaria ſubminiſtrat. (Simile.) Moyſes verò Spiritum ſanctum parenti ſimilem facit, qui filiolum per huius vitæ vias difficiles & obſcuras vadentem, manu prehenſum ducit, cùm ait: Portauit te Dominus Deus tuus in omni via per quam ambulaſti, ſicut portare ſolet (Deut. 1.)

pater

pater filium paruulum, donec veniretis ad locum hunc. Sicut enim pater qui per viam cœno, luto, scrobibus, & torrentibus incitatis impeditam graditur, paruulumq. secum filium ducit, oculis diligenter loca omnia collustrat, quibus inoffenso pede paruulus incedere possit: ita planè Spiritus sanctus, cui omnia huius vitæ pericula nota sunt, filios suos sic in via dirigit atque regit, vt ab omni offensione atque ruina incolumes conseruet. Denique idem nobis beneficium præstat, quod ipse gentibus ad fidem vocatis à nobis exhiberi postulat, cùm ait: Transite, transite per portas, præparate viam populo: planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate signum in populos. Eiusdem quoque Spiritus consilio & prouidentia quibusdam firma valetudo & sanitas corporis, quibusdam diuturna, imò & perpetua ægritudo contingit: quòd videlicet hoc vtrisque ad eorũ salutem magis expedire intelligat. Sic aliorum opes & fortunas pro illorum vtilitate cumulat: alios verò paupertate & inopia premi sinit. Aliis simili ratione honores & dignitates tribuit: alijs verò (quòd ita illis expediat) misericorditer subtrahit. Idem quoque interdum charissimos filios matribus, & vxoribus viros immatura morte rapit: quòd futurorum præscius intelligat, immodicum erga illos amoris affectum magno eis ad purum diuinitatis amorẽ impedimento futurũ. Quid quòd aliquando etiam tentari nos à dęmone & grauiter vexari patitur (quod ipsi etiam Paulo contigit) vt hac ratione partim dormientes, longa pace, virtutes exerceat, partim in vera cordis humilitate conseruet? Idem igitur filiorũ suorũ amator Spiritus, qui plusquã paterno affectu nostri curam gerit, nobis etiam ignorantibus quæ nostra sunt curat. Harum autem rerum causas, dum in hac vita degimus, frequenter ignoramus: quas tamen in futura vita ipso Domino tradente agnoscemus: cùm ille nobis, quidquid ad salutem nostram sine nobis molitus fuerit, indicabit; & à quibus nos tum corporis, tum animæ periculis liberauerit, ostendet.

Simile.

Isaiæ 62.

II.

Vt autem hoc in loco aliquid ex theologicis litteris attingamus, quò ea ipsa quæ diximus magis conspicua fiant; sciendum est, ad hoc præcipuè post virtutum habitus Spiritus quoq. sancti dona à Theologis assignari, vt iis mens nostra expedita atq; parata sit: quò à Spiritu sancto ad multa opera (quorum rationes & causas ignoramus) eius instinctu & agitatione moueatur. Non leuis enim inter Theologos disputatio est, quorsum post fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini virtutes, eadem hæc ipsa inter Spiritus sancti quoque dona numerentur; cùm virtutes istæ idem quod dona pręstare posse videantur. Ad quod Diuus Thom. respondet, aliam in mente dispositionem requiri,

vt homo à se ipso ad virtutis actiones moueatur; aliam vt à Spiritu sancto agatur. Motor enim nobilior atque præstantior, nobiliorem quoq; in mobili dispositionem exigit. Alius enim ensis puero, alius viro, aut etiam giganti preparandus & accommodandus est. Donis igitur ad singulares Spiritus sancti motus disponimur, virtutibus autem ad communia virtutum officia præparamur. Tunc enim à Spiritu sancto agi dicimur, partim cùm supra ea, quæ facultatem nostram superant, ope eius assurgimus: partim cùm ad ea opera eius instinctu excitamur, quorum causas & rationes non agnoscimus.

Simile.

Hoc autem Spiritus sancti magisterium non modò in virtutum officiis, sed in omnibus quoque humanæ vitæ negotiis ad salutem dirigendis potissimùm cernitur. Quid enim homini contingere in vita possit, quod non aliqua ratione animæ saluti vel cōmodare vel incommodare possit? Non est autem humani iudicij cunctis etiam virtutibus instructi, in hisce rebus, quarum commoditas ex futuris euentibus frequenter pendet, quid commodum futurum sit, eligere; & quid incommodū, declinare. Ad hæc igitur, quæ humanę mētis vim & facultatem superāt, prestò electis omnibus Spiritus sanctus adest: qui cū nulli animantiū in necessariis ad naturæ conseruationem desit, multo minùs electis suis deerit, quos ad immortalis vitæ gloriam destinauit. Hoc enim duce quilibet eorum cum Propheta ad Dominum clamat: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Psal. 142.

Hæc sunt, fratres, officia, quæ cælestis hic Spiritus inuisibili afflatu suo in electorum mentibus operatur. quibus hominem, prioris natiuitatis vitio ad bestiarum naturam degenerantem, ad priorem illam amicitiæ dignitatem reuocauit, imò & altiùs sustulit. Vt enim Guerricus Abbas ait: Sublimiùs restituit lapsos redemptio, quàm constituerat prima creatio. Quid igitur hic primùm dicam? quid primùm mirer? An hanc tantam Dei largitatem & bonitatem, qui se totum commodis nostris impendit, & diuitiarum suarum thesauros, quos tam diu in cælo reconditos habuerat, in nos effudit: an summam ignauiam & ingratitudinem nostram, qui nec pro tantis illis beneficiis gratias agimus, nec his tantis vitæ nostræ remediis vti volumus, nec erga hunc salutis nostrę auctorem amore flagramus, nec talem intra nos hospitem, gubernatorem, tutorem, & magistrum habere curamus? O deplorandam hominū cæcitatem & amentiam! ó perpetuis laudibus celebrandam Dei erga genus hominum misericordiam! ó Deum, vt idem ait Guerircus (si fas est dicere) prodigum sui, præ desiderio hominis! Ea enim est humanæ mentis ingratitudo atque peruersitas, vt dubitari meritò possit, vter in hac parte effusior (vt ita dixerim) sit, homo

Guerric.

Idem.

ne ad

ne ad suum sibi exitium comparandum, an Deus ad salutaria illi remedia prouidenda? Si enim diligenter hominum vitam inspicias, inuenies vtique plerosque ipsorum præcipiti cursu ad interitum tendere; in hoc vnum incumbere, hoc ferè moliri, vt omnia, quæ illis ad salutem data sunt, peruertant & in arma iniquitatis conuertant. In hoc vnum vitam, in hoc vires animi, in hoc opes, ingenium, conatus denique omnes, & omnia vitæ studia consumunt. His namque omnibus, quæ salutis instrumenta erant, ad perditionis suæ materiam abutuntur. Hac igitur ratione plerique hominum in perniciem suam præcipites ruunt. Contrà verò Deus liberalissimum ac penè prodigum se in eam gentem exhibet, quæ tanto studio sibi perniciem machinatur, & salutis suę auctorē tot modis offendit. Ita fit, vt, quisquis hanc vtriusq. partis contentionem attentiùs fuerit cōtemplatus, inueniet planè duas potentissimas factiones: alteram quidem Dei summo studio salutē nostram procurantis; alteram hominis in interitum suū toto impetu ruentis. Ille nos ad vitam reuocare contendit, nos manibus nostris mortē nobis accersere conamur: ille nos ad iustitiam & pietatem vocat, nos impetu cęco & furibundo ad impietatem & iniustitiam rapimur. Sicut autem (vt idem auctor ait) nullum esse spectaculum iucundius potest, quàm hodierno die Spiritum sanctum è cęlo descēdentem intueri, & visibilibus signis, quid in mentibus fidelium efficiat, ostendere: ita nullum tetrius atque funestius, quàm hominem cernere sibi ipsi perniciem inferentem, diuino Spiritui resistentem, nihilque tot diuinis muneribus proficientem. Idem.

III.

Ex his ergo apertè liquet, hanc tantam diuinæ largitatis abūdantiam, non solùm spei, sed magnam etiā timoris occasionem nobis præbere. Quis enim nesciat maxima beneficia parē animi gratitudinem exigere, maximaque neglecta remedia inexcusabilem prorsus causam improborum facere? Ita fit, vt spretæ medicinæ culpa ingrati animi vitio cumuletur. Quam sententiam apertissimis iisdemque maximè formidandis exemplis comprobabo. Constat planè ex litteris sanctis, Hebræos, cùm in Aegypto essent, Aegyptiorum idola coluisse. In quos tamen nunquam Dominus propter hoc execrandum scelus animaduertit. Verùm vbi eos ab illa seruitute tot signis editis liberauit, vbi se illis viæ ducem præbuit, vbi legem dedit, vbi tam multis eos beneficiis prosecutus est, grauissimas de illis pœnas, cùm delinquerent, sumpsit. Cùm enim aureum vitulum adorassent, præter stragem illam quam Moyses in populo Leuitis famulantibus edidit, ab ipso quoque Domino pro eo crimine percussi sunt. Cùm verò idolo Phegor immolarunt, iussu Ad timorē ex ante dictis incitamur.

Domini hominum viginti quinque millia vno die cæsa sunt. Cùm verò de expugnanda terra sibi promissa diffisi, in Aegyptum regredi statuebant; quadraginta annorum exilio multati, & immatura morte sublati, acerbissimas diffidentiæ suæ pœnas dederunt. Videtis ergo, fratres, quid diuinorum beneficiorum magnitudo pariat; nempe piis salutem & vitam, improbis autem eorum vitio pestem & exitium. At quanto maiora in nos beneficia collata sunt! Quis hoc verbis explicare queat? Quamuis enim tam magna illis beneficia præstita sint, non tamen iis ad pietatem & iustitiam eruditi fuerũt. Sic enim ad illos Moyses ait: Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, tentationes magnas quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes; & aures quæ possint audire vsque in præsentem diem. At nobis hodie & oculi, & aures, & cor intelligens datum est: cùm Spiritus ille cælestis, qui omnium est artifex, omnem habens scientiam, & omnia prospiciens, in corda fidelium demissus, omnes illorum sensus rerum cælestium cognitione instruxit. Si ergo tot illi pœnas dederunt, qui sola ferè corporalia beneficia perceperant; quid nos timere par est, qui tanto maiora Dei dona recepimus: quid non ab Aegypto, sed à gehenna liberati: qui non legem lapideis tabulis incisam, sed in visceribus scriptam accepimus: qui non legislatorem Moysem, sed vnicum Dei Filium redemptorem, & Spiritum sanctum legislatorem & viæducem nacti sumus? Hæc, fratres, maxima iustissimi timoris, & solicitudinis nostrę causa: hæc præcipua in extremo iudicio reddendæ rationis materia. Quo enim magnificentior gratia, maioribusque Christi laboribus parta; hoc acerbiùs punientur, qui, ne vel minimam operam ponerent, hoc tantum remedium vltrò oblatum repudiarunt. Hoc est igitur iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, vanitatem quàm veritatem, mortem quàm vitam, seruitutem quàm libertatem, intestinum bellum & seditionem, quàm internam quietem & pacem; magisque inter diaboli mancipia, quàm inter Dei filios numerari; ac magis denique cum summis laboribus ad æterna supplicia, quàm cum gaudio & iucunditate ad æternam peruenire lætitiam voluerunt.

Ioan. 3.

Præparatio ad recipiendũ Spiritum sanctum.

Quòd si à me quisquam requirat, qua ratione hoc ingens periculum declinare, & tantorum donorum, quæ secum Spiritus sanctus attulit, particeps effici queat; vna est ad hæc duo responsio, vt videlicet mentem suam, ab immoderato terrenarum rerum amore auulsam, ad cęlestia traducere studeat. Aliter enim nequa-

nequaquam Spiritus ille cælestis mentem terrenarum rerum sordibus & amore pollutam inhabitare dignabitur. Cùm enim præcipuum eius officium sit, mentem ad sublimia attollere, & cælestium rerum amore incendere; fieri non potest, vt quisquam simul sit & ad terrena per amorem depressus, & in cælum mẽte sublatus; cùm hæc duo sibi inuicem aduersentur. Hinc D. Gregorius, Seculares, inquit, mentes quantum se foris per desideria dilatãt, tantum ad receptionem Spiritus sancti sinum cordis angustant. Idem quoque D. Basilius testatur: à quo cùm quæsitum esset, qua ratione quis sic mentem suam præparare posset, vt hospite Spiritu sancto dignus haberetur, respondit: Quàm diu mandata Domini non seruamus, nec tales sumus vt de nobis ille testificans dicat, Vos de hoc mundo non estis; nequaquam debere nos expectare, vt Spiritu sancto digni efficiamur. Mundi autem nomine sancti Patres intelligunt non illos quibus multum ex opibus suis tribuit mundus, sed qui multum ex eo habere concupiscunt. Hoc est, non tam eos qui mundi opibus abundant, quàm qui arctissimo amoris glutino cum illo copulati sunt. Temperatus quippe terrenorum bonorum amor, quem non cupiditas, sed necessitas moderatur, innoxius est; immoderatus autem & extra præfixos sibi à Deo fines exundãs & mentem obruit, & Spiritui sancto aditum intercludit. Hac autem de causa communis generis humani hostis non solùm ad maleficia, sed interdum etiam multo magis ad immoderatum terrenorum bonorum amorem homines allicere contendit. Illud enim est quasi aperto marte pugnare: hoc autem, secretis cuniculis & insidiis (quæ nihil mali præ se ferre videntur) incautas hominum mentes adoriri. Hoc enim amore, in quo nihil esse mali apparet, nimium vigente, facile est quauis oblata occasione in quoduis flagitium homines ruere. Sicut venator insequens feram, non tam illam manibus prehendere, quàm sagittis configere studet (his enim vulnerata in illius tandem potestatem veniet) ita callidus ille animarum venator satis sibi esse putat, si animarum iecur immoderato terrenarum rerũ amore sauciet: sic enim vulnerata mens, & ad terrena deflexa, in quæuis scelera facilè dilabitur: dummodo id assequatur quod immoderato amore complectitur.

Gregor.

Basilius.

Simile.

Quòd si quis vestrûm hanc esse rem maximè difficilem causetur, videlicet ab immodico rerum præsentium amore animum vindicare, quarum speciem oculis vsurpamus, quarum fructu pascimur, quarum dulcedine oblectamur, & sine quarum vsu vitam minimè sustentamus: huic ego respondebo; non hanc vnã rem modò, sed omnia quæ litteris Euangelicis continentur, hominibus seculi amore deuinctis, & vtilitatis aut voluptatis

fructu omnia metientibus, asperrima atque difficillima esse. Omnia enim eò tendunt, vt nos ab amore seculi abductos ad cœlestia desideria traducant. Cæterùm iis qui se supplices Deo submittunt, qui assiduis precibus eius Spiritum & gratiam efflagitant, quiq; omni mente sese ad diuinæ legis studium & obedientiam applicant, hæc omnia adeò sunt facilia atque suauia,
Psal. 118. vt cum Propheta verè dicere possint: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.

Ne tamen imbecillas mentes desperatione frangam, rem ad planiora deducam. Quibus ergo idem studium, idemque ardor non est, satis erit ab omni lethali crimine puram mentem
Sap. 1. conseruare: quò in eas Spiritus sanctus ingredi, & mansionem facere dignetur. Aliàs enim in maleuolam animam non in-
Gregor. troibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Hinc D. Gregor. Tergat, inquit, sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis. In cuius rei typum in lege olim Dominus hoc sacro die nouarum frugum sibi oblationem offerri præcipiebat: quò fidelibus insinuaret, purgandam esse ab om-
Psalm. 50. ni peccati vetustate mentem, quæ Spiritum sanctum intra se recipere velit. Quam quidem animi renouationem Dauid post lapsum à Domino petebat, cùm diceret: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Sic enim innouatus, & ab omni prioris vitæ vetustate purgatus, petit protinus Spiritu principali confirmari: ne vlla tentationum vis infirmum adhuc & nutantem animum de gradu virtutis & innocentiæ depellat. Hac igitur ratione, fratres, mentem nostram purgare studeamus: quò hunc cœlestem Spiritum, salutis nostræ auctorem, & gratiæ simul & gloriæ largitorem percipere mereamur.

Ad Lectorem.



N concionibus, quæ de altissimæ Trinitatis mysterio vulgò haberi solent, candide Lector, quidam adeò huius mysterij altitudinē refugiunt, vt ne verbum quidem de eo facere audeant: alij contrà abditissima quæque, & ex intimis Theologiæ penetralibus deprompta (quorum nihil auditores intelligant) illis proponunt. Nos media quadam inter vtrosque via processimus. Neque enim à mysterij huius tractatione abstinuimus, & ea tamen diximus quæ rudes etiam auditores si non penitus intelligere, certè probare, & aliquatenus intelligere valeant. Nec de solo beatissimæ Trinitatis mysterio, sed de diuinis quoque laudibus, & perfectionibus nonnulla perstrinximus. Vtraque verò quantum argumenti ratio pati potuit, ad mores accommodaui-

mus,



mus, sine qua cura frustrà ad populum conciones habentur. In prima igitur concione, Deum esse euidenti ratione probamus: deinde verò de diuinarum personarum processione disserimus. In secunda autem, idem mysterium variis similitudinibus ad captum populi accommodatis explicamus. In tertia, de diuinis perfectionibus, quæ ex eius nomine, Qui est, *naturali rationis lumine intelliguntur, atque de eodem beatissimæ Trinitatis mysterio disserimus. In quarta prima loco de diuinæ naturæ vnitate agitur: secundo verò æternæ Filij Dei generatio partim sanctarum litterarum, partim etiam insignium aliquot Philosophorum testimoniis comprobatur. In quinta primùm de incomprehensibili diuinitatis natura tractatur: deinde diuinarum personarum pluralitas, non scripturarum testimoniis, sed topicis aliquot rationibus comprobatur: ac postremò, magnam felicitatis humanæ partem in huius mysterij contemplatione positam esse declaratur. Vbique autem (quod in hoc argumenti genere præcipuum videbatur) rationes assignamus, cur mirari homines non debeant, quòd huius mysterij intelligentiam non attingant, cùm & diuinitatis natura altissima & incomprehensibilis, & hominis ratio obtusa, & ad spiritualium rerum intelligentiam minùs idonea sit.*

IN FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO PRIMA: IN QVA PRIMVM Deum esse euidenti ratione probatur: deinde quomodo is in personis trinus sit, exponitur.

THEMA. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. vltimo.



INTER omnia Christianæ religionis dogmata, quæ fidelibus credenda proponuntur, principem locum beatissimæ Trinitatis mysterium obtinere, nemo est qui nesciat. Quamuis autem eorum dogmatum veritas fide potiùs, quàm rationis lumine nitatur, in hoc tamen beatissimæ Trinitatis mysterio (quod sublimitate sua omnem humanæ mentis intelligentiam superat) tanto magis fides locum habet, quanto minùs illud humana ratio comprehendere potest. Pro summa enim ratione homini pio fides est: quæ Deo reuelanti sine vlla rationis attestatione firmissimum præbet assensum. Est enim fides

Hebr. 11. (vt Apost. definiuit) sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Hoc est, fides est fundamentum, cui spes rerum cælestium innititur. Nemo enim sperat, nisi quæ futura esse credit. Itaque fides spei nostræ velut basis & fundamẽtum est. Est etiam argumentum non apparentium, hoc est, fidei lumen, à Deo mentibus nostris infusum, argumenti vice nobis est: quod sine vllo humanæ rationis argumento, multo firmiùs & certiùs assentire nos facit iis quæ à Deo tradita sunt, quàm omnis humana ratio efficere potuisset. Longè enim certius habendum est quod diuina veritas testatur, quàm quod Mathematica demonstratione concluditur.

Nemo autem miretur, si fidei lumine atque adiumento in rebus diuinis vtimur, quando ne ipsa quidem hominum societas sine humanæ fidei adminiculo stare posset. Hac enim ratione D. August. se à Deo velut manu ductum ad percipiẽdam fidem his verbis docet: Tu, Domine, paulatim manu mitissima cor meum tractabas. Considerabam enim, quàm multa crederem quæ non videram, neque cùm gererentur affuissem. Sic tam multa sunt in historia Gentium, tam multa de locis atque vrbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis credideram, quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus: postremò quàm inconcussa fide fixum retinerem, de quibus parentibus ortus essem; quod scire non possem, nisi audiendo credidissem. Hactenus August. Ex cuius verbis apertè colligimus, quàm sit rationi consentaneum, vt sine rationis argumentatione Deo fidem habeamus, quando & hominibus etiam sine illa assensum præbemus. Rectè ergo Euangelista Ioannes argumentatur, Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quod testificatus est de Filio suo; Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: hoc est, Deum habet fidei suæ testem: cuius veritas omni alia veritate certior est. Pythagoras Philosophus (vt multi auctores memoriæ prodiderunt) sic discipulos suos instituebat, vt toto septennio iuxta septem artium liberalium numerum, de iis quæ ab eo dicerentur, minimè rationem quærerent, sed magistri verbis fidem adhiberent, quousque omnia audiuissent. Vnde illud etiam inter eosdem discipulos manauit, vt, alio rationem ab alio petente, pro ratione afferret: Ipse dixit. Fide ergo primùm eruditissimus Philosophus discipulos suos ad magnarum rerum intelligentiam præparabat, priùs credere, deinde intelligere oportere docens. An non igitur hanc eandem docendi rationem tradere Propheta voluit, cùm dixit, Si non credideritis, non intelligetis? Hac igitur fidei simplicitate, fratres, de altissima diuinitatis atque

[Margin notes: August. Confess. lib. 6. — 1. Ioan. 3. — Esaiæ 7.]

atque indiuiduæ Trinitatis natura dicere aliquid incipiamus: quò ad aliquam huius mysterij intelligentiam fidei ductu peruenire valeamus. Vt enim Chrysost. ait, Fidei maximè proprium est, rationes eorum, quæ fiunt, non inquirere, sed obtemperare præscriptis. Vt igitur hac religione de altissimo hoc mysterio disserere possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus. Chrysost.

AVE MARIA.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. His quidem verbis, fratres, totius summæ & adorandæ Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis mysterium adeò apertè declaratur, vt non aliis argumentis vel testimoniis ad huius fidei veritatem inconcussè retinendam nobis opus sit, vt auctor est Diuus Hilarius. Nam primùm baptizandi nomine peccatorum ablutio, & rationalis animæ sanctificatio, & diuinæ agnationis, hoc est, diuinæ naturæ participatio significatur. Quod planè non alicuius creaturæ, sed solius diuinitatis opus est. Hoc autem Apostolus non obscurè insinuauit, cùm inanem Corinthiorum gloriam (qua de doctorum suorum dignitate tumebant) reprimere volens ait; Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quod perinde est, ac si diceret: In eo solùm iure gloriari debetis, qui vobis morte sua vitam contulit, & cuius omnipotenti virtute baptismi gratiam, hoc est, peccatorum veniam, & ius hæreditatis æternæ adepti estis. Hoc autem neque Paulus, neque Petrus, neque Apollo, nec vlla omnino creatura auctoritate propria, nisi omnipotẽs Dei virtus donare potest. Illius quippe solùm est, offensam remittere, qui offensus est. Quoties autem peccamus, Dei præcipuè maiestatem violamus. Hoc ipsum autem Pharisæi etiam intellexerunt; qui cùm Dominum Saluatorem peccata cuidam paralytico remittentem viderent, ipsum blasphemare dixerunt. Quis enim, inquiunt, potest peccata remittere, nisi solus Deus? Peccatorum quippe remissioni sanctificatio nostra adiuncta est: quam solus Deus præstare potest. Si enim (vt Diuus August. ait) melius ac nobilius est bonum esse, quàm simpliciter esse: si solus Deus conferre mihi potest vt sim, quomodo alius à Deo donare mihi potest, vt bonus sim: hoc est, vt verè iustus ante Deum & sanctus sim? Cùm igitur solus Deus tanti huius operis auctor sit, & hoc ipsum opus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fieri dicatur, constat planè, his verbis supernæ diuinitatis maiestatem significari: in qua & diuinarum personarum distinctio, & naturæ vnitas non obscurè declaratur. Cùm enim cælestis magister Patrem, & Filium,

Hilarius.

1. Cor. 1.

Filium, & Spiritũ sanctũ nominat, tres diuinas personas apertè designat. Quod verò non in nominibus multitudinis numero, sed in nomine, ait, naturæ vnitatem in tribus personis insinuauit. Hoc est igitur mysterium, quod nobis hodie ab Ecclesia celebrandum, adorandum, atque explicandum proponitur. De quo duo mihi tractanda esse videntur. Primò quidem (quod cætera antecedit) Deum esse, rationibus etiam demonstrandum est. Deinde verò diuinarum personarum Trinitas (quatenus ruditati atque infantiæ nostræ conceditur) exponenda est.

Quia in re illud ante omnia curandum, vt summa religione & pietate de hoc tanto mysterio differamus. Quod quidem non modò sancti Doctores, sed Ethnici quoque Philosophi admonent. Hinc Cicero, Homini, inquit, timidè de potestate Deorum, & pauca dicenda sunt. Seneca verò Aristotelem eadẽ prædicantem citat his verbis: Egregiè Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cùm de Diis agitur. Si intramus templa compositi; si ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam adducimus; si in omne argumentum modestiæ fingimur: quanto magis hoc facere debemus, cùm de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temerè, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Hactenus ille. Si ergo hoc Ethnici Philosophi sentiebant, qui tam obscuram de diuinitatis maiestate cognitionem habuerunt; quid nos facere par est, quibus tanto ampliorem & illustriorem de ea cognitionem Catholica fides tribuit? Hac igitur animi submissione & reuerentia, quæ proposuimus tractare incipiamus.

Cicero.

Seneca.

Et quidem prima illa quæstio, an Deus sit, superuacanea forsitan quibusdam esse videbitur. Sed nequaquam ita est. Multi enim inter ipsos etiam fideles sunt, quibus Propheticum illud conuenire videtur: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Quomodo, inquis, hoc dicunt? Certè quia (vt Apostolus ait) confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hoc est, non quidem verbis, sed moribus & vitæ ratione Deum esse inficiantur: quandoquidem adeò sceleratè viuunt, ac si nullum in mundo numen, nullamque prouidentiam esse crederent. Multi namque sunt, qui sic se in omnia flagitiorum genera effundunt, sic cupiditatibus cunctis omnes intemperantiæ habenas laxant, sic cælestium rerum prorsus obliti in terra defixi iacent, sic omnia diuinæ legis præcepta sine vllo doloris sensu violant, ac si nullum in mundo numen esse crederent. Nihil enim minus faciunt hæc ipsa credentes, quàm si omnino non crederent. Et quamuis qui ita viuunt, veram fidem habeant; tot tamen illam terrenarum cupiditatum vmbris obscurarunt, quot lethifera

Psalm. 13.
Tit. 1.

peccata

peccata commiserunt. Vnumquodque enim lethale peccatum eius luminis vim hebetat & obfuscat, quamuis non prorsus extinguat. Vt enim singula quæ admittimus peccata, arbitrij libertatem (quod ad operandi facilitatem & promptitudinem attinet) minuere dicuntur, quamuis non prorsus adimant: ita eadem peccata fidei splendorem magis ac magis obscurant, quamuis non penitus deleant. Quo fit, vt homo his malorum suorum tenebris circumfusus, præcipitia sibi ante oculos obiecta non videat, atque in illa passim corruat. Quin etiam peccandi assiduitate eò interdum rapitur, vt à Diabolo varijs fidei tentationibus infestetur, & an sit numen aliquod, cuius prouidentia mundus regatur, dubitare incipiat. Qua de re D. Greg. verba illa S. Iob enarrans; Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? sic ait: Mens humana malè exteriùs fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, vt neque ad semetipsam intus redeat, neque eum, qui est inuisibilis, cogitare sufficiat. Vnde carnales viri, iussa spiritualia contemnentes, Deum quem corporaliter non vident, quandoque ad hoc perueniunt, vt neque etiam esse suspicentur. Vnde apud Iob dicunt: Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? Horum igitur & aliorum, quos retulimus causa, commodum erit, vt non fide solùm, sed apertissimis etiam rationibus, quas D. Thom. initio statim summæ Theologiæ affert, Deum esse ostendamus.

Gregor. Iob. 21.

S. Thom.

I.

Principiò, quid Dei nomine homines intelligere soleant, explicandum est. Si quis autem hoc à cunctis hominibus inquirat, vno ore respondebunt, hoc se nomine intelligere vniuersitatis huius moderatorem ac principem, seculorum Regem, rerum omnium principium atque finem, primum ens, primum motorem, primam veritatem, primam causam, à qua cæteræ deinceps causę pendeant: ac postremò Dei nomine id intelligunt, quo nihil maius aut melius cogitari possit. Hoc autem diuinum numen in mundo esse, à quo omnia pendeant, cùm ipse à nullo pendeat, hac ratione D. Thom. ostendit: In rebus omnibus dignitatis & nobilitatis gradus atq. ordinē cernimus. Infimum enim gradum in hoc ordine tenent, quæ tantummodo sunt, vt elementa, vt lapides, vt metalla: superiorem autem gradum obtinent, quæ non modò sunt, sed etiam viuunt, vt arbores, vt plantæ, quas florere atque frondescere, & fructus proferre videmus: quæ ad eam vitæ rationem (quæ à Philosophis vegetatiua nuncupatur) pertinent. Supra hunc autem gradum animantium vita consistit: vtpote quę non modò viuant, sed etiam moueantur & sentiant. At homo nobiliorem dignitatis gradum sortitus est, qui his omnibus rationis lumen & splen-

Prima ratio.

ſplendorem addit. Supra hominẽ verò Angelorũ ordines collocamus: qui non tam ratione, hoc eſt, ratiocinandi virtute, quàm ſimplici rerum intelligentia vigent. Inter Angelos autem tanta dignitatis varietas eſt, vt, ſecundùm D. Thomæ ſententiam, ne duo quidem inter omnes Angelos dignitate pares inueniantur, cùm iuxta illius definitionem omnes inter ſe ſpecie differant. Quo fit, vt inter infimum & ſummum Angelum alius alio natura ipſa præſtantior atque nobilior ſit. Cùm hic igitur ordo in rebus omnibus appareat, quærendum eſt, an per infinitos huiuſmodi gradus procedere debeamus, an ad aliquem tandem ſummum deueniendum ſit, quo nihil ſit nobilius atque præſtantius. Prius illud nullo modo aſſerendum eſt, cùm ab hoc proceſſu infinito natura omnis abhorreat. Quocirca poſterius hoc neceſſariò ſtatuendum eſt. Hoc igitur quod in ſummo loco & altiſſimo rerum omnium cardine ponimus, quodque infra ſe omnia alia videt, Deum appellamus, quo nihil in rerum natura neque maius, neque ſublimius eſt. Hoc autem aliorum omnium eſſe cauſam ex eo conſtat, quòd Philoſophi aſſerunt, primã in vnoquoque genere cauſam eſſe omnium quæ ſub illo genere continentur. Ignis enim qui in genere calidorum corporum primus eſt, cuiuſcumq. alius externi caloris cauſam eſſe dicimus. Quæcumque enim hoc modo calida ſunt, ignis vtique participatione calida ſunt. Sic etiam inter omnes corporum motus, cæleſtis motus primus & nobiliſſimus eſt, idemq; omnium aliorum cauſa: aſtra quoque omnia, quam habent lucem, ab vno Sole mutuant, qui inter ea omnia ſplendidiſſimus eſt. Ex hac igitur ſententia (quæ apud Philoſophos conſtantiſſima eſt) non modò Deum eſſe, ſed ſummum etiam in rebus omnibus locum tenere, & omnium, quæ ſunt, primam cauſam exiſtere, manifeſtè colligitur. Itaque in genere entium ipſe eſt primum ens, quod omnibus, quæ ſunt, eſſendi cauſam affert. In ordine quoque viuentium, ipſe primum viuens, imò & ipſa vita eſt (vt Ariſtot. ait) per quam viuunt omnia. In ordine intelligentium, ipſe primus intellectus, à quo omnis intelligendi vis, ſicut à Sole omnis aſtrorum fulgor (vt modò diximus) emanat. In ordine pulchrorum, ipſe primum & ſummum pulchrum, in quo ſunt omnia pulchra, ſicut ipſe de camporum pulchritudine ait: Et pulchritudo agri mecum eſt. Ac poſtremò in ordine verorum, ipſe eſt prima veritas, in qua omnis veritas, hoc eſt, omnium, quæ vera ſunt, exemplaria & ideæ continentur.

Ariſtot.

Pſalm. 49.

Secunda ratio.

Eſt etiam & alia non inferior ratio, quæ ex hoc notiſſimo philoſophiæ principio manat, nempe quidquid moueatur, non à ſe, ſed ab alio moueri. Animantium enim corpora, quæ moueri cernimus, nõ à ſe, ſed ab anima intus agente & impellente mouen-

mouentur. Ita fit, vt in eis aliud sit quod moueat, aliud quod moueatur: corpus quippe mouetur, anima verò mouet. Inde adeò fit, vt sublata anima corpus immobile maneat. Cùm antè motum omnem inferiorum corporum à cæli motu (vt modò diximus) pendere videamus (omnis quippe inferior hic mundus à superiori ita pendet, vt vel vna Solis eclipsis, quo eius radij, ne ad nos perueniant, paulisper impediuntur, variè hæc inferiora corpora afficiat atque perturbet) quærendum est, à qua virtute supremi cæli motus procedat. Si intelligentiam aliquam huius orbis motricem dixeris, quæ videlicet intellectu & voluntate orbem hunc moueat; quæram protinus, an hæc intelligentia à se ipsa, an ab alia pendeat; & an propter seipsam, an propter superiorem aliam huic operi incumbat. Si à nulla alia pendet, & propter se ipsam huic officio insistit, hanc vtique iure optimo Deum nuncupabimus. Solus enim Deus est, qui à nemine pendet, qui superiorem non agnoscit, qui omnia propter seipsum, tanquam vltimum finem, operatur. Si verò ab alia pendere astruas, à qua & existendi & mouendi virtutem accipiat, de hac rursum & quauis alia idem rogabo: atque ita vel in infinitum procedendum erit (quod à natura abhorrere diximus, cùm omnia certo numero & mensura definita sint) aut ad vnum primum motorem, qui à nullo pendeat, & omnibus, quæ mouentur, motus causam afferat, necessariò deueniendum est: quem & Deum, & primum vniuersitatis huius motorem, gubernatorem, rerumque omnium principem, & causarũ omnium causam appellamus. Quia verò artis est, naturæ opera quatenus licet imitari, hunc eundem ordinẽ in humana Repub. tam ciuili quàm Ecclesiastica videmus. In Ecclesiastica enim in infimo loco simplices clerici collocantur: hi Episcopis subsunt, Episcopi Archiepiscopis, hi Patriarchis, Patriarchæ verò Pontifici Max. qui quidem nemini subijcitur, & à nemine pendet, cùm omnes tamen alij ab eius auctoritate pendeant, eiusq; legibus & imperio subiiciantur. In ciuili quoque Repub. varios magistratus cernere licet hoc ordine digestos, vt inferiores superiorum præceptis pareant, & ab illorũ auctoritate pendeant: supra quos omnes Rex aut Imperátor eminet, cui omnes subsunt, cùm is nemini subijciatur. Quod ergo Rex in regno, & in Ecclesia Pontifex maximus, hoc in tota rerum vniuersitate summus cælitum Rex & Imperator est.

Non minus apertè hæc eadem conclusio ex perfectissima mundi gubernatione comprobatur: de qua sic Cic. ait: Quis est tam vecors, qui, cùm suspexerit in cælum, deos esse non sentiat; & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum atq; vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? Hoc autem III. Ratio

autem quid aliud est, quàm quod Apostolus testatur cùm ait, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspici? Quid enim aliud totum hoc mundi opificium, & ingens fabrica mirabili ordine descripta, totque tamque variis rebus atque animantibus referta, nisi clarissima naturæ vox est, non modò summum artificem testantis, sed eius quoque infinitam sapientiam, potentiam, atque probitatem prædicantis? Quantum enim nos ad Dei cognitionem instruit immensus astrorum fulgor, Solis atque Lunæ, & reliquorum errantium siderũ admirabilis in varia & multiplici conuersione constantia, dierum & noctium vicissitudines, temporum aptissimæ ad moderandam vitam varietates! Quid ipsius cælestis naturæ tanti motus atque conuersiones, admirabili inter se ratione concinentes, ad omnium rerum, quæ cæli ipsius complexu continentur, statum atque naturam conseruandam; quid terras, quid maria, quid rerum omnium varietatem & multitudinem oratione commemorem? quid postremò admirabilem siue in rebus singulis fabricam & artificium, siue in vniuersis ordinem & conuenientiam, omnibus naturæ partibus vno consensionis vinculo aptissimè colligatis, atq. tamquam ex diuersis sonorum interuallis pro certa ratione distinctis suauissimam harmoniam efficientibus? Num parum liquet, hanc esse naturæ vocem, vndique ad animos permanantem, & clarissimo quodam sonitu aures omnium complentem, atque testificantem, esse vim quandam mentis atque rationis immensam & sempiternam, cuius numine atque sapientia cuncta & à principio facta sint, & deinceps regantur atque moueantur? Hoc igitur naturæ ipsius atq. rerum conditarum argumento adductus D. August. antè etiam quàm veræ fidei lumine instructus esset, adeò firmiter Deum esse credebat, vt in lib. Confessionum dixerit, Faciliùs dubitarem viuere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta cõspicitur. Nec huic sentẽtiæ obstat, quòd Deum nemo vmquam mortali corpore septus viderit, vt ideo non esse credamus quod non videmus: cùm nihil nobis certius sit, quàm habere nos animam qua viuimus & operamur, quam tamen nemo nostrũm oculis vmquam vsurpauit.

Rom. 1.

August. lib. Confession.

4. Ratio. His etiam rationibus certissimum hoc signum adiungere licet, quod clarissimi etiam Philosophi animaduerterũt, nempe totius orbis atq. omnium gentiũ vnanimem in diuinitatis opinione cõsensum: de quo sic Cicero ait: De hominibus nulla gẽs est neq. tam immansueta, neq. tam ferrea, quæ nõ, etiãsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Constat autẽ id quod omnibus hominibus omnibusq. in locis atque temporibus conuenit, ab ipsa natura conuenire: vtpote quod

Cicero 1. de Legib.

ipsius

ipsius naturæ instinctu atque lege omnibus inditum atque impressum sit. Propensiones autem has, quæ à natura proficiscuntur, non frustra esse, omnis Philosophorum schola testatur. Cui etiam signo aliud non dissimile adiungimus, nempe quòd cuncti mortales in repentinis ac desperatis casibus (vbi nulla humani præsidij spes affulget) natura ipsa instigante, ad diuini numinis auxilium implorandum excitantur. Quæ res cùm ab ipsa naturæ inspiratione oriatur, frustra (vt modò diximus) esse non potest. Hoc autem certissimum naturæ signum non modò diuinum numē in mundo esse, sed etiam omnia, quę in terris gerantur, scire, omnia posse, humanarumq́. rerum curam & prouidentiam gerere, apertissimè probat atque confirmat. Qua de re sic etiam idem Cicero ait: Sit hoc à principio persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ gerantur, eorum geri ditione atque numine, eosq́ue optimè de genere hominum mereri; & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat; qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumq́ue & impiorum habere rationem. Quid, quæso, ab homine Ethnico fidei nostræ magis consonum dici potuit? Hęc igitur argumenta, fratres, adeò firmiter Deum esse testantur, vt (quemadmodum D. Thom. ait) quisquis eorum vim & efficaciam penitus cognitam atque perspectam habuerit, clarissimam huius veritatis cognitionem habeat. Vtroque igitur modo, & fide & euidenti ratione, Deum esse, eumq́ue rerum humanarum & scientiam & curam habere, ex his, quæ diximus, constat. Quocirca perditi & exleges homines, qui adeò scelerate & perditè viuunt, ac si nullum numen, nullumq́ue bonorum & malorum delectum esse crederent, sciant & Deum esse, & quæ in terris gerantur, agnoscere: cuius cùm immensa & infinita bonitas & iustitia sit, non potest non summo amore complecti bonos, eosq́ue summis beneficijs afficere; summoq́ue odio sceleratos prosequi, debitisq́ue supplicijs punire. Quod cùm in hac vita non fiat, alia necessariò expectanda est, in qua diuinæ iustitiæ ratio constare possit. Hic est autem acerbissimus cruciatus, quo in hac vita praui homines torquentur: qui vt impunè peccare, & voluptatibus suis frena laxare possent, vel Deū esse nollent, vel ipsum aut cæcum, aut infirmum, aut iniustum esse vellent: vt nec eorum voluptates per cæcitatem videre, nec punire per impotentiam posset, aut per iniustitiam vellet. Talem autem Deum optare, est prorsus Deum esse nolle. Quo quid esse sceleratius potest? Vt autem hæc ipsa de Deo fides est grauissimus malæ conscientiæ tortor: ita contrà est maximum piorum omnium in omni vita atque adeò in omni calamitate solatium. Hac enim se fide sanctus Dauid consolabatur, cùm

5. ratio.

Cicero 2. de Leg.

S. Thom.

ab amicis moneretur, vt à facie Saulis profugus, ad montium
Psal. 10. latibula transmigraret, dicens: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius. Quem locum interpres quidam his verbis explanat: Quamquam mihi tanta pericula impendent, mea tamen fretus innocentia, erecto & fidenti animo ero, neque de salute vmquam desperabo: nam Dominus in cælo sempiternum domicilium habet, Dominus in cælo regit terras, & humanum genus, & desuper intuetur quid agat vnusquisque, quídve patiatur, vt bonos subleuet, ac puniat sontes. Itaque spem meam in eo collocatam inimicorum conatibus opponam: hunc propugnatorem mihi defensoremque opto, non armis, non pecunijs, non opportunitate locorum aut temporis ad res gerendas indigentem, sed nutu omnia administrantem, & feliciter conficientem. Cernitis quàm facilè, quàm firmum, quamque inexpugnabile præsidium compararim? Hęc igitur de prima quęstione dicta sint: quæ vt pios maximè consolantur, ita vehementer improbos perterrefaciunt.

Secunda pars.

Hactenus, fratres, vicina littoribus maria præternauigauimus: nunc tuta littora deserenda, & profundi gurgitis vada sulcanda sunt. Ea enim hactenus persecuti sumus, quæ circa fidem rationis lumine intelliguntur: nunc ratio hinc quodammodo ableganda, & fides asciscenda est, cuius lumine ad altissimũ sum-
Gen. 12. mæ Trinitatis mysterium aliqua ratione attingere valeamus. Quemadmodum ergo fidelium pater Abraham Deum in monte adoraturus, seruos ad radicem montis reliquit, solusque ipse cum Isaac filio montem conscendit: ita nos ratione in infimis (vbi illa versari solet) relicta, fide comite ad huius mysterij celsitudinem conscendamus. Itaque & humanæ rationi & Latinæ etiam linguæ vale dicendum est. Satius enim est in sermone, quàm in altissimo Trinitatis sacramento solœcismum aut barbarismum committere.

Principio igitur statuendum est, multa in Deo esse, quæ solo rationis lumine intelligi nequeant. Cùm enim illum ex operibus suis cognoscamus, ea solùm de eo cognoscimus, quæ ope-
Simile. rum eius attestatione probantur. Quocirca sicut pictura aliqua summo artificio ad viuum expressa, artificis ingenium & artem declarat, mores autem, patriam, & genus, nomen atque fortunam non exprimit: ita planè mundus hic opificis summi sapientiam, potentiam, bonitatem, & prouidentiam exprimit; multa tamen alia, quæ in eo sunt, minimè declarat, cùm hic effectus, quamuis præstantissimus sit, totam causæ suæ virtutem non exhauriat. Inter hæc autem Dñs summæ Trinitatis mysterium

mysterium nobis in noua lege reuelare dignatus est. Quamuis enim hoc idem arcanum veteris Testamenti patribus fuerit patefactum, in Euangelio tamen pleniùs atque apertiùs declarandum fuit. Cùm enim Dominicæ incarnationis mysterium (quo vnigenitus Dei Filius ineffabili benignitate humana carne vestiri, & pro nobis in crucem agi sustinuit) summum inter omnia diuinæ bonitatis opera & beneficia locum teneat; mysterium vtique beatissimę Trinitatis necessariò reuelandum fuit, vt Filij Dei maiestate atque dignitate cognita, quid tanto Redemptori humana natura deberet, apertiùs intelligeret. Proponitur ergo nobis in hoc altissimo mysterio diuinarum personarum Trinitas in vnitate substantię. Constat enim diuinitatis naturam simplicissimam, atque (vt Boëthij verbis vtar) vnissimá esse, vtpote in qua nihil compositum, nihil adiectitium, nullumq. omnino accidens sit, sed sola puraque diuinitatis maiestas. Vnde in aureo illo propitiatorio, ex quo olim Dominus responsa dabat, appositissimè adumbratur: quod quidẽ totum ex purissimo auro erat, in quo figura nulla, nullaque pictura, nihilq. peregrini metalli adiectum erat. Itaque nihil ibi aliud, quàm solum & purissimum aurum visebatur. In hac ergo purissima ac simplicissima diuinitatis natura tres esse diuinas personas confitemur. Et, ne pugnantia dicere videamur, nemo arbitretur nos hîc dicere tres substantias, & vnam substantiam; siue tres personas, & vnam personam: sed in vna eademque substantia atque natura tres personas adoramus & confitemur. Aliud enim naturæ, aliud personæ nomen significat. Itaque sicut in Seruatore nostro ac Domino tres naturas in vna persona confitemur, nempe, Verbum Dei, carnem, & animam (alia enim carnis, alia animæ, alia Verbi natura est, vna tamen persona, hoc est, vnus Christus Dominus in hac triplici natura subsistit) ita contrà, in beatissima Trinitate, in vna simplici substantia tres personas confitemur. Quæ quidem res in nulla rationali aut intellectuali creatura reperitur. In his enim vbi est vna substantia, vnica tantùm persona reperitur. Hac igitur in re, increata natura à creatis omnibus distat, quòd videlicet in simplici substantia tres personæ inueniantur, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Pater, qui à nullo est factus nec creatus, nec genitus: Filius, qui à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Sicut enim in Sole tria cernere licet, nempe Solem, & lucem à Sole dimanantem, & calorem ab vtroque procedentem: ita in beatissima Trinitate Patrem tanquam Solem, & Filium tanquam Solis splendidissimum radium, & Spiritum sanctum ab vtroque emanantem, colimus & veneramur. De hoc

Simile.

igitur ineffabili myſterio cùm multa ac penè innumera tractari poſſent, duo tantùm, quæ præcipua, maximeque ad ſalutem noſtram neceſſaria eſſe videntur, explicare tentabo. Quorum alterum ad huius myſterij intelligentiam, alterum ad fidei veritatem amplectendam pertinet. Cùm enim myſterium hoc explicitè credere teneamur; neceſſe eſt, vt quomodo ſe res hæc habeat, intelligamus: ne cùm Filij aut generationis nomen audimus, aliquid tanta maieſtate indignum animo concipiamus.

Ad hoc igitur ſciendum eſt, omnipotentem Deum omnia quæ per ſe operatur, intellectu & voluntate, hoc eſt, intelligendo & volendo operari. Non enim aut membrorum inſtrumentis (quibus caret) aut ferramentis, aut vllis machinis, vel externis adiumentis indiget, cùm aliquid efficere vult. Itaque vaſtiſſimam hanc mundi molem, tot cælorum orbes, tot terras & maria, tot plantarum & animantium varietates ſolo intellectu &

Pſal. 32. voluntatis nutu abſque vlla ope externa creauit. Ipſe enim dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Itaque, vt dixit, vt voluit, ſubitò emerſere creata omnia, & ex nihilo cœpit ſpleneſcere mundus.

Pſal. 135. His ita conſtitutis, ad diuinæ generationis myſterium propiùs accedamus. Naturæ ergo conditor, qui (vt Propheta cecinit) fecit cælos in intellectu, ipſe etiam intellectu Filium ſibi ſimilem, nõ quidem creauit, ſed genuit. Quonam modo, inquies? Cùm is naturam ſuam pleniſſimè atque perfectiſſimè intelligit, verbum cordis, & ſui ipſius imaginem perfectiſſimam intra ſe producit, quam paternæ gloriæ ſplendorem, imaginem, & verbum atque Dei Filium oracula diuina nominant. Quia verò hæc tanta res omnem humanæ mentis facultatem ſuperat, neq. vlla verba ſuppetunt, quibus ea ſignificari & exprimi poſſit, ſimilitudinibus vtimur à natura ſumptis, quibus aliqua ſaltem ratione ad eius cognitionem aſſurgere valeamus. In omnibus namque naturis ille imaginem aliquam, aut certè veſtigium ſuæ perfectionis impreſſit. Congruũ igitur eſt vt ſimilitudines conferamus, & ita quaſi quibuſdam adminiculis ex ſpeculatione naturæ communis ad conditorem naturæ ipſius aſpiremus.

Quod vt commodiùs fieri poſſit, nos ipſos inſpiciamus. Cùm quilibet homo ſeipſum conſiderat, ſummumque ſtudium in ſui ipſius ſpeculatione ponit, partus quidem minimè cõtemnendus exoritur. Partus autem eſt noſtri notitia, in qua priſca olim philoſophia magnam ſapientiæ partem collocauit. Ergo ſi me ipſum cognoſco, & aliquid in me dignum laude reperio; conſequens eſt, vt me ipſum diligam. Omne enim quod pulchrum & laudabile eſt, amorem natura conciliat. In quolibet igitur homine in ſui ipſius conſideratione defixo eſt mens, quæ to-

tius

tius animi statum acriter & attentè considerat: est cognitio, velut quædam intellectus proles, quæ ex ipsa consideratione ortum habet: est amor, qui ex cognitione excitatur. In nobis quidem hæc omnia accidentia sunt, quibus animi commutantur, & varijs modis afficiuntur. Omnia verò quæ nobis inhærent, cùm in Deum conferuntur, ita conferenda sunt, vt priùs omnis imbecillitatis opinio circumcidatur: vt nihil, quod Deo sit indignum, animo cogitetur. Cùm igitur ille maximè simplex & vnus sit, nullumque accidens ad compositionem suæ perfectionis admittat; efficitur planè, vt, quod in nobis accidens est, in illo perfecta substantia sit, naturali vi & stabilitate consistens. Ergo cùm naturam suam (quod perpetuò facit) attentè considerat, ipsam sapientiā gignit, omnes vitæ, lucis, bonitatis, pulchritudinis, voluptatis, immortalitatis opes in se continētem. Hunc diuinum partum, hanc admirandam & immensam diuinæ virtutis speciem, hoc clarissimum Patris ipsius speculum, hunc fulgorem sempiternum ex sempiterno splendore Patris exortum, nos Dei Filium (vt sanctæ litteræ admonent) appellamus. Ex hac autem diuinæ mentis intelligentia, & ex immensæ pulchritudinis animaduersione, amor summus atque sempiterna voluptas procedit: quæ Patrem Filio, & Filium Patri charitate sempiterna deuincit. Hoc ergo arctissimum amoris diuini vinculum, hanc summam & immensam charitatis rationem, Spiritum sanctum oracula diuina nominant. Cùm autem in Deo nihil sit admixtum, nihil in eo possit esse prius aut posterius, nihil maius aut minus, nihil valentius aut imbecillius; necesse est vt Patri Filius, & Spiritus sanctus vtrique sit par & æqualis, & naturæ vi, imperio, numine, potestate, in omni æternitate simillimus. Neque enim diuersitas, aut inæqualitas, aut dissimilitudo in vna eadem atque sempiterna natura cogitari potest. Itaque vnum Deum immortalem, incorporeum, infinitum, immutabilem, omnipotentem, natura maximè simplicem, personarum numero & ratione discretum, colimus & veneramur: & in huius summæ veritatis confessione, tanquam in arce munitissima, constanti fide consistimus.

III.

Verùm insurget fortasse aliquis hoc in loco, dicetque se quidem similem fidem profiteri, non tamen ea, quæ credit, intelligere. Duo tibi ad hoc solatia maxima proponam, quibus hanc mentis tuæ imbecillitatem æquanimiter feras. Vtraque autem inuenies, si in celsitudinem Dei priùs, deinde in imbecillitatem tuam oculos conieceris. Si enim incomprehensibilem diuinæ maiestatis naturam esse confiteris; quid miraris te ingenio assequi non posse, quod incomprehensibile est? Si ineffabilem esse

prędicas, qui fieri poteſt, vt ea humano tibi ſermone exprimatur? Poſtremò cùm ſola eius natura & perfectio inter omnia infinita ſit, quónam modo finita hominis ratio, præſcriptiſque terminis circumſcripta, aſſequi illam poterit? Ad diuinæ quippe maieſtatis gloriam pertinet, vt ſublimitate ſua omnem creatæ mentis cognitionem infinitis partibus tranſcendat, ſolaque humili fidei confeſſione cognoſcatur. Hac fide ſancti viri contenti,
Ambroſ. nihil vltrà conabantur. Hinc D. Ambroſius: Mihi impoſſibile eſt generationis diuinæ ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet: non mea tantùm, ſed & Angelorum. Supra poteſtatem, & ſupra Angelos, & ſupra Cherubin & Seraphin, & ſupra omnem ſenſum
Philip. 4. eſt; quoniam ſcriptum eſt: Pax Chriſti omnem ſenſum exuperat. Et ſi pax Chriſti ſupra omnem ſenſum eſt, quomodo non ſupra omnem ſenſum eſt tanta generatio? Tu ergo ori admoue manum: ſcrutari non licet ſuperna myſteria. Licet ſcire quòd Filius Dei natus ſit, non licet diſcutere quomodo natus ſit: illud negare non licet, iſtud quærere metus eſt. Ineffabilis enim eſt illa generatio, quemadmodum Eſaias ait: Generationem eius quis enarrabit? Hactenus ille.

Si verò paruitatem ſuam, & mentis hebetudinem homo attenderit, facilè etiam intelliget, ſe hoc altiſſimum diuinitatis arcanum non poſſe penetrare: quando vix ea, quæ ante oculos
Eccleſ. 11. poſita ſunt, mente comprehendit. Hinc Salomon: Sicut neſcis, inquit, quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in vtero prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium. Quocirca prudentiſſimè D. Gregor. ait: Qui in operi-
Gregor. bus Dei rationem non inuenit, in paruitate ſua inueniet cur rationem non inueniat. Quid enim mirum, ſi diuina non aſſequatur, qui in peruestigatione etiam rerum minimarum paſſim hallucinatur? Ceſſabit ergo querela hæc, ſi mentis ſuæ imbecillitatem homo penitus cognitam & exploratam habeat; neque magis mirabitur, ſe non poſſe diuina comprehendere, quàm non poſſe pygmæum aliquem porrecto brachio nubes cæli contingere. Proponam vobis & aliud non minùs ſalutare ſolatium, videlicet, eo ipſo quo minùs Deum conſequi poteſtis, hoc magis illius maieſtatem admirari, ſublimitatem vereri, bonitatem diligere, miſericordiam amplecti, leges & præcepta eius diligentiùs ſeruare debetis. Si enim maieſtatis celſitudo admiratione digna eſt, tanto magis illam admirari debemus, quanto longiùs ab eius cognitione diſtamus. Si ſumma bonitas ſummum amorem promeretur, tanto magis ea diligenda eſt, quanto omnem intelligentiæ noſtræ vim infinitis partibus ſuperat. Si altiſſimæ dignitati ſumma reuerentia debetur, quàm reuerenter ſublimitatem illam vereri debemus, cuius celſitudinem

dinem ne ipsi quidem Seraphici spiritus comprehendunt! Cùm enim multa sint quę nos ad diuinę mentis cognitionem & amorem instruant; nihil tamen hoc magis præstat, quàm si intelligamus altissimam illam naturam, omnem creatæ mentis intelligentiam infinito interuallo superare. Inde adeò fit, vt, cùm nomina omnia, quæ dignitatem & perfectionem aliquam significant, Deo verè tribuantur, multo tamen veriùs (vt D. Dionys. ait) ab eo remoueantur. Exempli gratia: Si Deo summam bonitatem, misericordiam, sapientiam, potentiam, & pulchritudinem tribuimus, & mente atque cogitatione nostra impermeabilem quandam sapientiæ, potentiæ, bonitatis & pulchritudinis abyssum concipiamus, illique tribuamus; tantum hęc nostra cogitatio ab illius amplitudine & gloria distat, vt magis consentaneum sit, hæc ipsa ab eo remouere, quàm illi tribuere. Quamuis enim hæc omnia perfectissimè inueniantur in Deo, eo tamen modo, quo intellectus nostri angustia illa concipit, nequaquam illi tribuuntur. Quod quidem non modò D. Dionysio, sed etiam Ecclesiastico tradente didicimus. sic enim ait: Glorificate Dominum quantum potestis, superualebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potueritis, maior est enim omni laude. Ne laboretis, non enim comprehendetis.

Dionys. de cælest cap. 2.

Eccli. 43.

Sed hoc tamen, si ad humanæ mentis angustiam referatur, minus mirabile est. Longè verò maius est, quòd etiam quidquid beatissimæ illæ mentes, atque adeò ipsi etiam Seraphici spiritus (qui immensam diuinæ pulchritudinis speciem propiùs contemplantur) de ipsius amplitudine concipiunt, tantum ab immensa eius pulchritudine & maiestate distat, vt veriùs ab ea negari, quàm ei tribui (vt antè diximus) possit. Quin etiam, si supra summum addi aliquid possit, illud etiam his adiungere non verebor: Si Deus omnipotenti virtute sua nouam aliquam mentem adeò præstantem crearet, vt nihil ea maius atque sublimius in ordine creaturarum inueniretur, quidquid hæc ipsa de altissima diuini numinis gloria assequeretur, vsque adeò infra eius dignitatem esset, vt veriùs hoc ipsum de Deo negandum, quàm illi tribuendum esset. Deniq. vt semel finiam, quidquid siue hæc altissima mens, siue cæteræ beatæ mentes, diuinæ pulchritudinis speciem aperta facie contemplantes, de eius maiestate & gloria assequuntur, adeò exiguum est, vt ferè nihil esse dicatur. Quia enim nulla finitæ rei ad infinitam comparatio est; quidquid autem creatura (quamlibet nobilissima sit) de diuinæ naturæ sublimitate intelligit, finitum, certisque terminis circumscriptum est, meritò adeò exiguum esse dicitur, cùm infinitum sit quod adhuc superest intelligendum. Quis igitur hanc

Angeli

tantam diuinæ naturæ ſublimitatẽ non miretur? quis nõ velut attonitus hæreat, cùm immenſum hoc & impermeabile diuinitatis pelagus mẽtis oculis intuetur? quæ mentis acies ante hunc diuinæ lucis ſplendorem non caligare incipiat? quis in vaſtiſſimam hanc diuinitatis abyſſum ingrediens, inde exire, & ad nos regredi velit? Quis igitur non tota animi deuotione hunc tantum Dominum colat? quis non ſe totum in eius laudes effundat? quis non præ tantæ maieſtatis admiratione penitus colliqueſcat? quis non ardentiſſimo eius amore deflagret? quis non millies propter illius gloriam mori deſideret? quis non felicem ſe reputet, quòd ab ipſo fidei oculos acceperit, quibus tantum hoc lumen intueri poſſet? quis non omnes maris arenas in linguas conuerti cupiat, vt eius perpetuò laudes prædicent, & pro
Pſal. 136. tanto hoc beneficio gratias agant? Hæc autem omnia regius
Chryſoſt. Propheta contemplari videbatur, cùm diceret: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es. Quem locum Diuus Chryſo-
Simile. ſtomus explanans, ſimile quiddam Prophetæ contigiſſe ait, quod his qui in altiſſima rupe conſidentes, iratum & fremens mare oculis ſubiectum intuentur; qui rei magnitudine attoniti, oculorum lumen & ſentiendi vim amittere ſibi videntur. Hanc igitur mentis alienationem Propheta quodammodo pati videbatur, cùm in vaſtiſſimum illud diuinitatis pelagus mentis oculos conijceret: ideoque ſe ad eius laudes prædicandas tota animi deuotione conuertens, ait: Confitebor tibi, hoc eſt, laudes tuas Domine prædicabo: quia terribiliter magnificatus es, hoc eſt, quia immenſa diuinitatis & maieſtatis tuæ gloria mentem meam perterruiſti atque obſtupefeciſti.

Iam verò ſi quis in hac altiſſima ſpecula conſtitutus (vnde hanc tantam diuinæ gloriæ celſitudinem contemplatur) ſe inde ad Dominicæ incarnationis & paſſionis myſterium inſpiciendum deijciat, illumq́. altiſſimum Dominum, quem ſupra Cherubin & Seraphin eleuatum videt, in ſtabulo natum, in præſepio iacentem, & in cruce humanæ ſalutis gratia morientem contempletur, quomodo, qui hoc animaduertit, ſpirare, quomodo intra ſe cõſiſtere, quomodo ſpiritum & halitu retinere poſſit, cùm hanc tantam diuinæ bonitatis dignationem conſiderat?

Si verò ab hac conſideratione digreſſi, illos intueamur qui quotidianis ſceleribus atque flagitijs hanc tantam bonitatem offendere non verentur, quomodo non obſtupeſcimus, cùm execrandam hanc multorum hominũ cæcitatem, ingratitudinem, peruerſitatem cõtemplamur? quomodo non præ doloris & ſtuporis magnitudine rumpimur, cùm hoc tam execrabile malum, non in angulis, aut in paucis hominibus, ſed quàm latiſſimè in toto orbe dominari videamus? Sed quoniam hoc ſatis deplorare

non



non possumus, fratres, ad nos ipsos redeamus; & non quid perditi & profligati homines faciant, sed quid nos deceat animaduertentes, hanc ipsam diuinæ maiestatis gloriam suspiciamus, collaudemus, reuereamur, admiremur, totisque viribus diligamus, eiusq. leges & pręcepta seruare studeamus, priusque sanguinem fundere, quàm illum offendere patiamur: sic enim fiet, vt his studijs quotidie piè ac religiosè insistentes, ad eius tandem felicissimum consortium atque cõspectum peruenire valeamus.

IN EODEM FESTO BEATISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO SECVNDA:

in qua primùm varijs similitudinibus hoc mysterium explicatur; deinde ineffabile & incomprehensibile esse ostenditur; ideoque mirum non esse, quòd illud mens non assequatur humana; quamuis non ideo credere minùs debeat, quod intelligentia minùs comprehendit.

THEMA. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. vltimo.



Ic dies, fratres dilectissimi, beatissimæ Trinitatis laudibus & prædicationi dicatus est. De hoc autem ineffabili mysterio (cui explicando omnis humana & angelica lingua impar est) dicere nos ipsius diei ratio compellit. Quanta verò sit huius argumenti dignitas, ex Aristotelis sententia intelligere licet: qui in his libris, quos De anima scripsit, eam esse præstantissimam inter alias disciplinas docet, quæ de re nobilissima disputat. Quo argumento eam scientiam, quæ de anima disserit, præstantissimam esse ait: quòd ea inter cætera, quæ naturalis philosophia tractat, nobilissima pars sit. Hoc autem argumento colligimus, disciplinarum omnium principem ac veluti reginam esse, quæ de principe rerum omnium Deo disputat, eiusque cognitionem tradit: quandoquidem is summum inter omnia locum obtinet. Ideoque meritò Dominus per Hieremiam dicit: Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Hierem. 9

Quantum verò hæc eadem cognitio hominis mentem nobiliter

bilitet atque perficiat, ex ea differentia quam idem Philosophus inter res quæ sentiuntur & intelliguntur, assignat, agnoscere licebit. Quæ enim sensibus percipiuntur, quo excellentiores sunt, eo magis organum sentiendi lędunt. Vnde lucidissimum corpus oculorum aciem verberat, & sonus ingens audiendi vim obtundit. At contrà ea quæ intelliguntur, quo sunt nobiliora, eo magis intellectum nostrum nobilitant atque perficiunt: qui vt vilescit, & veluti sordescit, cùm vilia & sordida cogitat; ita contrà perficitur ac nobilitatur, cùm ad ea, quæ altissima sunt, contemplanda assurgit. Cùm ergo supremæ illius naturæ dignitas infinita sit, efficitur planè, vt nullius rei contemplatio mentem hominis magis illustret atque perficiat. Sed interim tamē doctrinæ huius necessitas discendi atque audiendi auiditatem acuere magis debet. Cætera enim quæ à Deo nobis in sanctis litteris reuelata sunt, implicitè, hoc est, in fide maiorum credere ad salutem sufficit: ea tamen mysteria quæ in fidei Symbolo continentur, ita credere iubemur, vt, quod credimus, explicitè (vt aiunt) cognoscamus. Aliter enim qua ratione Christianæ religionis dignitatem retinebimus, si præcipua eius dogmata prorsus ignoramus? Inter quæ principem locum beatissimæ Trinitatis sacramentum obtinet: quod & totius fidei nostræ, ac præ-
Rom. 10. cipuè Dominicę incarnationis fundamentum existit. Cùm autem (vt Apostolus ait) fides sit ex auditu; audire vos decet, quid de hoc mysteriorum omnium maximo & sentire & credere debeatis. Quocirca operæpretium me facturum arbitratus sum, fratres, si huius ineffabilis mysterij rationem partim familiari eius explanatione, partim similitudinibus ex rebus corporeis sumptis, quæ nobis sunt notiores, explicauero: quo & quid credatis (quatenus licet) intelligere possitis, & cùm Patrem, & Filium, æternamque illam generationem auditis, nihil indignum tanta maiestate concipiatis. Vt igitur altissimum hoc argumentum pro dignitate tractare possimus, cęlestem opem, sacratissimę Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quod igitur ad explicitam huius mysterij fidem attinet, profitemur in altissima illa natura, quæ & indiuidua & simplicissima est, tres esse personas, nempe Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, & Spiritum sanctum à Patre & Filio procedentem. Hoc enim increata illa natura singulare & proprium habet, & in hoc à creaturis omnibus, quæ vel ratione, vel intellectu præditæ sunt, distat, quòd in his omnibus vbi est vnica natura, vna tantùm persona, quæ illam sustentat, inuenitur; at in diuina natura, quæ fecundissima & infinita est, non vna persona tantùm, sed tres personæ in eadem natura subsistunt. Vt au-
tem

tem earum eſt vna natura atque ſubſtantia, ita earum vna eſt diuinitas, vna volũtas, vna maieſtas, parque & indiuiſa poteſtas. Quidquid enim Pater facit, id ſimiliter & Filius, & Spiritus ſanctus faciunt. Omnia enim in illis ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio.

Ne verò, cùm hîc Filij & generationis nomen auditis, corporeum aliquid mentibus veſtris occurrat, ſcitote hæc longè aliter ſe habere, atque craſſa mens hominum cogitare poterit. Pater enim cæleſtis, qui ſolo intellectu & voluntate cælum & terram, & omnia quæ cæli ambitu continentur, condidit, is vtique intellectu Filium generauit, & voluntate ſimul cum Filio Spiritum ſanctum produxit. Dum enim is naturam ſuam pleniſſimè ac perfectiſſimè intelligit, perfectiſſimam ſui imaginem intra ſe producit: quæ in eo non accidens (vt in nobis) ſed ſubſtantia, atque ſecunda in diuinis perſona eſt; nempe Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Vterque autem, Pater ſcilicet ac Filius, mutuo ſe contemplantes, & immenſo, infinito, atque inexplicabili amore complectentes, Spiritum ſanctum producũt, qui vtriuſque, Patris ſcilicet & Filij nexus & amor eſt.

Sed ne quis, cùm Dei Filium audit, non propriè, ſed metaphoricè hoc illi nomen tribui exiſtimet; ſciat illud longè veriùs & magis propriè ei, quàm vulgaribus parentum filijs, cõuenire. Quod quidem ex triplici differentia inter hominum filios, & vnicum Dei Filium apertè colligitur. Primùm enim hominum 1.
filij ideo nominis huius veritatem retinent, quia eorũ ſubſtantia ex paterna ſubſtantia delibata eſt; non enim totam patris ſubſtantiam, ſed eius particulam ab illis trahunt. At Pater æternus non quidem partem ſubſtantiæ (cùm diuinitatis natura indiuiſa ſit) ſed totam ſubſtantiam ſuam transfundit in Filium. Quam rem idem in Pſalmis expreſſit, cùm ad Filium loquens ait: Ex vtero ante luciferum genui te. Quia enim matres to- Pſal. 109.
tam ferè corporis ſubſtantiam filijs in vtero ſuo conſtitutis prebent, ideo Pater æternus hac materni vteri metaphora vſus eſt, vt ſe totam ſubſtantiam ſuam vnigenito Filio tradidiſſe monſtraret. Secunda verò differentia eſt, quòd cùm commune 2.
filiorum ſit, non modò parentum ſpeciem, ſed etiam oris figuram, mores, & ingenium referre; non rarò tamen eos à parentibus degenerare, & longè diſſimiles naſci videmus. At in hac altiſſima generatione Patri Filius omnibus in rebus ſimilis & æqualis eſt. Eadem enim vtriuſque gloria, eadem maieſtas, eadem æternitas, eadem voluntas, eadem ſapientia, bonitas, & omnipotentia eſt. Quid enim hîc interuenire potuit, quod Filium à perfecta ſimilitudine Patris abduceret? Non matris natura diſſimilis, cùm ſine matre genitus ſit: non materiæ vitium,

cuius

cuius contagionem Dei maieſtas non admittit: non externa vis, quæ nondum extiterat; & ſi extitiſſet, infinitæ Dei potentiæ minimè obſtitiſſet. Ergo quemadmodum Pater eſt natura omnipotens atque ſempiternus; ita Filius eſt natura omnipotens atque ſempiternus, & omnibus in rebus Patri ſimilis & æqualis. Ita fit quòd idem Vnigenitus Dei Philippo dixit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Tertia verò differentia maximeque notanda eſt, quòd carnalis Pater nequaquam Filium quatenus homo & rationalis creatura eſt, ſed quatenus animal eſt, generat. Commune enim hoc illi cum equo & leone, cæteriſque animantibus eſt. Huic enim generationi nequaquam ſuperior animę portio, quę rationalis & ſpiritualis eſt, ſeruit; ſed ſola inferior, quæ corporea & brutorum ſimilis eſt. Et quidem ſi homo cùm ſeipſum mente comprehendit & intelligit, ſuique ipſius imaginem in mente format, imago hæc per ſe ſubſiſteret ac viueret, verè hominis filius diceretur; vtpote quæ rationis vi & actione (quæ hominis propria eſt) genita fuiſſet. Quod tamen in filiorum generatione non fit: qui non intellectuali, ſed corporea vegetatis animæ operatione (quæ infima animæ noſtræ portio eſt) producũtur. At cùm in ſummo Deo nulla diſſimilium partium compoſitio ſit; Filius qui ex eo naſcitur, verè Deus ex Deo, lumen de lumine, ſpirituali actione, hoc eſt, ſpirituali ſui ipſius contemplatione, quæ maximè propria Dei eſt, procedit & generatur: ideoq. multo veriùs ac propriùs Patris æterni Filius, quàm quiſque noſtrûm patris ſui filius dicitur.

Ioan. 14.

3.

II.

Cæterùm, vt aliqua ſaltem ratione mentis humanæ cupiditati morem geram (quæ altiſſima etiam & inacceſſa myſteria intelligere cupit) ex corporearum rerum ſimilitudinibus, quæ ſenſibus noſtris familiares & notæ ſunt, viam quandam vobis commonſtrabo, qua ad aliquã altiſſimi huius myſterij notitiam peruenire valeatis: ea tamen lege, vt intelligatis nullam eſſe in natura ſpeciem, quæ poſſit perfectè pulchritudinem & amplitudinem diuinæ mentis imitari. Quamuis enim in rebus ſingulis obſcuram Dei ſimilitudinem & veſtigium intueri liceat, cùm tamen illius numen omnibus rebus ab illo conditis, partibus infinitis antecellat; conſequens eſt, vt in cæleſtibus etiam mentibus, quæ multo propiùs ad Dei ſimilitudinem accedunt, multo maior diſſimilitudo quàm ſimilitudo immenſæ illius claritatis appareat. Idcirco autem fit, vt cùm duplex ratio de rebus diuinis diſſerendi ſit; vna, quæ rerum omnium formas & perfectiones in Deo ſummè conſtituat; altera, quæ nihil eorum quæ ſunt, in Deum conuenire demonſtret: multo certior habeatur,

beatur, quæ Deum ab omni naturæ ſimilitudine, & commu-nione ſecludit, quàm illa quæ in Deum omnia congerit. Nam quæ vox & oratio immenſam & inexplicabilem naturam ipſius diuinitatis explicabit? Quæ mens illius infinitam ſapientiam & bonitatem cogitatione complectetur? Quæ igitur ſimilitudo ſpeciem illius atque formam referet? Quamuis enim in Deo ſint omnia, tamen omnia non incommodè à Deo ſeiunguntur. Nihil eſt enim neque in cælo, neque in terra, neque inter ho-mines, neque inter Angelos, neque ſenſibus obiectum, neque mente & ratione perceptum, quod ſimilitudinem illius omni ex parte referat; nullum nomen, nulla vox & ratio, quæ numen & naturam illius explanet. Sic autem fit, vt, cùm illius obſcuram aliquam ſimilitudinem aut veſtigium in omnibus rebus exta-re & eminere videamus, multo tamen maiores diſſimilitudines non in rebus tantùm corporeis, neque in humanis tantùm ani-mis, ſed in mentibus illis beatiſſimis, quæ luce illius clariſſi-ma perfruuntur, inſpicere liceat. Verùm cùm aliter nihil de Deo cogitare poſſimus, non incommodè ſimilitudines confe-runtur: vt aliquam ſaltem eius notitiam paulo clariorem habe-re poſſimus. Sunt autem (vt cæteras omittam) tres præcipuè ſimilitudines, quibus Dei natura & generatio aliqua ratione inſinuatur; & ab ijs tria nomina deriuantur, quibus oracula di-uina eius notitiam tradere voluerunt. In his tamen (vt modò diximus) multo maior diſſimilitudo quàm ſimilitudo eſt. Non minùs tamen diſſimilitudo quàm ſimilitudo ad hanc ipſam no-titiam conducit. Comparatur ergo primùm Dei Filius verbo: & Verbum etiam Patris à Ioanne appellatur. Comparatur etiam *Ioan. 1.* imagini & lumini, ſiue ſplendori, ijſdemque nominibus ab Apoſtolo nuncupatur; nempe imago Dei inuiſibilis, figura di- *Hebr. 1.* uinæ ſubſtantiæ, & ſplendor paternę gloriæ. Singula igitur hæc nomina, & eorum rationem ac ſimilitudinem excutiamus. Ver-bum quidem Patris appellatur Filius; quia per illum Pater æter-nus & ſeipſum ſibi, & beatis mentibus oſtēdit. Sicut enim ver-bis noſtris hoc agimus vt animum noſtrum auditori patefacia-mus, mentemque & ſenſum noſtrum in illum transfundamus: ita Deus Pater Verbum ſuum genuit, quo ſe ipſum dixit, totam-que ſubſtantiam ſuam in eo transfudit & manifeſtauit: cuius rei gratia Patris Verbum appellatur. Hæc autem Verbi ſimili-tudo vſque adeò quibuſdam Platonicis Philoſophis placuit, vt D. Auguſt. 10. de Ciuitate Dei referat, beatum Simplicianum ex *Auguſt.* ſententia cuiuſdam Platonici retuliſſe, Euangelium Ioannis aureis litteris inſcribendum & omnibus templorum ianuis af-figendum eſſe. Idem etiam refert lib. 7. Confeſſ. cap. 9. ſe legiſſe *Idem.* in libro eiuſdem Platonici initium Euangelij Ioannis, præter *Ioan. 15.* illud,

illud, Et Verbum caro factum est. Sed quamquam hæc Verbi similitudo aptissima sit, ea tamen infinita dissimilitudine ab ipsa rei natura distat. Nam verbum hoc nostrum accidens non substantia est, cùm tamen Dei Verbum perfectissima substantia sit. Item hoc nostrum verbum, vbi primùm prolatum est, desinit esse: illud autem Dei Verbum incõmutabile permanet in æternum. Hinc de diuina Sapientia (quæ idem quod Verbum est) dicitur, In se manens innouat omnia. Ad hæc, his verbis nostris non omnia quę intra pectus nostrum latent, sed aliquam eorum partem explicamus: at cælestis Pater vnico mentis suæ Verbo siue conceptu se ipsum totum dixit, hoc est, totam naturam suam atque substantiam plenissimè expressit.

Sap. 7.

Dissimil.

Qua in re obseruandum est, homines singulis verbis singulos animi sui conceptus patefacere; ideoque longa illis oratione multiplicique verborum congerie opus esse, vt totam mentem suam aperiant: at verò Angeli, quo superiores sunt, hoc paucioribus (vt ita dixerim) verbis, breuiorique temporis spatio sensa sua (quæ nos nisi longissima oratione expromere possemus) patefaciunt: Deus autem, cuius est immensa & infinita potestas atque fecũditas, vnico Verbo suo & seipsum & omnia dixit: quia in illo & tota Patris substantia, & rerum omnium formæ, species, atque imagines multo perfectiùs quàm in rebus ipsis continentur. Videtis ergo quanta hîc cum similitudine dissimilitudo sit? Comparatur etiam idem Filius splendori & lumini. Quæ quidem comparatio ab August. Eugubino in lib. De perenni philosophia maximè probatur. Neque id sanè immeritò. Cùm enim lux spiritualibus rebus maximè vicina sit, non adeò mirum, si ad naturam supremi illius spiritus exprimendam sit accommodatior. Quæ res Symboli quoque auctoritate comprobatur: in quo Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine confitemur. Quod quidem lumen is, qui sapientiam tantopere celebrauit, candorem siue radium lucis æternæ appellat. Vt enim splendidissima lampas splendidissimum radiũ siue lumen ex se fundit: ita Pater æternus lucidissimũ ex se radium, hoc est, Filium suum producit. Hac etiam comparatione genitoris & geniti indiuisa connexio indicatur. Nunquam enim radius à luce separatur: sed cum ea indissolubili societate cohæret. Vbique alterum gignit, alterum gignitur. Nec radius sine luce esse potest genitrice, neque lux sine radio: quia nunquam potest lux non generare radium luminis. Ad hunc ergo modum nunquam Pater æternus sine Filio, nec Filius vnquam extitit sine Patre. Quo exemplo diuinæ generationis æternitas declaratur. Ab æterno enim Pater generat Filium, & ab æterno Filius à Patre generatur. Adde etiam quòd quemadmodum radius siue

August. Eugub.

Sap. 7. Simile.

siue lumen productum, fontem suum, à quo dimanat, ostendit, & spectantium oculis conspicuum facit: ita Dei Filius Patris sui naturam, hoc est, immensi luminis fontem, à quo ipse manat, non modò paternis oculis, sed beatissimis etiam mentibus, quæ in cælo resident, patefacit. Sequitur alia imaginis similitudo, quæ in hoc adducta est, vt Filium esse perfectissimam paternæ substantiæ imaginem ostenderet: in qua ratione cum Verbo, de quo paulo antè diximus, conuenit. Sed quanta in hac similitudine dissimilitudo inest! Neque enim imago vitam habet, quam Dei Filius habet, qui de se ipso ait: Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Ioan. 5. Sic etiam Ioannes, vbi Dei Filium Verbi nomine appellasset, ne quid inane aut transitorium cogitaremus, adiecit: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Ioan. 1. Adde etiam quòd imago solam hominis faciem, & corporis habitum atque figuram repræsentat: at Dei Filius paternæ substantiæ speculum & imago est. Ideoque Paulus illum paternæ substantiæ figuram appellat. Hebr. 1. Pro quo Græcè character habetur, quòd expressam rei imaginem (qualis in molli cera sigillo impressa cernitur) significat. Simile. Quo quidem verbo appositissimè Dei Filium & idem cum Patre esse, & ab eo etiam distingui, intelligimus. Videmus enim nihil prorsus in sigillo esse, quod in cera eo sigillata non inueniatur. Quo significamus, nihil prorsus in Patris substantia esse, quod non in Filio plenissimè & perfectissimè contineatur. Qua igitur in re distant? Nimirum quia quemadmodum imago ceræ à sigillo est, non contrà: ita Filius à Patre est, non à Filio Pater. His ergo similitudinibus, fratres, vtcumque mens nostra (quæ nisi per rerum corporearum similitudines, sensibus nostris familiares ac notas, spiritualia non assequitur) ad altissimæ illius generationis naturam cognoscendam assurgere poterit.

Sed ad processionem Spiritus sancti corporea quoque similitudo adducenda est, quæ (vt ingenuè fatear) licet tarditati nostræ sit accommodata, superna tamen illa maiestate minùs digna esse videtur. Femina insigni forma (qualem fuisse Helenam Græcorum historiæ tradunt) dum faciem suam in speculo contemplatur, absolutissimam oris sui imaginem, seipsam videndo, producit. Cùm autem eximia pulchritudo in oculis & aspectu proposita, sui amorem excitet, seipsam vtique amore prosequitur. Tria igitur hîc cernere licet, quæ se mutuo consequuntur; nempe feminam, quæ se ipsam in speculo videt; & imaginem, quæ ex hac visione nascitur; & amorem, qui imagine visa excitatur. Hoc igitur exemplo tarditas nostra diuinarum personarum processionem vtcumque intelligere poterit.

Pater

Pater enim cæleſtis dum ſeipſum mente & intellectu contemplatur (quod perpetuò facit, nec vnquam facere deſiſtit) perfectiſſimam ſubſtantiæ ſuæ imaginē, hoc eſt, Filium ſuum (quem paternæ gloriæ imaginem appellari diximus) producit: quam eandem immenſo & infinito amore ob immenſam & infinitam eius pulchritudinem complectitur. Sed in hac tamen ſimilitudine maxima ſanè diſſimilitudo eſt. Nam imago illa (vt cæteras diſſimilitudines, de quibus antè locuti ſumus, omittamus) ſicut vitam non habet, ita auctorem ſuum minimè diligit. At contrà Dei Filius, qui eſt imago Dei inuiſibilis, vt vitam & diuinitatem habet, ita Patrem, à quo producitur, infinito amore diligit, & ab eo rurſum eodem amore diligitur: mutuum verò hunc ab vtraq. perſona productum amorem, tertiam in diuinis perſonam, nempe Spiritum ſanctum, credimus, adoramus, & confitemur: de quo Ioannes ait: Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Vt enim Pater Filium ipſum intelligendo producit, ita Pater & Filius ſeipſos mutuo amore diligendo, ſpirant ineffabili ratione Spiritum ſanctum. Has enim duas emanationes in diuinis ponimus, quarum altera per intellectū, altera per voluntatem exiſtit. Cùm enim Pater infinitam gloriam ſuam tradat, Filius autem eam à Patre recipiat: neceſſe eſt vt inter eum qui immenſam & infinitam gloriam largitur, & eum qui eandem recipit, infinitus amor intercedat: quem vtriuſque mutuum amorem Spiritum ſanctum appellamus. Amor quippe, qui in nobis accidens eſt, in Deo non accidens, ſed ſubſtantia, nec alia quàm diuina eſt, cùm ſimpliciſſima diuinitatis natura omnium accidentium expers ſit.

1.Ioan. 4.

Quòd autem in beatiſſima Trinitate cum vnitate ſubſtantiæ perſonarum diſtinctionem confitemur, eadem luminis ſimilitudine, qua paulo antè vſi ſumus, indicare vtcumque poterimus. Tres enim lucernæ noctu alicubi poſitæ, vnicum lumen in medium aërem ex ſe fundunt. Habet enim peculiare hoc natura luminis (quæ, vt paulo antè diximus, proximè ad ſpiritualem rerum naturam accedit) vt facilè lumini ita coniungatur, atque ipſum totum penetret, vt ex multis lampadibus vnum lumen in medio aëre efficiatur. Si verò ex his lampadibus vnam ſubtraxeris, aut etiam duas, minore quidem luce aër illuſtrabitur. Quo argumento colligimus, non eſſe impedimento illam lucis vnionem, quo minùs in ea diſtinctio ſit; quando adeò facilè altera ab altera ſeparetur. Hoc autem exemplo veluti manu ducimur, vt in altiſſima illa natura cum indiuidua vnitatis ſubſtantia diuinarum perſonarum diſtinctionem eſſe confiteamur: in quibus cùm ſit vna natura, eadem etiam eſt in illis gloria, eadem poteſtas atque maieſtas.

Simile.

Exiſti-

Existimo autem, fratres, me non ingratam rem vobis facturum, si quoddam insigne miraculum, quod ad huius mysterij vel expositionem vel confirmationem pertinet, hoc in loco vobis exposuero. Certissima multorum grauissimorum virorum relatione didici, fuisse in quodam Italiæ oppido, quod Montefalco appellatur, quandam excellenti sanctitate virginem Deo dicatam, quæ singularem erga beatissimæ Trinitatis atque Dominicæ passionis mysteria deuotionem gerebat. Cùm autem post obitum corpus eius in sacro loco cum magna reuerentia conditum fuisset, & cor eius (Deo ita disponente) medium scissum fuisset; omnia Dominicæ passionis instrumenta in vtraque cordis parte artificiosissimè descripta, & tunc inuenta sunt, & hodie quoque visuntur: & tres item globuli intra cordis sinum reperti, qui hodie quoque manent: quorum ea conditio est, vt duo tantundem habeant ponderis, quantum tres: & vnus etiam nihil minus quàm tres ponderis habeat. Hæc ipsa oculati testes ijdemque grauissimi viri non sine magna admiratione viderunt, & pro concione etiam populo exposuerunt: quò fideles & in fide præsentibus miraculis confirmarent, & diuinam erga sanctos suos Domini beneuolentiam atque gratiam collaudarent. Hæc igitur, fratres, ad huius ineffabilis mysterij explicationem (quod fideles omnes explicitè credere tenentur) dicta sunt. Vt autem fatigatum lectorem aliqua sermonis voluptate demulceam, & rem etiam, de qua agimus, magis conspicuam reddam, elegantissima Hieronymi Vidæ carmina, quæ ea ipsa, quæ hactenus persecuti sumus, apertiùs exprimunt, hoc in loco attexere libuit. Sic enim is quendam ex beatissimis spiritibus cum Deo loquentem inducit:

Tu Pater es, tu te fecunda mente volutans,
Ipsummet te totum obiens, in teq; reflexus,
Concipis ipse tui exemplum, tuæ imaginis instar:
Ceu cùm secum aliquid mortales farier orsi
Concipiunt tacito antè latens in pectore verbum,
Quàm vox aëreas audita edatur in auras.
Sed quod tu tecum mente ingens concipis alta,
Verborum haud simile est hominum dum corde premuntur;
Sed sine principio, dictu mirabile, Verbum,
Quod semper fuit, est, & erit sine fine, sine vllo
Interitu æternum; nulloq; obnoxius æuo
Fœtus ab æterno genitus, sine matre parenti
Filius, æterno Proles æquæua parenti.
Semper es, & nunquam tecum vnicus ipse fuisti,
Quin fuerit tecum pariter quoque & vnica Proles.
A vobis nunquam alter abest: regnatis vterque

Omnipotens, & vterque ingens, immensus vterque,
Et pariter Deus, æqualisq́; potentia vtrique.
Quin & concordes, vosq́; intermutuo amantes
Communi (nullis opus extricabile verbis)
Afflatu, æternum semper spiratis amorem.
Quodque ab vtroque fluit consorti Spritus aura
Numen habet, pariterq́; Deus quoque regnat vbique
Omnipotens, ceu tu omnipotens, ceu Filius ipse.
Treis tamen esse Deos si quis putat, auius errat:
Vnum numen idem tribus est, tribus vna voluntas,
Vna eademque tribus natura atque vna potestas,
Maiestasque eadem, atque Deum ter dicimus vnum.

II.

Quamuis autem arcanum hoc sola fide (quæ diuinæ reuelationi innititur) teneamus; non desunt tamen grauissimæ rationes à sanctis Doctoribus, ac præcipuè à Richardo de S. Victore adductæ, quæ fidem (vt ipse ait) illustrare non mediocriter possunt. Quas tamen in præsens omittere est animus, & hoc solum agere, vt nemo nostrûm aut animo angatur, si huius mysterij rationem minùs intelligat, aut minùs fidei ijs rebus præbeat, quas intellectu comprehendere non potest. *Lib. de Trinit.*

Non est igitur, cur solicitus & anxius esse debeas, quòd mysterij huius altitudinem non assequaris: non enim intelligere iuberis, sed credere. Sic D. August. veram originalis peccati fidem tenens, quam ex scripturis didicerat, cùm à Pelagio vrgeretur, vt responderet, per quas rimulas peccatum illud in mentes hominum irrepsisset, ipse fidei anchoræ firmiter alligatus, se id quod diuinæ litteræ traderent, inconcussa fide tenere ait: quamuis eo tempore id minùs intelligeret quod credere iuberetur. Vnde ad D. Hieronymum epistolam misit, obnixè ab illo flagitans, vt, si quid ea de re compertum haberet, secum communicaret, ipsumque ab eo animi angore liberaret. Hoc igitur sancti viri exemplum imitare, & satis habe quòd credas, quamuis non intelligas. Vnde idem August. Fides, inquit, adsit, & nulla quæstio erit. D. item Bernard. ad Eugen. Sufficit Christiano tenere sic esse. Sacramentum hoc magnum est; & quidem venerandum, non scrutandum. Scrutari hoc, temeritas est; credere, pietas est; nosse vita, & vita æterna est. Hæc ille. Scrutandi porrò periculum Sapiens ostendit, cùm ait: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Vt enim qui oculos in solem defigunt, oculorum aciem hebetant: ita qui è terminis assignatis egrediuntur, vt lucem illam immensam aspiciant, à maiestatis splendore opprimentur. *August.* *August. Bernard.* *Prou. 25. Simile.*

Verùm hæc simplex & indiscussa fides magno merito non

caret.

caret. Quo enim minùs intelligis quod credis, hoc maius tibi fidei meritum cumulas. Scitum enim est illud D. Greg. fidem non habere meritum, cui humana ratio prębeat experimentum. Hoc enim nomine miris laudibus ab Apostolo fides Abrahæ commendatur, quòd Domino prolem ipsi alieno tempore atque ętate promittenti crediderit, nec considerauerit corpus suum emortuum, nec emortuam vuluam Saræ, sed fide animatum plenissimè Dei veritati atque potentiæ gloriam dedisse. Gregor.

Sufficiat ergo ad fidei tuæ firmamentum diuinæ veritatis auctoritas. Si enim hoc mysterium firmissima tibi ratione ostenderetur, non dubium, quin fidem adhiberes. At multò magis credere debes, quia hoc diuinę auctoritatis testimonio comprobatur, cùm diuina veritas omnem humanæ argumentationis vim longè superet. Qua de re sic Euseb. Emiss. ait: Diuina opera non discutienda sunt, sed credenda. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum nouitas, sed sufficiat tibi omnipotens auctoritas: sit pro luce rationis, magni potētia conditoris. Non causeris si non subiaceat sensui tuo ordinationum cælestium magnitudo: excedit enim diuini officij dignitas humanæ mentis angustias. Quid sibi speciale, quid proprium reseruaret incomprehensibilis illa maiestas, si semper comprehendere posset sapientia hominum altitudines cælestium secretorum? Hactenus Eusebius. In hom. de initio Quadrag.

Quisquis autem angitur, quod ad huius arcani intelligētiam non assurgat, iniustè sanè queritur & angitur, cùm hoc mysterium omnem humanæ mentis intelligentiam longissimo interuallo superet. Tria enim sunt, quæ nos ab huius mysterij intelligentia remorantur. Primum immensa diuinæ maiestatis altitudo, quæ lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre in carne mortali potest. Posuit quippe Dominus tenebras latibulum suum. Quæ quidem tenebræ non illius, sed mentis nostræ sunt, quæ splendidissimum iubar lucis eius non sustinent. Helias Domino in monte transeunte, vultum suum operuit pallio; professus videlicet hoc opere, mentis nostrę aciem ad supernam illam lucem intuendam caligare. Hinc in libro Iob legimus: Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis. Simonides interrogatus olim ab Hierone Siciliæ tyranno, quidnam esset Deus, deliberandi sibi vnum diem postulauit. Cumque idem ex eo postridie quæreretur, biduum petijt: ac cùm ita sæpius quærenti duplicaret numerum, admiratusque Hiero tyrannus qui rogauerat, efflagitauit cur ita faceret: Quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscuror. 1. Tim. 6. Psal. 17. 3. Reg. 19 Iob 36. Cic lib. 1. de Nat. Deorum.

Desiderabat anxiè Moyses faciem Domini videre: cui tamen concessum est, vt posteriora Dei, non faciem, videret. Ad quod Exod. 33.

Exod. 33. dextera Dei protegitur, & in foramine petræ collocatur: vt intelligeremus, non valuis patentibus, sed veluti per arctum foramen homines diuina intueri, idque Dei auxilio adiuuante & opem ferente. Denique duo Cherubim, quæ Esaias Domino in maiestatis suæ throno assidentia vidit, senas alas habentia, duabus quidem velabant pedes eius, & duabus tegebant faciem eius, & duabus volabant. Hoc autem volatu se ad omnipotentis Dei cognitionem adspirare insinuabant, cuius tamen extrema, hoc est, pedes & caput, velata erant, quo indicio significatur, altissimas illas mentes maiestatem quidem Dei videre, sed æternitatem & immensam eius gloriam minimè comprehendere. Hæc ergo tantæ diuinæ naturæ sublimitas in causa est, vt ad eam penetrandam mens humana in hac vita assurgere non possit.

Esaiæ 6.

Nec minus nobis tum corporearum rerum consuetudo, tum mentis nostræ ad spiritualia atque diuina contuenda imbecillitas ad huius mysterij intelligentiam impedimento sunt. De consuetudine autem sic D. August. ait: Ex consuetudine rerum expertarum, inexperta diuina, infirmitas metitur humana. Iam verò humanæ mentis tarditas ad superna penetranda quanta est! Est enim (vt Philosophi tradūt) anima nostra in ordine substantiarum separatarum velut materia prima, & quasi tabula quædam rasa, in qua nihil sit depictum. Est præterea eadem mēs huic crasso & materiali corpori sic inclusa atque alligata, vt nihil in eam ingredi possit, nisi per crassi huius corporis sensus aditum sibi ad ea patefecerit. Vnde est illa à Philosophis iactata sententia, nihil esse in intellectu, quod non prius aliqua ratione fuerit in sensu. Ex quo efficitur, vt spiritualium substantiarum, hoc est, Angelorum naturas comprehendere non possimus: quia cùm corporis expertes sint, & per corporeos sensus ingredi mentem nostram nequeant; quid sint, ab ea intelligi non possunt. Idemque Philosophi asserunt, hoc esse mētem nostram ad spirituales & diuinas res intelligendas, quod noctuæ oculus ad solis lumen. Te igitur, homo, hoc est, tarditatem & imbecillitatem tuam cognosce, intra tuam te mensuram contine, nec velis ambulare in magnis & mirabilibus super te.

Ex te ipso autem ignorantiæ tuæ clarissimum argumentum cape. Est ne aliquid in vniuersa natura quod sæpius tractes, & cuius familiaritate & consuetudine arctiùs implicatus sis, quàm animus tuus? Non profectò. Age iam videamus, an animæ tuæ naturam cognitam habeas. Narra ergo primùm qui fieri potuerit, vt spiritualis substantia corpori ita coniungeretur, vt ex carne & spiritu vnus homo existeret. Si enim in ordine creaturarum corporea & spiritualis substantia maximè à se inuicem distant; quónam modo res adeò inter se distantes ac dissimiles in

vnam

vnam personam coierunt? Nec minùs tamen inter se actiones quàm substantiæ distant. Eadem enim anima (quòd maximè mirabile est) intelligit, vt Angelus; & sibi simile generat, vt equus. Quid, quæso, his duabus actionibus dissimilius atque distantius? Hæc autem tanta officiorum varietas Platonem, multosque alios Philosophos impulit, vt non vnam, sed tres in nobis animas esse statuerēt: quarum vnam in hepate, alteram in corde, tertiam in capite collocabant: re vera tamen vna solùm est, quæ tam varia officia in nobis exercet. Quamobrem (si magnis parua comparare licet) hoc esse dicetur anima in corpore suo, quod in toto mundo Deus. Sicut enim is in maiori hoc mundo omnia in omnibus operatur (quamuis nullo modo prauæ actionis auctor sit) ita anima in corpore suo; quod minor mundus appellatur. Quo fit, vt sublata anima, cætera omnia membrorum ac sensuum officia extinguantur. Quid igitur illud est, quo sublato, summus etiam orbis Monarcha nihil à sterquilinio distet? Quid illud est (in quo etiam anima nostra diuinæ substantiæ imaginem gerit) quod tota sit in toto corpore, & tota item in qualibet eius parte, vel in minimo etiam digito? Quis igitur hoc intellectu & cogitatione consequi poterit? Iam verò (quod maximè ad animæ cognitionem pertinebat) quis nostrûm animæ substātiam cognoscere potest? Omnium enim Philosophorum consona vox est, qua se animæ substantiam ignorare profitentur, cùm actiones tamen eius nunquam non experiantur. Ex quibus planè colligunt, animam quidem inter nos esse: cuiusmodi tamen ea sit, prorsus ignorare. Quòd si ad animæ naturam non attingimus; quónam modo Angelicam, imò verò quomodo diuinam substantiam, quæ infinitis partibus Angelica superior est, penetrare poterimus? Hæc autem planè ratio adeò efficax est, vt vel sola quietem & silentium curiosorum hominum ingenijs imponere debeat, ne hoc tentare audeant, quod omnem mentis humanæ vim & facultatem superat. Si enim homo non potest aut suam ipsius animam, aut Angelorum substantias intelligere, cùm diuina illa natura infinitis partibus omni creata natura sublimior sit; quid mirum si illam non assequitur, qui tanto minora capere non potest?

III.

Cæterùm si ne his quidem corporearum rerum similitudinibus, quas hactenus adduximus, contentus, maiorem tibi lucem ad diuinæ naturæ cognitionem præberi cupis, D. August. faciliorem tibi ad hoc viam breui oratione commonstrat, dicens: Qui vult habere notitiam Dei, amet. Amor enim (vt Diuus Gregor. ait) cognitio quædam est. Sit ergo voluntas intellectus magistra, non contrà. Hic enim ordo in mysticæ Theologiæ studio

Augus.
Gregor.

ſtudio ſeruatur: vt non tam intellectus voluntatem, quàm voluntas intellectum erudiat. Quonam modo inquis? Audi rationem. Cùm viri ſancti ſeſe ad immenſam diuinæ bonitatis & pulchritudinis ſpeciem contemplandam toto mentis affectu attollunt, ibique ardentiſſimo eius amore flagrare, & diuinæ ſuauitatis dulcedine perfrui, diuiniſque illuſtrationibus compleri incipiunt, his internis animi ſui motibus diuinæ bonitatis, benignitatis, ſuauitatis, & miſericordiæ amplitudinem intra ſe quodammodo experiuntur: quæ ſic eos velut quibuſdam dilectionis ſuæ brachijs amplectitur, ſic reficit & conſolatur, ſic mentes eorum noua quadam rerum diuinarum luce perfundit, ſic iacentes erigit, mœrentes conſolatur, infirmos roborat, ad omne virtutis ſtudium ſolicitat, & velut nouum quendam ſpiritum atque animum tribuit; ſic demum eos facit & terrena omnia faſtidire, & cæleſtium rerum deſiderio & amore flagrare, vt his indicijs atque experimentis inæſtimabilem de diuinæ bonitatis amplitudine cognitionem amando nanciſcantur: qua intellectus ipſe eruditus, talem de diuina bonitate ſententiam concipit, qualem ei voluntas his diuinis ſenſibus atque muneribus affecta tradit.

Quia verò huiuſmodi cognitio, quæ præcipuè à charitate magiſtra proficiſcitur, gratiſſima Deo eſt, ideo omnia ferè quæ litteris ſanctis continentur, nos ad eam inflammandam vehementer adiuuant. Itaque cùm immenſos diuinæ bonitatis & miſericordiæ theſauros, qui nos ad charitatem incitent & inflamment, perpetua oratione commendet, de ijs tamen quæ ad naturæ diuinæ celſitudinem, maieſtatem, & ineffabilem ſubſtantiam, atque altiſſimum ſummæ Trinitatis myſterium pertinent, pauca admodum tradit. Nam Ioannes Euangeliſta, qui inter cæteros huius Theologiæ ſcriptores hoc præcipuè ſuſcepit, vt Chriſti Domini diuinitatem aduerſus Ebionitarum hæreſim (quæ tunc maximè vigebat) aſſereret, initio ſtatim Euangelij breui oratione hoc myſterium complexus eſt, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Atque hoc myſterio adeò breuiter expoſito, ſtylum protinus vertit ad diuinæ bonitatis opera explicanda, ad eiuſdemque Seruatoris diuinitatem beneficiorum magnitudine comprobandam. Subdit enim continuò: Omnia per ipſum facta ſunt. Quibus verbis cælum, terras, maria, & omnia quæ ampliſſimo cæli ſinu continentur, in vſum noſtrum ab eo condita eſſe ait. Nec Ioannes tantùm, ſed cætera etiam diuinarum litterarum volumina, quid aliud quàm diuina beneficia, & diuinæ bonitatis & charitatis opera vbique prædicant atque decantant, quæ & charitatem noſtram incendunt, & ſpem in

Ioan. 1.

Deum

Deum alunt, & quas in eius miseratione opes repositas habeamus, ostendunt? Hac ergo docendi ratione significare Dominus voluit, quòd quamuis præcipuum beatarum mentium munus sit, Deum in cęlo semper intueri, pręcipuum tamen piorum hominum in terra est, eundem amare. Itaque se ipsum reuelata facie apertè cognoscendum exhibet in cælo, vt à beatis mentibus clarè videatur: bonitatis autem & misericordiæ beneficia ostendit in terris, vt ab hominibus ardentissimè diligatur. Hinc D. Augustinus cum Deo loquens, de vtraque ista cognitione sic ait: Cognoui te, non sicut tibi es: sed cognoui sicut mihi es: & non sine te, quia tu es lux quæ illuminasti me. Quod perinde est ac si diceret: Tu quidem in teipso ineffabilis & incomprehensus es, in me autem benignus, suauis, & misericors, ac postremo salus, vita, & felicitas mea es. Itaque, Domine, de te noui quòd mihi es, cùm non perinde nouerim quid tu in te sis. Noui quòd mentem meam ad te diligendum impellas, cùm non perinde naturæ tuæ celsitudinem & sublimitatem agnoscam. Hac igitur de causa nomen, quo se Dominus in litteris sanctis appellari voluit, huius dilectionis vim à nobis exigit. Hoc est, inquit, nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster; hoc est, Dominus sanctitatis, iustitiæ, ac proinde salutis & felicitatis nostræ auctor.

Dissimil.

August.

Hier. 23.

Cùm igitur Dominus maiorem nos operam in eo diligendo quàm cognoscendo ponere velit, & in hac quidem vita parum cognoscere, multum autem diligere valeamus, dilectioque ipsa longè maioris meriti quàm cognitio sit; consequens est, fratres, vt in hoc omnes incumbamus, in hoc neruos omnes intendamus, in hoc dies noctesq; insumamus, vt conditorem atque parentem vitæ nostræ, & auctorem salutis nostræ, qui nos ad imaginem suam condidit, qui prouidentia sua perpetuò seruat quos condidit, cui morte sua nos à morte redemit, qui sempiternæ felicitati destinauit, qui in nos Spiritum sanctum demisit, qui sacratissimi corporis sui alimonia pascit, qui denique nobis omnia factus est, tota mente, toto corde, totis viribus diligamus, nosque ipsos illi in sacrificium offeramus, milliesque pro ipso (si ita opus fuerit) vitam in tormentis abijcere cupiamus: vt charitatis huius merito, ad diuinæ visionis claritatem, quæ sinceræ fidei præmium est, peruenire valeamus.

IN EODEM FESTO BEATISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO TERTIA: in qua expoſito primò Dei nomine, QVI EST, diuinæ perfectiones ex eo conſequentes declarantur: deinde breuiter de altiſſimo ſummæ Trinitatis myſterio diſſeritur.

THEMA. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. vltimo.



IN HIS concionibus, fratres, quas in Sanctorum feſtis habere ſolemus, hanc ferè rationem ſequimur, vt præcipuas eorum virtutes & præclaras actiones explicemus: quò eximia eorum ſanctitas, & diuina gratia quæ illis ſemper affuit, illuſtrior & magnificentior appareat. Quia verò præſentis diei ſolemnitas non ſancti alicuius, ſed Sancti ſanctorum eſt, eandem dicendi rationem in hac ipſa concione ſequi conſtitui: vt videlicet altiſſimas Dei noſtri virtutes & laudes, quatenus infirmitati noſtræ conceſſum fuerit, ipſo adiuuante, & orationi noſtræ curſum dirigente, prædicem. Huius autem argumenti tractationi obſtat in primis ipſius rei, de qua agendum eſt, dificultas: quæ vt altiſſima, ita etiam & ad intelligẽdum difficilis, & ad explicandum difficilior eſt. Vnde Plato in Timæo, Genitorem, inquit, opificemque vniuerſi, & difficile eſt innenire, & inuentum impoſſibile explicare. Quia tamen hæc vel obſcura Dei cognitio totius pietatis & iuſtitiæ fundamentum eſt, dabo operam, fratres, vt ſubtiliora & altiora, quàm pro ingenij noſtri captu, prętermittẽs, ea ſolùm attingam, quæ & ad cognoſcendũ magis neceſſaria, & ad intelligendum ſint faciliora. Illud tamen, priuſquam rem ipſam aggrediar, præmonitos vos velim, huius argumenti tractationem præter alias inſignes vtilitates (quas in huius concionis fine breuiter attingemus) illis præcipuè, qui ſe diuinarum rerum contemplationi dediderunt, adiumenti plurimum allaturam. Vnde Dionyſius Carthuſianus vir inſigni religione & ſanctitate præditus, in eo libro quem de Contemplatione edidit, decem contemplationis genera alia alijs ſuperiora ac nobiliora deſcribens, principem locum ei tribuit, qua diuinas perfectiones & virtutes cõtemplamur, quas vel fidei lumine vel humana ratione aſſequi poſſumus. Ne nos igitur ſuauiſſimo contemplationis huius fructu atque ſuauitate fraudemur,

Plato.

Dionyſ. Carthuſ.

mur, eam in dicendo rationem sequemur, vt non modò quæ intellectum ad diuinitatis cognitionem erudiat; sed ea etiam quæ nos ad eius amorem & reuerentiam, tantæque maiestatis admirationem excitare queant, in medium afferamus. Quod vt piè & religiosè præstare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Inter varia Dei nomina, quæ & multiplices eius perfectiones laudesque designant, duo in primis celebrantur, nempe, QVI EST, & BONVM. Et illud quidem Ioan. Damascen. primum Dei nomen esse astruit. Sanctus autem Dionysius, BONI nomen præcipuè celebrat. Hoc enim nomen soli Deo conuenire Saluator ostendit, cùm adolescenti interroganti, Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi solus Deus. Illud verò nomen, QVI EST, idem Dominus Moysi ante omnes in libro Exodi capite 3. reuelare dignatus est. Ipsi namque legationem Domini ad Pharaonem recusanti, & dicenti, Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: si dixerint mihi, Quod est nomen eius? quid dicam eis? respondit Dominus, Ego sum qui sum: sic dices filijs Israël, QVI EST, misit me ad vos. Ex his igitur duobus nominibus, illud quidem ad beatissimæ Trinitatis mysteriũ explicandum maximè deseruit, hoc verò ad eas diuinæ naturæ perfectiones explicandas, quas rationis lumine clarissimi aliquot Philosophi assecuti sunt. Quia verò de his hodie me dicturum esse pollicitus sum, huius nominis ratio paulò mihi diligentiùs explicanda est.

Damasc.
Dionys.
Matt. 15.

Principiò quidem Dominus hac appellatione altissimam essentiæ atque naturæ suæ dignitatem super omnia, quæ ab ipso siue in cælo siue in terra condita sunt, insinuauit. Cùm enim essendi nomẽ sibi vni vindicauit, cætera omnia quę sunt, quamlibet maxima essent, sibi comparata, non esse, vel ferè nihil esse significauit. Si enim astra, quæ absente sole mundum illuminant, eodem præsente splendorem suum tueri nequeunt, & perinde sunt ac si non essent, cùm tamen solis lumen finitum sit: quid mirum, si quę esse habent certis limitibus circumscriptum, ante immensum illud & infinitum esse nihil sint? Hinc Esaias, Omnes, inquit, gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihil & inane reputatæ sunt ei.

Simile.
Esaiæ 40.

Duo tamen sunt obseruatione dignissima, quæ significare Dominus hoc nomine voluit, quæ viam nobis ad plurimas eius perfectiones intelligendas aperiunt. Primum enim cùm is sibi hoc nomen, QVI EST, tribuit, se solum esse designauit, qui

per se sit, hoc est, qui non ab alio pendeat, neque ab alio, sed à se ipso habeat vt sit. Constat enim creaturas omnes à conditore Deo vt essent accepisse, & ab eo item in esse conseruari. Quod enim semel condidit, semper conseruat: quod perinde est ac si semper crearet. Rerum enim conseruatio, creationis continuatio quędam est. Itaque tamdiu erunt, quamdiu conditor & conseruator voluerit. Ipse autem semper erit, quia à nullo alio, nisi à se ipso est. Illa ergo sunt non per se, sed per illum: ipse verò non per illa, sed per se est. Quocirca ille quidem velut fons, ista velut riuuli sunt à fonte manantes; qui tamdiu fluent, quamdiu fons illis aquas præbuerit. Illi igitur instar riuulorum à fonte pendent, non autem ab illis fons. Vnde liquet, rerum omnium siue cælestium siue terrestrium existentiam, accidens in illis esse, quod quidem abesse ab illis poterit, si conseruator voluerit. Quamuis enim Angeli corruptionis suæ causam intra se non habeant (vtpote in quos qualitates contrariæ non cadant) à prima tamen causa, nempe conditore ipso, illorum vita & existentia ita pendet, vt si is vel ad momentum prouidentiæ suæ dexteram ab illis auerteret, protinus in nihilum, vnde facti sunt, redirent. Solus igitur ille verè est, qui non ab alio, sed à se ipso est. Hinc Hilar. 7. de Trinit. Esse, inquit, non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, & naturalis proprietas. Quam rem vt apertiùs intelligatis, à terrenis regibus sumere licebit exemplum. Habent ij varios in regno suo magistratus atque vicarios, qui in certa personarum atque negotiorum genera imperium administrant. Hi autem omnes non à se, sed à rege imperandi auctoritatem acceperunt. At regis imperium non ab alio sed à se, hoc est, à regia potestate habent. Illi igitur non per se, sed per illum imperant. Rex verò non per illos, sed per se ius obtinet imperandi. Vt ergo à rege imperium in alios deriuatur: ita omniũ creaturarum existentia & à Deo est, & ab illo pendet: eius tamen existentia velut regis auctoritas, propria illi est, non aliunde suscepta. Quam quidem dignitatem hoc nomen, QVI EST, designat.

Simile. (margin, beside "non per illa, sed per se est")

Simile. (margin, beside "exemplum")

Idem etiam nomen immensam atque infinitam Dei nostri perfectionem declarat. Cùm enim dicimus, QVI EST, sine vlla vocis adiectione; non hoc aut illud esse, sed omne esse intelligimus, hoc est, non esse singulare, sed vniuersale, quod intra se omne esse comprehendit. Qua in re discrimen ingens inter conditorem & res conditas videmus: illarum enim existentia adiectis nominibus definitur. Itaque hoc dicimus esse arborem, illud animal; hoc hominem, illud Angelum. His igitur vocibus res omnes ad certas quasdam formas atque naturas constrictas esse designamus. Hinc de singulis quibusque

rebus

rebus dicitur, quòd vbi desinat eius perfectio, inde incipiat eius imperfectio. Finis quippe ille declarat, quidquid perfectionis aliis rebus insit, ad se minimè pertinere. At cùm Deum dicimus, QVI EST, nulla vlteriùs voce adiecta; nequaquã illum ad hoc vel illud esse contrahimus, sed omne illi esse in vniuersum tribuimus. Cùm autem omnis perfectio ab entis nomine minimè secludatur, imò verò id maximè sit, quod maximè perfectum est; efficitur planè, vt omnis perfectio ad Deum pertineat, & in eo singulari ratione, tanquã in vniuersali ente, vniuersalique bono, plenissimè contineatur. Has igitur præcipuas cõditoris nostri perfectiones & laudes (ex quibus cæteræ intelliguntur) hoc Dei nomen, QVI EST, breuiter insinuat. Hæc est autẽ summa laus & gloria, quæ de cõditore mundi Deo prædicari potest, ex qua cæteræ eius laudes & perfectiones colliguntur: quam Aristoteles naturalis rationis lumine ex conditarum rerũ conditione assecutus est. Qua de causa in 12. primę Philosophiæ lib. illũ esse actum purum aptissima ratione cõprobauit. Aristot.
Quid autem is actus puri nomine significauerit, vix alio cõmodiori exemplo, quàm materiæ primæ (quãuis paulò obscuriùs) explicari potest. Est autẽ materia prima infimum in genere entium; vtpote quæ nullam formam, nullamque perfectionem habeat, sed habere tamen possit. Vt enim lutum in domo figuli antequam formetur, nullius vasis formam retinet; retinere tamen poterit, si figulus voluerit: ita materia hæc in ordine rerum naturalium nullam omnino formam habet; sed habere tamen poterit, si formator accesserit. Hinc D. Aug. Duo, inquit, creasti, Domine; alterum prope te, alterum prope nihil. Prope Deum quippe est supremus Angelorum ordo: prope nihil autẽ est hæc materia prima; quæ actu nihil est, sed potest tamen esse. Vt igitur hæc materia in infimo mũdi loco, ita Deus in summo collocatur. Atque vt hæc nullam omnino perfectionẽ habet, sed habere potest: ita contrà ad Deum pertinet, omnes perfectiones, hoc est omnem sapientiam, potentiam, bonitatem, & dignitatem habere, nullamque his accessionem fieri posse, quòd omnia quæ habeat, summa sint, nec vllum incrementum pati possint. Vtque ad illam pertinet pati, & nullo modo agere: ita contrà ad Deum spectat omnia in omnibus agere, & nihil ab aliquo posse pati. Postremò vt ad illam pertinet recipere, non donare, cùm ipsa nihil habeat quod donare possit: ita contrà ad Deum pertinet omnibus omnia donare, & nihil à quoquam recipere, cùm nihil omnino ei desit, qui bonorum omnium compos est. Hoc est autem quod ipse Dominus apud beatum Iob ait: Quis antè dedit mihi, vt reddam ei? Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. Esaias quoque, Quis, inquit, adiuuit Spiritum Domini?

Dissimil.
Simile.
August.
Iob. 41.
Esaiæ 40.

mini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Hoc est autem quod Aristoteles actus puri nomine designauit.

I.

Ex hac autem summa Dei nostri perfectione omnes aliȩ cognoscuntur. Hinc enim intelligitur, ipsum immobilem atque immutabilem esse. Vt enim alias rationes prætereamus, omnis motus ex indigentia aliqua proficiscitur, cui per motum res ea, quæ mouetur, subuenire intendit. Nam & qui mare nauigant, qui terram exercent, & qui alicui operi intenti sunt, vel inopiæ vel cupiditati suæ consulere volunt; & æger, qui modò in hanc, modò in illam partem fessum latus inclinat, requiem aliquã hoc motu captare cupit, quã non habet. Cùm verò Deum nostrum in summa opulentia vitam agere dictum sit, quem ideo purum actum appellauimus, quòd nulla eius opibus & felicitati accessio fieri possit: quid, quæso, per motum acquirere valeat, qui bonorum omnium compos est? Adde etiam, quòd hac de causa Deum appellari actum purum diximus, quòd ad eum spectet agere, non pati; mouere, non moueri: & ideo quem actum purum esse dicimus, necessariò immobilem confiteri debemus.

Ex eodem etiam fonte apparet, eum nec initium habuisse, nec finem habiturum, sed semper fuisse, semperque futurum. Cùm enim illum in summo rerum vertice positum confiteamur, qui omnia sub se, nihil supra se videat; quis illi initium, quis finem dare queat? Ab alio igitur fieri non potuit, cùm nemo illo sit neque prior neque superior. A se autem multo minùs fieri potuit, si aliquando non fuisset. Semper ergo fuit, qui nec à se, nec ab alio fieri potuit.

Hinc etiam colligitur, nullam in eo esse successionem, qua alia desinant, alia incipiant: sed totum esse suum simul esse. Homo quidem cæteraque animantia paulatim & per incrementa temporum crescunt: & homo primùm infans, deinde puer, tum adolescens, & iuuenis, & senex est: in quo cùm noua succedunt, vetera transeunt, Apostolo testãte, qui ait: Cùm essem paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quãdo autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Hæc autem ætatum vicissitudo adeò non cadit in Deum, vt ne in mẽtes illas beatissimas (quas Angelos nominamus) cadat. Itaque totum esse Dei, tota potestas, tota bonitas, tota sapientia, totaque felicitas simul est: quia cùm sit (vt antè diximus) actus purus, nihil ei adijci, nihil nouum aduenire potest. Qua ex re (vt D. Thom. ait) æternitas Dei propriè colligitur. Est enim æternitas (vt Boëthius dixit) interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Ita fit, vt in hac æternitate nihil præteritum aut futurum sit. Aeterno quippe Deo nec præterita transeunt, nec futura succedunt: sed omnia

1.Cor.13.

D.Tho.

Boëthius.

omnia adeò illi præsentia sunt, vt tota eius æternitas instantis nomine significetur: in quo nihil prius aut posterius est. Hinc in Ecclesi.23. legimus: Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Eccli. 23.

Summa quoque diuinæ naturæ simplicitas compositionis omnis expers, ex eadem excellentia intelligitur. Partium quippe compositio ex indigentia nascitur, quia videlicet altera pars sine alterius adminiculo vel esse vel operari nequeat, vt in homine videmus: cuius anima in hac vita sine corporis obsequio officia sua exequi non potest. At indigentia nulla in eum, qui plenissimè perfectus est, cadere potest. Ad hęc, si summa illa natura ex diuersis partibus composita esset, nequaquam in ordine rerum prima haberetur. Partes enim, ex quibus aliquid constat, priores composito sunt, & opifex item qui eas copulauit, & in vnum coalescere fecit, prior est. Hoc autem motoris atque opificis primi dignitati manifestè derogat, quo nihil prius aut antiquius est.

Pręterea neque is corpus, neque forma corporis, aut virtus in corpore esse potest, quemadmodum rationalis anima humani corporis est forma. Cùm enim longè præstantius sit esse per se, quàm esse in alio (quod est alienæ opis indigere, & ab alio pendere) necesse est, vt per se sit, qui inter omnia præstātissimus est. Item cùm ea quæ corpori inclusa sunt, virtutem quoque suam illis alligatam habeant, nequaquam possunt extra præscriptos corporis fines vim suam exercere. Si ergo Deum primam rerum omnium causam, primumq. motorem cōfitemur, ab omni corporea mole immunem fateri debemus: quò liberè mouere omnia, & per omnia cōmeare sine vllo impedimento possit. Quemadmodum enim oculus, qui ad colores omnes videndos ab auctore naturæ destinatus est, omni colore caret (si enim peculiari aliquo colore tinctus esset, omnia quæ cerneret, eiusdem ei coloris faciem repręsentarēt) ita primus ille corporum omnium motor nulli corpori alligatus esse debet, ne eius vis eo veluti ergastulo inclusa, mouere cætera non posset. Atque hoc nomine iure laudatur ab Aristotele Anaxagoras, quòd primus mentem & intellectum corporis atque materiæ expertē, rerum omnium principium esse dixerit, quo se rebus omnibus tuendis & conseruandis sine vllo corporis impedimento insinuaret. Quæ quidem sentētia Anthropomorphitarum hæresim damnat: qui cùm tam crassa & hebeti mente essent, vt nihil spirituale cogitare possent, neque quidquam corporis expers in rerum natura esse crederēt, humani corporis effigiem & membra Deo tribuebant.

Simile. Anaxag.

I.

Ex eadem etiam sententia, qua Deum actum purum esse definiuimus,

finiuimus, sequitur etiam, diuinam essentiam esse infinitam. Cùm enim purus actus, hoc est, summa illa natura, nullo subiecto, nulla materia, nulloque corpore inclusa sit, nullisque terminis circumscripta, non habet vtique à quo finiatur: ideoque meritò infinita esse censetur. Quam quidem rem D. Thomas naturalium rerum ordine & magnitudine confirmat. Videmus enim, inquit, in elementis maiora esse quę nobiliora sunt; aquam enim, quæ terra nobilior est, decupla magnitudine terram superare aiunt, aërem verò longè maius spatium occupare quàm aquam, ignemque maius quàm aërem, cælos verò maius quàm ignem, postremumque cælum incomparabili magnitudine & alios cælorum orbes, & elementa omnia superare. Cùm igitur corpora omnia quo nobiliora sunt, eo in genere suo maiora sint; consequens est vt summa illa natura, quæ rerum omnium nobilissima est, in suo genere, hoc est, non corporea in mole, sed in essentia sua sit infinita. Neque hoc incredibile putabit, qui mentis suæ vim & facultatem fuerit contemplatus: quæ cùm spiritualis & simplex forma sit, per vniuersum orbem obambulat, & corpora omnia collustrat & circumplectitur. Quid ergo de mente illa beatissima, simplicissima, & potentissima censendum est?

D. Tho. In Comp. Theol.

Ex hac autem excellentia, omnipotentia Dei & virtus eius infinita cognoscitur. Potentię enim magnitudo, essentiæ dignitati respondet. Si ergo Dei essentiam immensam atque infinitam confessi sumus; consequens est, vt eius quoque potentiam infinitam fateamur. Qua quidem potentia hanc tantam ac multiplicem rerum vniuersitatem solo voluntatis suæ imperio & nutu ex nihilo, hoc est, nulla præexistente materia, condidit, eisque sedes suas atque naturas, suosque ordines atque officia distribuit: eademque omnipotenti virtute, quod semel condidit, sine vllo suo vel commodo vel indigentia conseruat. Qua de re Hieronymus Vida in Hymno ait:

Quod fieri nequit, ipse potes, potes omnia quando,
Nec tibi vis vlla obstat: agis simul omnia: nec te
Est opus antè animo, quod agis, versare sagaci.
Quod vis, id potes, idque simul molimine nullo
Perficis vsque: tuum sanè est opus ipsa voluntas.
Quod loqueris, facis idem: opus & vox editur vnà.
Vt dixti, vt subitò ad verbum emersere creata
Omnia, & ex nihilo cœpit splendescere mundus.

Nemo autem putet hanc tantam mundi fabricam vel parem omnipotentiæ diuinæ fuisse, vel totam eius vim & potestatem hoc tam ingenti partu exhaustam fuisse. Qua enim potestate hunc mundum condidit, eadem innumerabiles alios momento tem-

temporis condere potuisset. Quam rem quisquis attentius cogitauerit, non poterit præ huius tantæ virtutis admiratione non obstupescere. Hinc D. Basil. ex mundi huius opificio diuinæ potestatis amplitudinem considerans ait: Vt figulus, cùm eadem arte mille vasis effectis, nec artem nec vim exhausit: ita huius vniuersitatis effector non vni mundo parem habet vim effectricem, sed infinitis partibus præstantem; quippe qui solo momento ac nutu voluntatis, magnitudinem eorum quæ cernuntur, in lucem protulerit. Hactenus ille. Basil. in exam. Simile.

Præterea, si Dei essentia atque potentia infinita est, sequitur planè, vt eius quoque sapientia sit infinita. Cùm enim prior sit cognitio quàm operatio; si potentia, quæ operatur, infinita est, erit etiam infinita quæ illam antegreditur sapiéntia. Neq. verò rerum speciebus aut imaginibus ad intelligendũ indiget (quod creaturarum proprium est) cùm in essentia sua tãquam in splendidisimo speculo atque vniuersali causa eluceant omnia quæ ab ea manarunt. Ideoque nequaquam, vt homines, ratiocinãdo intelligit, ex notioribus ad ignota procedens: quoniam is simplici intuitu simplicissimam essentiam suam perpetuò contemplans, omnia oculis præsentia semper habet. Qua in re quãtum sapientia eius ab humana sapientia distet, hoc exemplo intelligetis. Salomon ille, qui mortalium omnium, qui vel eum antecesserunt, vel postea consecuti sunt, sapientissimus fuisse à Dño pronunciatus fuit, quamuis scientias omnes perfectissimè teneret, non poterat tamen eodem temporis momento omnia, quorum scientiam sortitus fuerat, habere præsentia. Humani quippe intellectus adeò angusta mensura est, vt multa simul cogitare nequeat: sed dum vnum aliquid cogitat, cogitare alia non possit, præsertim cùm ea multa ac varia sint. Hoc igitur humanæ sapientię proprium est. At diuina sapientia longè aliter intelligit. Omnia enim quæ nouit (nihil autem non nouit) semper intuetur, semper in actu intelligendi est. Hoc enim illi, & quia actus purus, & quia æternus est, conuenit; cùm æternitati omnia præsentia sint. Hinc de ipso Ecclesiasticus ait: A seculo & in seculum respicit, & in oculis eius nihil est mirabile: quia videlicet nihil illi nouũ aut vetus, sed omnia præsentia sunt. Idem etiam regius Propheta significauit cùm dixit: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui. Seculum dixit, cùm omnia omniũ hominum peccata, quæ sunt, fuerũt, & erunt, tam damnandorũ quàm seruandorum, comprehendere voluisset: quæ omnia adeò illi omni tempore sunt præsentia, ac si vnum solummodo peccatũ esset. Hæc res, fratres (vt hoc obiter admoneamus) nos cũ primis ab omni maleficio reuocare deberet, cùm firma fide teneamus, & Eccli. 39. Psal. 89.

Deum

Hebr. 4. Deum omnibus in locis adesse præsentē, & omnia nuda & aperta esse oculis eius. Hoc enim nomine Esaias & licētiam nostram,
Esaiæ 40. & diffidentiam accusat his verbis: Quare dicis Iacob, & loqueris Israël, Abscōdita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transibit? Nunquid nescis? aut non audiuisti? Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius.

Est & aliud quod mentes nostras non admiratione solùm, sed ingenti etiam amore illius altissimæ atque pulcherrimæ naturæ afficere debeat: quòd videlicet vna in se atque simplicissima existens, sine vlla summæ huius simplicitatis imminutione, omnes omnium rerum siue cælestium siue terrestrium perfectiones & pulchritudines in se vna complectatur, & innumeras alias, quæ vt illius propriæ, ita mortalium oculis incognitę sunt. Sicut enim
D. Tho. (vt Diuus Thom. ait) præceptor qui discipulū erudit, eam priùs
Quintil. artem atque doctrinam scire debet, qua discipulum imbuit (vnde est illud Fabij: Non incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore, nec altera res dat alteri colorem quem ipsa non habet) ita cùm omnipotens ille mundi rector & gubernator res omnes ad suam quamque dirigat ducatque perfectionem; necesse est ipsum multo pleniùs atque perfectiùs, quæ cæteris contulit, in se
Boëthius. vno continere. Hinc illud Boëthij carmen: Pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similique imagine formans.

Quodq. non minorem commouet admirationem, omnes hæ tam varię multiplicesque perfectiones nequaquam in eo plures,
D. Tho. sed vna tantùm perfectio est. Quam rem D. Thom. sensus & intellectus comparatione declarat. Quę enim vario modo à sensibus cognoscuntur (alias enim visus percipit, alias auditus, alias odoratus, alias gustatus, alias tactus) vnicus intellectus vi sua omnes comprehēdit atq. dijudicat. Nota enim illa Philosophorum sentētia est, ea quæ in inferioribus rebus diuersa sunt, in superioribus vniri atque colligari. Quocirca nihil mirum, si variæ perfectiones, quæ in rebus conditis sparsæ sunt, in simplicissima illa præstātissimaque natura ad vnam solam fecūdissimam perfectionem redigantur: quæ tamē instar omnium & supra omnia sit. Idem etiam altero exemplo non minùs apertè colligitur. Videmus etiā varias ac multiplices in quouis regno præfecturas esse. Alij enim pręsūt iuri dicūdo, alij rei militari, alij Regis ęrario, alij armamentario, &c. Horum autem omnium auctoritatem & iurisdictionem (quæ apud inferiores tam varia & multiplex est) vnus Rex habet, quæ in eo non multiplex, sed vna simplex auctoritas, & iurisdictio, regiaque potestas est. Hoc autē cuiusmodi sit, in hac vita pleniùs assequi non possumus, quod tamen ad al-
Zach. 14. teram reseruatur: in qua illud Zachariæ vaticinium implebitur:

In

In die illa erit Dñs vnus, & nomen eius vnum: in qua tamen vnitate beatæ illæ mentes, & felices sanctorum animæ, pro varia meritorum suorum ratione, immēsum quendam diuinarum virtutum campum intuebūtur. Cæterum in hac vita non potest intellectus nostri acies immensam hanc diuinæ pulchritudinis speciem cōtemplari, nisi eam in creaturarum speculo intueatur. Vt enim Deus ipse speculum nobis erit in patria, in quo res ab eo conditas videamus: ita contrà creaturæ nobis in via speculum sunt, in quo aliquid ex immensa eius perfectione agnoscimus. Omnia enim clamāt: Ipse fecit nos, & nō ipsi nos. Omnia clamant, quas ab ipso virtutes & opes receperunt, multo eminētiùs atque excellentiùs in eo existere. Itaque pulchra testantur ipsum esse pulcherrimū, fortia fortissimum, pura purissimum, sublimia altissimum, rectè instituta & ordinata sapientissimum. Denique quidquid felicitatis & gloriæ, quidquid sanctitatis & puritatis, quidquid bonitatis & benignitatis, quidquid stabilitatis, honestatis, decoris, splendoris, & lucis in tota hac rerum vniuersitate variè sparsum reperitur, in vno eo cum infinita dignitatis accessione continetur. Itaque immensę eius pulchritudinis, decoris, & sapientiæ nulla mensura, nullus terminus, nullus finis est: ideóque nemini nisi vni sibi plenè atque perfectè notus.

Cęterum hac lege quidquid in rebus conditis perfectionis est, summo illi totius perfectionis architecto tribuere debemus, vt quidquid imperfectionis aut materię illis inest, ab eo prorsus remoueamus. Hinc D. Augustinus, Intelligamus, inquit, Deum, in quātum possumus, sine qualitate bonum, sine quātitate magnum, sine indigētia creatorem, sine situ vbiq. præsentem, sine ambitu omnia continētem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem. August. 2. de Trinitate.

Decet igitur fidelem Dei seruum, eximioque eius amore flagrantem, illi de hac tantà dignitate, opulētia, & felicitate cōgaudere, illique cum Ecclesia pro hac immensa gloria gratias agere: pręsertim cùm is hac tāta sua opulētia & potētia in nobis creandis, ornandis, bonisq. omnibus locupletandis liberalissimè vsus fuerit; & in hoc ipsum nos condiderit, vt beatitudinis & felicitatis suę consortes efficeret. Hinc D. Basilius creationis rerum causam & originem cōtemplans (quę nō alia, vt Plato etiam sensit, quàm immensa Dei bonitas, non vlla necessitas aut indigentia extitit) tantę bonitatis amore inflammatus, vbi verba illa Gen. 1. In principio creauit Deus cælum & terram, explananda suscepisset, his verbis explanat: Beata natura, bonitas inuidia carens, amabilis omnibus, desiderabilis pulchritudo, initium naturarum, fons vitæ, lux quæ ratione intelligitur, sapientia cui nihil potest accedere: hæc initiò cælum terramque fabricata est. Basilius.

II.

Iam ex his quæ dicta sunt, fratres, philosophari incipiamus. Ex his namq. primùm liquet, quod initiò ex doctrina Dionysij Carthusiani diximus, inter omnia contemplationum genera, eam quæ de diuinis perfectionibus haberetur, principem locum tenere. Cùm enim diuinæ contemplationis actio ad charitatem in Deum inflammãdam dirigatur; quid nos magis ad hoc, quàm hęc tanta diuinę pulchritudinis & perfectionis opulentia in oculis & aspectu proposita excitare poterit? Cùm enim humana voluntas sic ab auctore naturę Deo instituta sit, vt sola bonitatis & pulchritudinis specie capiatur; quid potẽtiùs illam ad amorem allicere poterit, quàm hoc immensæ bonitatis, benignitatis, decoris, pulchritudinis, atque omnium perfectionum pelagus inexhaustum? Si insignis alicuius creaturæ forma & pulchritudo multos sæpe hominum de mente deduxit, multos in morbum & mortem etiam compulit; quid sentiet purgata à vitijs anima, in summi huius pulchri atque boni contemplatione defixa, cui omnis omnium creaturarum pulchritudo comparata, vix puncti instar sit? Quòd si nos, cùm de Deo vel loquimur vel cogitamus, nulla amoris eius dulcedine tangimur, immodicus terrenarum rerum amor in causa est, quo infecta mens nostra, tanto minùs spiritualia atque diuina degustat, quanto magis terrenis voluptatibus immersa est. Palato quippe non sano pœna est panis, qui sano est suauis; & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis. Qua de causa D. Augustinus appositissimo nomine Deum appellat, Purgatæ mentis sapientiam.

Simile.

August.

Ex eadem quoque doctrina cælestis præmij magnitudo (quod rectè agẽtibus post hanc vitam propositum est) colligitur. Præmium enim, quod essentiale nuncupant, est non per speculum aut in ænigmate, sed reuelata facie videre immensam hanc diuinæ pulchritudinis speciem: summũ illud & vniuersale bonum, in quo sunt omnia bona: primam illam veritatem, in qua sunt omnia vera: lumen illud incircumscriptum, quod splendore suo solem, lunam, & omnia astra cæli obscurat: exemplar illud absolutissimum, vnde omnes rerum formæ speciesque manarunt: speculum illud clarissimum, in quo rerum omnium conditarum pulchritudo cum infinita accessione lucet: oceanum illum vastissimum, in quo omnes aquę gratiarum atque cęlestium donorum continentur: & in eo sic immergi & absorberi, vt totus homo deiformis effectus, diuinæ magis quàm humanæ naturæ imaginem referat. Quis igitur, hac tantæ felicitatis spe proposita, non eius amore ardeat? non omnia propter illam velut stercora reputet? non denique per omnes etiam flammas (quod sancti Martyres fecerunt) ad eam peruenire contendat?

1.Cor.13.

Hinc

Hinc etiam liquet, quanto cum timore ac reuerentia, quantáque cura & ſtudio huic altiſſimæ maieſtati ſeruire debeamus. Quo enim maieſtas celſior atque ſublimior, hoc maiori ſtudio, timore, & reuerentia illi obſequi atque obtemperare debemus. Hoc eſt enim quod Apoſtolus à nobis exigit, cùm præcipit vt ambulemus dignè Deo per omnia placentes, & in omni opere bono fructificantes. Hinc etiam patet, quanto cum timore ac tremore ſacris altaribus aſſiſtere debeamus, ſacrum Domini corpus percepturi; cùm hanc tantam diuinæ maieſtatis celſitudinem ſub illa panis ſpecie latere, inconcuſſa fide teneamus. Coloſ. 1.

Hinc etiam videre licet, quãta ſit lethalis peccati deformitas, quæ hanc tantam maieſtatem violat atque contemnit. Conſtat enim tanto eſſe grauiorem offenſam, quanto perſona, aduerſus quam committitur, celſior atque ſublimior eſt. Quo fit, vt, cùm Dei celſitudo atque dignitas infinita ſit, peccati quoque aduerſus illum commiſſi deformitas hac ratione, id eſt, ex parte obiecti (vt Theologi loquuntur) ſit infinita. Vnde etiam liquet, ignis æterni ſupplicium quod mortiferi peccati pœna eſt, eſſe iuſtiſſimum, quoniam aduerſus infinitam maieſtatem atque bonitatem commiſſum eſt. Imò verò eam eſſe immenſæ illius bonitatis & maieſtatis dignitatem, vt ne æternum quidem gehennæ ſupplicium criminis huius ſatis digna pœna ſit. Vt hoc argumento intelligatis, fratres, quanta ſit amentia, quanta cæcitas & ſtupor eorum, qui leuiſſimis de cauſis, ſine vllo doloris ſenſu, tam multa paſſim in Deum ſcelera committunt.

Hæc igitur & multa his ſimilia, perſpecta diuinarum perfectionum magnitudo, de qua hactenus locuti ſumus, nos docet. Quæ res ne ipſos quidem mundi ſapientes omnino latuit. Præclarè enim Ariſtoteles nihil cenſet eſſe magis humanæ naturæ magnificentiæ accommodatum, quàm diuinam mentem contemplari. In eo enim munere omnem pietatis ſanctitatem, omnem officij religionem, in eo ſummam omnium, quam animus capere poteſt, voluptatem ſitam eſſe decernit. Ariſtot.

III.

Ad has quidem diuinæ naturæ laudes & perfectiones cognoſcendas, humana quoque inueſtigatio, doctrinæ ſtudio & rationis lumine ceu pennis quibuſdam ſubleuata, peruenire potuit. Supereſt aliud, quod non ratio, ſed Catholica fides de Dño Deo noſtro credendum proponit: nempe in ſimpliciſſima illa diuinitatis natura tres eſſe perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem, qui à ſeipſo, hoc eſt, à nemine eſt: Filium verò, qui à Patre genitus eſt: Spiritum verò ſanctum, qui ex Patre & Filio procedit. Itaque cùm ſubſtantia atque natura vna ſit, tres in ea perſonæ inter ſe diſtinctæ ſubſiſtunt. Hoc autem

tem sacramentum, quod mentis nostræ facultatem superat, Dei sublimitatem maximè prædicat: quæ tanta est, vt omnem mentis humanæ atque etiam angelicæ capacitatem superet. Verè enim nequaquam Deus esset, si intellectu nostro comprehendi posset.

Multi autem sunt ad hoc ineffabile mysterium credendum difficiliores, quòd illud ipsi ratione attingere non possunt. Hi certè vel sibi nimium tribuunt, qui nihil rationi suę inaccessum arbitrantur, vel humanæ rationis imbecillitatem prorsus ignorant. Si enim Philosophi mentem hominis velut materiam primam in ordine substantiarum separatarum (quas intelligentias vocant) esse docuerunt; quid mirum si res adeò infima altissimæ naturæ intelligentiam non attingat? Quæ sit autem humanæ intelligentiæ imbecillitas, ex suprema eius virtute atque conatu colligere licebit. Ea verò ad summum vsque gradum in excellentissimis Philosophis peruenit, in quos opes suas omnes natura effudisse videtur. Hi autem ingenuè fatentur, se plurima naturæ arcana (quæ in rebus corporeis visuntur) prorsus ignorare. Si igitur earum rerum, quas quotidie cernimus, quasque manibus contrectamus, ignorantia laboramus, quanto longiùs ab astrorum corporumque cælestium cognitione distabimus, quæ tam longo interuallo à nobis disiuncta sunt! quantoque adhuc longiùs ab angelicæ naturæ cognitione, quæ corporis expers est! quantoque adhuc longiùs ab altissima illa natura, quæ infinitis partibus omni creata natura sublimior est! Quàm multa ergo in illa erunt, quæ humanæ mentis acies penetrare nequeat!

Iam verò quid mirum si auctorem ipsum non attingimus, cùm ne eius quidem operum naturam penitus assequamur? Hinc Salomon ait: Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem: & quanto magis laborauerit ad quærendum, tanto minùs inueniet. Memorabilis illa Plinij sententia est: Naturæ vis ac maiestas singulis penè momentis fide caret. Tot enim res admiratione dignissimæ in multis animantibus quotidie visuntur (quibus se vitamque suam tuentur, quibusque & nocitura vitant, & salutaria conquirunt) vt humanam interdum fidem superare videantur; &, nisi à multis cernerentur, nullo modo crederentur. Vt autem quid hac ratione significare velim intelligatis, ex innumeris huius rei exemplis vnum solùm in præsentia commemorabo, & quod apud Plinium, & apud Ciceronem libro primo De natura Deorum legi, in medium proferam. Sic enim ait: Pinna (sic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cùm

Eccles. 8.

Plinius.

Pli. lib. 9.
Cicero.

cùm pisciculi parui in concham hiantem intrauerint, tunc admonita à squilla Pinna morsu comprimit conchas: sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressu ne aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturæ ipsæ congregatæ sunt. Hactenus Cicero. Ex cuius narratione colligimus quòd cùm naturæ auctor hoc genus conchæ, quæ à Græcis Pinna dicitur, sine oculis condidisset, hac mirabili & noua ratione eius (vt ita dixerim) cæcitati cōsultum esse voluit, vt squilla, hoc est, paruus quidam pisciculus eam perpetuò comitaretur, illique ad capiendam prædam pro oculis & monitore esset, & pro hoc labore atque industria prædæ partem acciperet. Hanc igitur tantam in paruis pisciculis sollertiam quis non miretur? quis hoc, nisi auctores grauissimi referrent, credibile iudicaret? Quorum tamen exemplorum innumera alia apud Plinium, Aelianum, cæterosque naturalis historiæ scriptores reperiuntur. Si ergo minima etiam Dei opera, quæ in animantibus videmus, nos in stuporem adducunt; quid ipse rerum omnium cōditor & auctor? Si is adeò mirabilis est in operibus suis, quanto erit in seipso mirabilior? Quid verò naturæ opera commemoro, cùm vix humani ingenij inuenta mens hominis assequatur? Si nunquam vasa vitrea vidisses, & aliquis tibi vitreum calicem mira specie nitentem ostenderet, adderetque illum ex arena & herbula quadam vnico artificis flatu fabrefactum fuisse, an non tibi ab eo, qui hoc diceret, illudi crederes? Rursusque si ei qui sericas vestes nunquam vidisset, diceres eas arte & consilio hominum ex fluida bombycum, hoc est, abiectissimorum vermiculorum materia fuisse elaboratas; is certè aut tibi narrāti minùs crederet, aut non posset vel tantam hominis industriam, vel tantam vermiculorum sollertiam non admirari. Qui ergo tam hebes ac rudis es, non modò ad diuinæ virtutis, sed etiam ad humani ingenij opera penitus cognoscenda, quomodo altissimum diuinæ naturæ, diuinæque generationis arcanum comprehendere cupis? Hac enim consideratione D. Hilarius, vir sanctissimus atque doctissimus, in his libris quos de hoc altissimo Trinitatis mysterio scripsit, se ipsum consolatur his verbis: Ego nescio, nec requiro, & consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, secula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogauit, Filius ipse non edidit. Cesset ergo dolor querelarum. Non putet homo sua se intelligentia generationis sacramentum consequi posse. Hac ergo de causa pius homo sola fide contentus esse debet, quæ omni humana demonstratione certior est; vtpote quæ Deo reuelante atque testante nititur.

Simile.

Sed fortè dices: Quónam modo sciam hæc fidei mysteria

fuisse à Deo reuelata? Hoc quidem ipsum fidei lumen interno quodam magisterio nos credere facit: hoc Ecclesia Romana (quam Apostolus columnam & firmamentum veritatis appellat) nobis credendum proponit: hoc firmissimus cunctorum fidelium assensus probat: hoc postremò innumera miracula, & Prophetarum vaticinia, sanctorumque Patrum testimonia, & vita innocentissimè acta, apertissimè testantur. Qua de re sic Richar. de S. Vict. ait: Sunt fidei nostrę mysteria Patribus reuelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs diuinitus confirmata, vt genus videatur esse dementiæ, in his vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula, & alia quæ non nisi diuinitus fieri possunt, huius rei fidem faciunt, & dubitare non sinunt. Vtimur itaque in eorum attestatione signis pro argumentis, prodigijs pro experimentis. Vtinam attenderent Iudæi, vtinam animaduerterent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac fide ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nónne cum omni confidentia dicere poterimus: Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? Hæc enim tantis ac talibus signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri potuerunt. Hactenus ille. His etiam adijce sanctorum Martyrum testimonia: de quibus sic D. Maximus inquit: Mater martyrij, fides Catholica est: in qua illustres Athletæ subscripserunt sanguine, morte iurauerunt. Nunquam enim vitam hanc tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. Hæc igitur sanctorum Martyrum mirabilis & inuicta constantia (vt innumera alia argumenta prætereamus) Catholicam fidem magnopere confirmant, quando ij extrema omnia pati, priusquam vel ad momentum ab ea discedere voluerint. Alij enim ferro perempti, alij flammis exusti, alij in equuleo suspensi & excarnificati, alij pectinibus ferreis laniati, alij super crates ferreas subiectis prunis assati, alij bestijs immanibus obiecti, alij præcipitio interempti, alij ad equorum indomitorum caudas alligati atque raptati, alij flammis balnearibus, aut candentibus laminis ad latera applicatis exusti, ac feruenti adipe peruncti, alij verò decoriati, & mille alijs formis cruciati, & hanc fidem tutati sunt: & quanta esset felicitatis gloria, quæ pijs actionibus in cælo reposita est, tormentorum suorum immanitate ostenderunt, cum Apostolo clamantes: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hac igitur tanta mercede proposita, fratres, nequaquam inerti otio & somno indulgeamus, sed strenuè laboremus, bonisque operibus continenter incumbamus, diuinisque præceptis parere omni studio contendamus. Neque enim in præsenti seculo tormenta

Lib. I. de Trinitate.

Maxim.

Rom. 8.



ta Martyrum à nobis exiguntur,ſed ſola veteris vitę pœnitentia & diuinorum mandatorum obedientia: quam ſi integram inuiolatamque ſeruauerimus, non dubium quin ad eam vitam perueniamus,in qua cum beatorum Martyrum cæterorumque Sanctorum agminibus beatiſſimæ Trinitatis myſterium, quod modò obſcura fide credimus, reuelata facie intuebimur, ſummiſque delicijs perfruemur, cùm æterni Patris immenſam maieſtatem, cùm Filij pulcherrimam & adorandam ſpeciem, cùm Spiritum ſanctum, hoc eſt, infinitum Patris & Filij amorem cõtemplabimur, ac poſtremò cùm incomprehenſibilem beatiſſimæ Trinitatis opulentiam, felicitatem & gloriam clara luce videntes,cum Propheta cantabimus: Sicut audiuimus, ſic vidi- Pſal. 67.
mus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: ad quam nos Chriſtus Dei Filius perducere dignetur, qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

IN EODEM FESTO BEATISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO QVARTA: in qua primùm diuinitatis vnitas,deinde perſonarum diuinarum diſtinctio, partim ſanctarum litterarum, partim verò inſignium aliquot Philoſophorum teſtimonijs comprobatur.

THEMA. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. vltimo.

IBET, fratres chariſſimi,ab eadem ſententia concionem hanc ordiri, qua Richardus de S. Victore libros de beatiſſima Trinitate exorſus eſt. Sic enim ait: Fidem eſſe totius ſpiritualis ædificij, & humanæ ſalutis ac felicitatis initium ac fundamentum, nemo eſt fidelium qui ignoret. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Nam vbi non eſt fides, non poteſt eſſe ſpes: oportet enim accedentem ad Deum credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: alioqui quæ ſpes eſſe poterit? Vbi autem non eſt ſpes, charitas eſſe non poteſt. Quis enim amet, de quo nihil ſperet? Per fidem igitur promouemur ad ſpem, & per ſpem proficimus ad charitatem. Quidquid autem habuero, ſi charitatem non habuero (vt Apoſtolus ait) nihil Ioan. 14.
mihi prodeſt. Quis autem ſit fructus charitatis, audis ab ore

veritatis: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Videtis ergo quibus gradibus ad beatitudinem ascendimus: nempe de fide ad spem, de spe ad charitatem, de charitate autem ad eam Dei cognitionem, in qua
Ioan. 14. vita ęterna consistit, dicente Domino: Hæc est autem vita ęterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vita itaque ex hac viua atque vigente fide, & vita quoque ex cognitione. Ex hac fide tanquam ex iustitiæ radice vita interna, ex cognitione vita æterna. Ex hac fide vita illa qua interim viuimus bene, ex cognitione vita illa qua in futuro viuemus beatè. Fides itaque totius boni initium est atque fundamentum. Quàm studiosos ergo in fide esse nos conuenit, à qua omne bonum & fundamentum sumit, & firmamentum capit!

Inter sacra autem fidei nostræ dogmata principem locum beatissimæ Trinitatis mysterium obtinet, quod aliorum caput & fundamentum est; cuius hodie festum Ecclesia celebrat. Qua autem reuerentia fideique simplicitate de hoc altissimo
Rom. 12. sacramento differendum sit, sacræ litteræ vbique docent. Hac
Ecclef. 5. enim de causa Apostolus ait: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Sic etiam Salomon: Ne temerè quid loquaris, ait, nec sis velox ad proferendum sermonem: Deus enim in cælo, & tu in terra: idcirco sint pauci sermones tui. Quibus verbis Salomon eandem nobis quam Apostolus scientiæ sobrietatem commendat, cùm paucis de Deo sermonibus vult nos esse contentos: rationemque subdit, quòd Deus sit in cælo, nos in terra. Quibus verbis dum ex locorum distantia mentis nostræ imbecillitatem, & diuinæ naturæ sublimitatem designat, à conatu & studio earum rerum, quæ facultatem nostram superant, prudenter auocat. Idemque Ecclésiasticus
Eccli. 3. monet, cùm ait: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed illa cogita quæ tibi præcepit Deus: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; plurima enim supra sensum hominis monstrata sunt tibi. Quòd si in perscrutandis operibus diuinis curiositas meritò damnatur, quanto erit damnabilior curiosa illius altissimæ naturæ perscrutatio, quæ omnem creatæ mentis intelligentiam superat? Huius autem curiosita-
Num. 4. tis periculum apertè Dominus Numerorum cap. 4. ostendit. Cùm enim castra mouenda essent, quid quisque Leuitarum ex sacris vasis, cæterisque tabernaculi supellectilibus portare deberet, his verbis præscripsit: Aaron & filij eius intrabunt tabernaculum, ipsique disponent opera singulorum, & diuident quid portare quisque debeat. Alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur, alioqui morientur. Hac autem lege Dominus, cuius periculi sit, diuinitatis arcana curiosius

riosiùs velle perscrutari,non obscurè declarauit. Si enim capitali pœna plectitur, qui tabernaculi terreni supellectilia curiosè intuetur; qua pœna dignus erit, qui altissimum Trinitatis mysterium simili affectu peruestigare contendit?

Quia verò hodie de hoc ineffabili mysterio dicturi sumus, procul ab hac commentatione curiositatem omnem & immodicam sciēdi cupiditatem ablegare debemus, & id solùm tradere, quod ad huius mysterij venerationem & veridicam confessionem satis sit: ne si præscriptos Domini voce terminos transilire, & ad montem, in quo Dominus loquitur, conscendere velimus, in pœnam ab eo propositam incidamus. Quocirca rectè Salomon, Mel, inquit, inuenisti, comede quod tibi sufficiat; ne (Exod. 19. / Prou. 25.) fortè satiatus, euomas illud. Hoc est, ea sobrietate diuinitatis mysteria (quæ melle & fauo dulciora sunt) perscrutare, vt non plus quàm quod ad salutem & fidei tuæ rationem expediat, sapere velis: ne si in altiora conatus fueris, earum altitudine deterritus, & ea non assequaris, & quę iam fide fueras assecutus, amittas. Vt hac igitur sobrietate ac religione de hoc altissimo mysterio disserere hodie valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quamuis diuina Sapientia in omnibus operibus suis mirabilis appareat, magnamque piè contemplantibus lætitiæ materiam præbeat (sicut Propheta canit, Delectasti me Domine in factura tua, &c.) in operibus tamen prouidentiæ suæ, non modò lætitiæ, sed maximam quoque admirationis causam subministrat. (Psal. 92.) Ad prouidentiæ autem rationem pertinet, omnia quæ ad rerum conditarum salutem, incolumitatem, & generis propagationem necessaria sunt, plenissimè atque exactissimè prouidere, neque vlli creaturę, quamlibet minimæ, vlla in re deesse. Ex hac autem prouidentia nascitur, vt omnia, quæ in mundo spirant & viuunt, alimentum sciant suæ naturæ cōueniens quęrere, noxias à salutaribus herbas distinguere, & morbis etiam suis (si in quos fortè inciderint) appositissima ad salutem medicamenta inuenire, & ab alijs insequentibus vel astu, vel viribus, vel præcipiti fuga, vel exquisitissimis latibulis sese defendere, & ad fœtuum suorum procreationem opportuna loca & tempora captare, nidos struere atque moliri, & inter marem ac feminam partito educationis labore, fœtus suos partim educere, partim alere atque defendere. Qua quidem in re cùm multa sint admiratione dignissima, tum illud maximè mirabile est, quòd cùm infinita pęnè sint in terra, in mari, & in aëre animantium genera, quæ non omnia vno, sed vario & multiplici ali-

mento egeant, nulli quamlibet exiguo animanti, nō vermiculo, non araneo, non formicę, non muſcæ, non poſtremò culici ſuum pabulū deſit, neque variæ artes, & appoſitiſſima corporis membra & inſtrumenta, quibus illud capere poſſit. Qua in re multiplex in illis & admiranda quęrendi cibi ratio eſt. Quędam enim humano more venantur, quædam piſcantur, quædam retibus prædam illaqueant, quædam clanculum furantur, quædam aſtu & inſidijs minora animalia petunt, quædam viribus, hoc eſt, vel vnguibus, aut dentibus, aut morſu alimenta quærunt. Quæ omnia eò pertinent, vt diuinæ prouidentiæ curam atque ſolertiam omnibus omnia prouidentem, non vno aut duobus, ſed innumeris penè argumentis declarent, & ad diuinæ Sapientiæ cognitionem mortales omnes erudiant. Quam quidem abſolutiſſimam prouidentiam, & eius cauſam, breui oratione Salo-
Eccli. 18. mon deſignauit, cùm ait: Non eſt addere quidquam vel minuere operibus quæ fecit Deus, vt timeatur. Hoc eſt, cùm nihil in cunctis rebus ad ſtatum mundi conſeruandum aut ſuperſit, aut deſit, ſed omnia in numero, pondere, & menſura conſtituta ſint; manifeſtè apparet, non caſu aut temerè, ſed ſummo conſilio & ratione ea omnia perfecta fuiſſe. Vnde illæ Philoſophorum ſententiæ manarunt: Opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, non errantis. Et illa, Naturam non deficere in neceſſarijs. Nunc iam, fratres, ex his quæ propoſuimus, ad inſtitutum noſtrum veniamus.

Si diuina bonitas adeò ſollicitam cunctorum animantium curam gerit, quantam putatis de hominibus ſuſcipiet, quos & ad imaginem ſuam condidit, & quorum gratia non modò cætera animantia, ſed cælum, terras, maria, ſolem, lunam, aſtra, & elementa, atque adeò omnia quæ in hoc inferiori mundo viſuntur, condidit? Si verò maximè proprium diuinæ prouidentiæ eſt, non deficere in neceſſarijs; quid, quæſo, rationali creaturæ magis neceſſarium, quàm conditorem & opificem ſuum, & ſinceram eius colendi rationem agnoſcere? Hæc enim cognitio, vitæ, ſalutis, felicitatis, & beatitudinis noſtræ initium & fundamentum eſt. Quomodo autem hæc ipſa rudis & hebes homo ſine vllius erroris admixtione, niſi Deo tradente, & eius ignorantiæ conſulente, cognoſceret? Argumento huius rei erunt infiniti penè atque inexplicabiles errores, quibus vniuerſum penè genus hominum ante Euangelij lucem & fidei prædicationem implicatum fuit. Nam vt à diuini numinis cognitione initium ſumam, quæ in cælo aut in terra creatura reperta eſt, cui inſania & furor hominum diuinitatis gloriam non impenderit? Principiò enim (quod ex ſacris literis conſtat) ſolem, lunam, errantia ſidera, atque adeò omnem militiam

cæli,

cæli, hoc eſt, aſtra omnia in Deorum numero repoſuerunt. Quæ quidem opinio (vt ex 2. Ciceronis libro de Natura Deorum colligitur) Stoicorum præcipuè fuit: qui cùm inter omnes Philoſophorum familias in primis celebres, & virtutis ſtudioſiſſimi haberentur (quòd in ea videlicet ſummum hominis bonum collocarent) tamen in hanc tantam ſtupiditatem atque amentiam inciderunt, vt non modò cunctis aſtris diuinitatem, ſed alimentum etiam ex ſubtiliſſimis terræ mariſque vaporibus tribuerint. Hæc enim Stoici cuiuſdam apud Ciceronem verba ſunt: Quare cùm in æthere aſtra gignantur; conſentaneum eſt, in his ſenſum ineſſe & intelligentiam: ex quo efficitur, in Deorum numero aſtra eſſe ducenda. Etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum qui terras incolant eas, in quibus aër ſit purus ac tenuis, quàm illorum qui vtantur craſſo cælo atque concreto. Quin etiam cibo, quo vtare, intereſſe aliquid ad mentis aciem putant. Probabile eſt igitur præſtantem intelligentiam in ſideribus eſſe, quæ & æthercam partem mundi incolant, & marinis terreniſque humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Hactenus ille. Hanc igitur Stoicorum puerilem atque fabuloſam dementiam quis non pleno cachinno irridendam putet? Verùm non in hoc ſolùm inſania hominum reſtitit, ſed à cælis ad terram deſcendentes, tyrannis ita adulari cœperunt, vt eos in Deorum numero reponerent. Sic Nabuchodonoſor Holoferni militiæ ſuæ principi mandauit, vt in omnibus terris, quas in ditionem ſuam redegiſſet, ipſum pro Deo coli faceret. Quam inſaniam imitatus Alexander, ſe Dei filium appellari præcepit; & Calliſthenem Philoſophum clariſſimum interfecit, quòd illi diuinos honores tribuere noluerit. Quid quòd Romani meretricem quandam nomine Floram (quæ corporis quæſtu ingentes opes comparauerat, quas populo Romano moriens teſtamento legauit) Deam fecerunt, eique Floralia, hoc eſt, digna turpitudine eius feſta inſtituerunt? Verùm non contentus generis humani hoſtis ad hanc tantam cæcitatem homines induxiſſe, draconibus etiam, ſerpentibus, & crocodilis hoſtias immolari fecit. Quam rem apertè Paulus in Epiſt. ad Romanos commemorat, dicens: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominum, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum. Nam & Aegyptios habuiſſe pro Dijs boues & pecora, ex libro Exodi didicimus. Hac enim de cauſa filij Iſrael in deſertum ſe ad ſacrificandum Domino ſuo proficiſci velle dicebant: ne ſi pecora & armenta, quæ Aegyptij pro Dijs colebant, Deo ſuo ante illos immolarent, lapidibus ab eis obruerentur. Sed quis tamen alium eorundem

Cic. 2. lib. de Nat. Deorum.

Iudith 2.

Rom. 1.

Exod. 8.

rundem Aegyptiorum furorem ferat, qui eò dementiæ, Satana agente, peruenerunt, vt (quod dictu quoque nefas eſt) allia, & cępe, & porros Deos fecerint, & coluerint? Itaque irridens hanc
Iuuenal. tantam hominum ſtupiditatem Iuuenalis, ait: Felices populi, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina. Hanc autem teterrimæ ſuperſtitionis amentiam ſimilia ſacra conſecuta ſunt. Tantus enim furor hominum mentes oppreſſit, vt non ſatis placari poſſe numina ſua crederent, niſi delubra omnia flagitio, dedecore, turpitudine, immanitate contaminarent. Itaque virgines in Deorum honorem proſtituebant, humanoque ſanguine aras aſpergebant, filios etiam immaniſſimè iugulabant: nullum denique erat tam dirum facinus, quod non in ſacrorum illorum procuratione ſuſciperent.

Cùm in his ergo denſiſſimis tenebris mundus ageret, conſentaneum erat, vt diuina prouidentia, quæ multo diligentiùs maiora quàm minora curare ſolet, huic tantę hominum cęcitati ſuccurreret. Si enim ea (vt paulo antè diximus) rebus ad ſalutem neceſſarijs non deeſt; quid, quæſo, homini magis ad ſalutem & ad felicitatem neceſſarium erat, quàm vt conditorem atque parentem ſuum agnoſceret, cognitumque pia mentis religione coleret, diligeret, obſeruaret, eiuſque ſanctiſſimis legibus obtemperaret? Hoc autem qua ratione homo tot ſuperſtitionibus illuſus, tantaque rerum diuinarum ignoratione oppreſſus, ſine vlla erroris admixtione, niſi Deo tradente, cognoſceret? Quanta eſt enim rationis humanæ vis & facultas, vt ad hanc altiſſimarum rerum cognitionem per ſe peruenire queat, quæ in infimarum etiam rerum cognitione caligat? Nota eſt enim illa Philoſophorum ſententia, maximam partem eorum quæ ſcimus, eſſe minimam eorum quæ ignoramus: hoc eſt, minimum eſſe quidquid Philoſophi omnes ſtudio & labore cōſecuti ſunt, comparatione earum rerum quas prorſus ignorant. Imò eam eſſe humani ingenij hebetudinem ac tarditatem, Academici Philoſophi cenſuerunt, vt nihil humana induſtria atque labore certum poſſe ſciri affirmarent, ſed ſolam nos de rebus opinionem, non ſcientiam habere, omnemque veritatem eſſe abditam, atque in profundum demerſam. Quam rem tot Philoſophorū familiæ, tam varijs inter ſe placitis & opinionibus diſſidentes, apertè docent: cùm tamen veritas ipſa ſimplex ſit, neque tam varias definitiones patiatur. Quid, quòd ipſe etiam homo vix in vna ſententia diu permanet, ſed ſingulis pænè horis commutatur, & modò huc, modò illuc ancipiti opinione rapitur? Quocirca neceſſe erat, vt diuina prouidētia huic tam pernicioſæ hominum ignorationi ſuccurreret, quò citra vllam mentis fluctuationem non modò ſeculi ſapientes, ſed rudes etiam atque hebetes homines

longis

longis Philosophorum ambagibus superatis, veram atque sinceram de Deo suo, deque eius cultu & veneratione sententiam inconcussa fide retinerent. Fides enim efficit, vt multo certiora credamus esse quæ à Spiritu diuino enunciata sunt, ijs quæ vsurpamus auribus, quæ cernimus oculis, quæ manibus contrectamus. Sensus enim & rationis argumēta fallunt sæpissimè, Deus autem fallere non potest. Est enim is constans in omni æternitate bonitas, & sapientia immensa, & veritas sempiterna. Ideoq. meritò Propheta, Beatus, inquit, quem tu erudieris Domine, & Psal. 63. de lege tua docueris eum. Quod quidem beneficium Seruatori nostro debemus, qui aduentus sui splendore mundi tenebras dispulit, idolorum nomina, iuxta Zachariæ vaticinium, è terra ita Zach. 13. disperdidit, vt non memorarentur ampliùs. Eius igitur beneficio ab hac tanta diaboli tyrannide liberati sumus, vt iam non ampliùs homo, conditore atque parente suo relicto, inducta à diabolo portenta adoraret. Constat autem nullum vnquam mortalium iam inde ab ipso mundi nascentis exordio tantum beneficium in homines contulisse: vt hac ratione & Christi Domini diuinitatem & potentiam agnoscamus; & quantum illi vel hoc nomine mundus debeat, intelligamus.

I.

Huius verò cælestis doctrinæ fundamentum est, vt religiosa fide credamus & cōfiteamur, Deum, qui in substātia atque simplicissima diuinitatis natura vnus est, in personis esse trinum. De vtroque igitur mysterio nobis hodie aspirāte diuina gratia, nempe vnitatis ac trinitatis, cum omni animi submissione ac reuerētia dicendum est: & priùs quidē de vnitate breuiter, deinde paulo fusiùs de altissimo summæ Trinitatis arcano disseremus.

Hanc igitur diuinæ substantiæ vnitatem Dominus in propositis de Euangelica lectione verbis insinuauit, cùm eos qui salutaribus aquis tingendi essent, non in nominibus, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizari præceperit. Quam tamen vnitatem apertiùs Ioannes Euangelista expressit, cùm ait: Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Ver- 1. Ioan. 5. bum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt. Verùm hæc ipsa vnitas, quam vbique sacræ litteræ testantur, apertissimis quoque rationibus demonstranda est. Nam si plures dij essent, necesse erat eos inter se distingui, & aliquid in vno esse quod in alio non esset. Tum inquireremus, an illud, quo alius ab alio distat, perfectio an imperfectio esset. Si imperfectio, is, qui hoc modo imperfectus esset, Deus vtique non esset, cùm Deus modis omnibus perfectus esse debeat. Si verò perfectio esset, qui ea destitueretur, simili ratione Deus non esset; quando nulla in summo summeque perfecto Deo perfectio desiderari debeat.

Idem

Idem etiam colligitur ex rerum conditarum ad ſtatum mundi conſeruandum mirabili vnitate & conſenſione. Conſtat enim mundum partim ex contrarijs elementis, partim ex diſſimillimis rebus eſſe compoſitum. Quid enim diſſimilius, quàm corpora cæleſtia atque terreſtria? Quæ autem diuerſa & contraria ſunt, quid aliud natura ſua quàm diſſimilitudinem & pugnam parere poſſunt? Quocirca ea quæ huiuſmodi ſunt, nullo modo ad vnum ordinem, vnumque finem, niſi ab vno aliquo dirigente reuocari poſſunt. Quod muſices exemplo apertè liquet. Nam ſi canentium voces temerè pro cuiuſque arbitrio ſine vllo ordine iactarentur, nullus planè concentus eſſet, ſed confuſus ac moleſtiſſimus variarum vocum clamor aures obtunderet. At cùm hæc vocum varietas ratione & conſilio ab aliquo muſicæ artis perito temperatur, & ad certum numerum reuocatur, ſuauiſſima harmonia, & gratiſſimus variarum vocum cõcentus efficitur. Hoc ipſum igitur in hac tanta rerum varietate videmus: quam ſapientiſſimus ille vniuerſitatis huius moderator ita temperauit, vt ex tam multiplici ac penè infinita rerum diſſimilium & pugnantium varietate, non pugna, ſed appoſitiſſima ad mũdi ſtatum conſeruandum atque ſtabiliendum conſenſio oriatur. Sic enim cæleſtia corpora, & errantia ſidera, ac præcipuè ſol (qui reliquorum ſiderum dux & gubernator eſt) conuerſiones ſuas conficiunt; ſic inferiora corpora illorum virtute fecundantur, vt ſingulis annis quaſi nouus quidam mundus, nouaque cunctorum animantium propagatio atque fœtura exiſtat: vt aliarum rerum naturæ lege deficientium interitus, aliarum naſcentium vita compenſetur, atque ita rerum ſpecies ab interitu vindicentur. Cùm verò quæ nata ſunt, quæque ſpirant, & viuunt, alimento egeant quo vitam tueantur; eadem natura, quæ nouos quotannis fœtus parit annuos quoque eiſdem alendis prouentus germinat: quibus producendis cælum, aër, terra, mare, ſoles, nubes, venti, pluuiæ, calores & frigora, ac poſtremò quatuor anni tempora mirabili ordine atque conſpiratione deſeruiunt. Hic autem aptiſſimus variarum rerum ordo atque concentus ad mundi ſtatum conſeruandum effecit, vt veteres olim Philoſophi mundi gubernatorem Deum appellarent muſicum, quòd res tam varias atque multiplices in vnam quaſi harmoniam conciliauerit. Hæc autem variarum rerum vnitas atque concordia ſimplicem diuinitatis vnitatem manifeſtè arguit. Quia verò artis eſt, naturam quatenus liceat imitari; humana quoque imperia, quæ multis hominum milibus conſtant, hanc vnitatis legem imitantur, dum vnum ſibi principem, vnumque toti Reip. corpori caput præficiunt: vt ita tandem pacis vnitas ab vno principe, vnoque conſilio, cui omnes conſentiunt,

Simile.

ſentiunt, oriatur; quæ multorum imperantium varietate reſcinderetur. Qua de re ſic D. Cyprianus ait: Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanẽs, rogis diſſidentibus, etiam in morte diſcordia; & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in ęmula poteſtate tenuerunt. Nec hic tu de homine mireris, cùm in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multò magis mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa quæcumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hactenus Cyprianus: qui tam multis exemplis tum ab arte, tum à natura petitis, diuinitatis vnitatem & ſimplicitatem oſtendit. Inter quæ tamen exempla, apum exemplum tanto cæteris efficacius eſt, quanto mirabilius eſt, in tam exiguo corpuſculo (vtpote paulo muſca grandiore) tantam ſapientiam inueniri, vt & Regem habeant, & illum, quocumque præceſſerit, comitentur; quodq. mirabilius eſt, maximeque propoſito noſtro quadrat, nullo modo duos Reges ſibi imperare patiantur, ſed altero ab eiſdem interempto, alteri Reipublicæ ſuæ gubernaculum tradant. Hoc enim opere, quod non à conſilio & ratione (quæ in illis nulla eſt) ſed ab auctore naturæ proficiſcitur, oſtendere idem voluit non à multis, ſed ab vno Imperatore ac principe vniuerſitatis huius Rempublicam gubernari.

Cyprian.

Simile.

I.

Hactenus, fratres, de diuinæ naturæ vnitate atque ſimplicitate: nunc de ſumma Trinitate, quæ religioni & fidei noſtræ loqui cõceſſum eſt, humili deuotione tradere incipiamus. Profitemur ergo, & gratias agimus ei, qui hanc nos Catholicam veritatem edocuit, in vna illa ſimpliciſſimaq. diuinitatis natura non vnam ſolùm, ſed tres perſonas exiſtere, nempe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem videlicet ingenitum, Filium à Patre genitum, & Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedentem. Hoc eſt autem myſterium, quod Eccleſia Catholica fidelibus adorandum, credendum, atque cõfitendum proponit, nemo autem plenam alicuius creatæ naturæ ſimilitudinẽ ad hanc rem intelligendam requirat. Cùm enim infinito interuallo ab omnibus rebus à ſe conditis earum conditor diſtet; fieri nullo modo poteſt, vt in ipſis aliquid ei omnino ſimile inueniatur: id enim Deus eſſet, ſi ei modis omnibus ſimile eſſet.

Cæterùm cùm effectus omnes cauſæ ſuæ ſimilitudinem aliqua

qua ex parte referant, Deus autem prima rerum omnium causa existat; nihil prohibet, imperfectam aliquam eius similitudinem, aut certè vestigium, in rebus conditis inueniri: quæ tamen, quo sunt natura præstantiores, eo maiorem similitudinem (si ita loqui fas est) cum diuina mente gerunt. Cùm verò anima nostra inter omnia, quæ in hoc inferiori mundo sunt, præstantissima sit, eaque ad imaginem & similitudinem Dei sit cōdita; in ea vtique expressiùs beatissimę Trinitatis & indiuiduæ vnitatis imago reperitur. Nam in ea primùm tres spirituales vires atque potentiæ inter se distinctæ, varijsque officijs destinatæ sunt; nempe memoria, intellectus, & voluntas: cùm tamen non tres animæ, sed vna solùm sit. Quin & ipsarum potentiarum ordo atque origo, mutuaque inter se habitudo (vt D. Anselmus, Diuusq. Bonauentura philosophantur) diuinarum personarum naturam aliquo modo adumbrāt. Quod quidem D. Bonauentura his verbis explicat: Constat planè vnumquemque nostrûm seipsum flagrantissimo amore diligere: minimè autem se diligeret, nisi se agnosceret atque intelligeret: non autem intelligeret, nisi sui meminisset. Vnde liquet, ex sui recordatione atque memoria oriri intelligentiam; ex intelligentia verò, sui amorem. Pater itaque memoriæ, Filius intelligentiæ, Spiritus sanctus voluntati assimilatur. Ex memoria enim oritur intelligentia, vt ipsius proles. Tunc enim aliquid intelligimus, cùm similitudo, quæ erat in memoria, in intellectus acie resultat: quæ nihil aliud est, quàm verbum. Ex memoria verò & intelligentia spiratur amor, tanquam amborum nexus. Hæc igitur tria, scilicet mens generans, verbum, & amor, sunt in anima; quo ad memoriam, intellectum, & voluntatem: quæ quidem tres animę nostrę vires sunt cōsubstantiales, coęquales, & coęuę, vtpote se inuicem consequentes, & indiuisa societate coniunctę. Cùm igitur Deus noster perfectissimus spiritus sit, habet vtique memoriam, intellectum, & voluntatem; & consequenter habet Verbum genitum, & Amorem spiratum: quæ tria necessariò distinguuntur (cùm vnum ab alio producatur:) distinguuntur, inquam, non essentialiter, aut accidentaliter; ergo personaliter. Hactenus D. Bonauenturæ verba. Hac ergo potentiarum animæ nostræ similitudine, mutuoque inter se ordine atque habitudine, tanquam per speculum & in ænigmate diuinarum personarum trinitatem atque indiuiduam vnitatem contemplari licet.

Ansel. in Mo.c. 56. Bonau. in itinerario mentis.

Hoc autem altissimum summæ Trinitatis mysterium in nouo quidem Testamento propter incarnationis Dominicæ beneficium apertissimè reuelatum est. Quod planè ea Domini verba, quæ initiò proposuimus, perspicuè declarant, quibus gentes

gentes omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizari, hoc est, baptismi virtute mundari, sanctificari, & in Dei filios, & regni eius hæredes institui præcepit: quæ omnia diuinæ potestatis opera sunt. Multaque his similia testimonia in nouo Testamento reperiuntur. Nec in veteri etiam arcanum hoc penitus absconditum fuit. Multa enim loca sunt, in quibus Prophetæ, diuino Spiritu acti, trium diuinarum personarum mysterium non tacuerunt. Porrò autem Filij Dei diuinitatem, qui pro nostra omnium salute carnem erat suscepturus, multò apertiùs confessi sunt. Hoc enim Vates regius testatus est, quando cum Rege Messia loquens, ait: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, &c. In quibus verbis bis illum Deum appellat: nam secundo loco Deus in vocãdi casu positus est, vt sit sensus, O Deus, vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Quid verò illud quo Saluator ipse ignorantiæ Phariseos conuicit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? Quo in loco duplicem Christi naturam intelligi necesse est: alteram qua Dauidis Dominus, alteram qua eius filius sit. Idem verò multo etiam aperiùs Esaias testatus est; qui cùm paruulum nobis natum fuisse dixisset, eundem protinus admirabilem atque Deum esse confessus est. Quid verò illud Ecclesiastici, Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ; an non apertè Patrem & Filium confessus est? Iam verò quo verborum splendore hoc ipsum Salomon prædicat? Verba, inquit, congregantes, filij vomentis (hoc est, varias sententias concinnantis, easque ad hominum salutem eructantis.) Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: Quis ascendit in cælum atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen est eius, aut quod nomen filij eius, si nosti? Videte quàm amplo exordio ad summum illud diuinæ generationis arcanum explicandum vsus fuerit. Quod nisi omnem humanæ intelligentiæ vim superaret, nunquam in narrationis fine illa verba adiunxisset: Quod nomen est eius, aut nomen filij eius, si nosti? Vocabulo enim nominis Dei diuinam naturam intellexit, quam omni creatę menti inaccessam atque incomprehensibilem esse declarauit.

Psalm. 45.
Matth. 16.
Esaiæ 9.
Eccli. 51.
Prou. 30.

II.

Sed minùs mirandum est, hæc tam illustria de vnico Dei Filio testimonia in litteris sanctis reperiri. Longè verò mirabilius est, aliquam huius mysterij cognitionem, licet imperfectam, in aliquot Philosophorum libris inueniri. Quamuis enim altissi-

S. Thom. mum Trinitatis mysterium (vt D. Thom. apertè probat(euidenti ratione demonstrari non possit; summus tamen ille mūdi moderator, qui hominem ad diuinitatis suæ cognitionem condidit, in omnibus mundi ætatibus aliquam diuinæ æternæque generationis cognitionem partim ex Sibyllarū vaticiniis, partim ex primi parentis traditione, apud illustres aliquot viros esse voluit. Sibyllas autem prophetico spiritu afflatas, omnia ferè Christi mysteria carminibus suis tradidisse D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 23. apertè docet; ac Diuus item Hieron. contra Iouinianum, cuius hæc verba sunt: Quid referam Sibyllas Erythræam atq. Cumanam, & octo reliquas (nam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio? Hæc Hieronymus. In qua sententia est etiam D. Thomas.

August. Hieron. 1. cõt. Ioui.

D. Th. 12. 9. artic. 7. ad. 3.

Ex harum igitur prædictionibus, simul & ex maiorum traditione à primo parēte per posterorum manus deducta, aliquam, licet imperfectam & obscuram, cognitionem insignes aliquot Philosophi habere potuerunt. Princeps quippe generis humani creatum se nouit à Deo, pulchritudinem mundi nascentis vidit, nomina bestiis imposuit, multaque alia intellexit, quoniam in eo fuisse certissimam scientiam constat. Nepotes autem eius, qui diu cum annoso patre vixerant, vidit Noë, audiuitque eos Theologiam diuini parentis recensentes, vt in paradiso creatus, vt moratus, vt pulsus fuisset. Mathusalem enim vnus ex posteris Adæ, medius inter Adam & Noë extitit, & vtrumque vidit: cum quo Noë quingentis ante diluuium annis consuetudinem habere potuit, & ab eo audire quæ de religione & veri Dei cultu à primo parente acceperat. Antea verò quàm decessisset Noë, natus est Abraham plusquam quinquaginta ante eius obitum annis: à quo eandem fidei doctrinam accipere Melchisedec & Abraham potuêre. Ab hoc autem pietatem & sapiētiam Iob viri sanctissimi emanasse credendum est; cuius tam illustre tum Dominicæ incarnationis, tum futuræ resurrectionis testimonium extat. Post diluuium autem constat homines in Chaldæa habitasse, iuxta quam etiam aiunt terrestrem paradisum fuisse. Primi igitur omnium antiquissimi sunt Chaldæi, ab his Hebræi, Aegyptij, nouissimi Græci, pòst Romani sunt nati.

Inter hos autem quidam clarissimi viri extiterunt, quos per hanc à primo parente descendentem Theologiam, Filij Dei generationem aliquo modo cognouisse apparet, quem modò Filium Dei, modò Verbum Dei, modò Mentem, & Sapientiam, rerum omnium creatricem appellarunt.

Ex horum igitur testimoniis (quæ esset operis infiniti recensere) tria potissimùm illustriora commemorabo, quæ magnam certè

certè vobis admirationem adferre possint, nempe Platonis, Plotini, atque Trismegisti. Porphyrius enim Christianæ fidei hostis (quam nesciens impugnabat) & suam & Platonis sententiam apertissimè describit. Sic enim in quarto De historia Philosophi ait: Ab hoc autem summo Bono ratione quadam hominibus incognita, genitam Mentem tradit Plato, quæ prorsus per se ipsam existat; in qua videlicet sint veræ res, & omnis rerum substantia: quòd & primò pulchrum, & per se pulchrũ sit, habeatque speciem pulchritudinis. Hæc & multa his similia Porphyrius Platonis mentem atque sententiam explicãs; cuius verba si quis sigillatim ponderauerit, inueniet planè nihil dici potuisse altius, grandius atque sublimius. Porphyr.

Plotinus verò clarissimus inter Platonicos Philosophos, de beatitudine & immenso Patris erga vnigenitum Filium amore, deque summa eorum coniunctione ac distinctione sic ait: Desiderat omne quod gignit, id quod gignitur, & hoc amat; maximè verò cùm soli fuerint gignens & genitum, cùm autem optimũ est quod gignit, necessario est cum eò cõiunctum quod gignitur, vt sola alteritate separentur. Dicimus autem imaginem eius esse mentem. Hactenus ille. Cuius verba sic August. Eugub. admirabundus exponit: Aduerte (inquit) diuinam profundissimamque apud Plotinum Theologiam, de sempiterna Filij Dei generatione ex Patre, & cum eo coniunctione, de beatitudine eiusdem ex intuitu in Patrem. Postremò ait, eos sola alteritate separari. Rem inauditam ac stupendam! Sola, inquit, alteritate Bonum ac Mens separantur: solis personis dicerent Christiani. Alter enim est Pater, alter Filius, non aliud, vel alterum. Tanta est enim inter duos illos perfectio, perfectaque coniunctio, quanta eorũ diuinitas. Tũ respice, quæso, attentiùs quid Plotinus tradat. Ait hæc mysteria, hos ipsos sermones, vltra mundana hęc sacramenta esse vetusta; & nunc quæ dicantur non esse noua, sed his explicari à veteribus tradita. Quibus verbis apertè insinuatur, hanc diuinæ generationis, Filijque Dei cognitionem non nouam, & in fine seculorum patefactam, sed etiam ante Euangelij lucem partim diuina reuelatione, partim maiorum traditione apud multos, quamuis non omnino plenè atque perfectè, viguisse. Aug. Eugubinus.

His addo multo mirabilius Trismegisti testimonium: cuius tam excellens ingenium, tantaque & tam multiplex atque mirabilis doctrina fuit; vt eum Græci Trismegistum appellarint: quòd is & Philosophus maximus, & sacerdos maximus, & Rex maximus fuerit. Hic in tanta hominum veneratione fuit, vt in Deorum numerum relatus sit, templa illius numini constructa quàm plurima. Quodque mirabilius est, maximeque diui-

num nomen temerè vsurpantium impietatem accusat, nomen eius proprium propter reuerentiam vulgò ac temerè pronunciare fas non erat. Cùm igitur summi huius viri & plurima & verè miranda sint de Verbo Dei testimonia, tũ excellẽtissimam eius diuinitatem Tat filio suo sic exposuit: Verbum opificis, ô fili, sempiternum, per se mouens, inaugmentabile, indiminuibile, immutabile, incorruptibile, singulare, semper sui simile, æquale, concors, stabile, vnum existens, est post Deum, qui prior intelligitur. In his quoque verbis quàm miranda de Verbo Dei continetur Theologia! quàm præclarum Christianæ veritatis & fidei nostræ testimonium! Quid enim mirabilius à Gentili Philosopho in hac re dici potuit? Hîc enim vides Trismegistum Verbum sempiternum prædicantem, eique eas conditiones, eas dotes dantem, eam vitam, eam substantiam, eum locum, qui diuinitatis proprius est. Cumque sit æternus, hoc quoque necessariò possidet, vt non possit augeri, nulla fieri ad eum possit accessio. Quid enim accesserit, quod non possideat? Quantumuis per vastum bonorum campum diuageris, quantumuis curiosiùs inquiras, an quid sic vsquã quod illuc non offendas, certè nihil occurreret quod non exuberet in regnis illis. Illudque in eo mirabile, & solitarium, ac singulare, quòd hæc bona aut labefactari, felicitasque tanta interpellari non potest, perinde vt augeri non potest. Eadem enim ratio minuendi atque augendi est. Cui potest detrahi, potest addi. Vbi tanta perfectio, vt aduentus rerum exterarum nõ habeat hospitium? Quid dico exterarum, cùm ipse sit omnia? & ne migrare quidem à sedibus suis possit? Est enim immutabilis, incorruptibilis, præditus natura non modò rara, sed singulari, semper eadem permanẽte, & sui simili semper; non quemadmodum nos, quorũ animi & corpora assiduis ceu fluctibus huc illuc deportantur, & tanquam in scena demutant facies. Eoque est æqualis, planus, non modò hac, modò illa mente, varioque sensu. Ipse enim dixit: Ego Deus, & non mutor. Et is est post Deum gradu. Pater enim dicitur Deus: sed cùm ipse dotes omnes diuinitatis obtineat, est etiam ipse Deus, sed Deus ab illo. In sermone autem qui dicitur Telios, Filium Dei alloquens, ait: Filius benedicti, ac bonæ voluntatis: cuius nomen non potest humano ore nominari. Quem locum citant Augustinus & Cyrillus, vterque doctissimus & sanctissimus. Videmus in his sapientiam Theologiamque Christianam, æternam quidem apud Deum, semper autem in mundo aliquo splendore radiantem. Hæc ergo in prisca illa philosophia reperiens, admirando expleri nequeo, attonitus obstupesco, letusque gratias ago Redemptori nostro, qui diuinitatis suæ paucis quondam reuelatæ notitia orbẽ terrarum impleuit. Benedictus igitur

Malach. 3

igitur summi Boni Filius, per quem & creati & redempti sumus, & eò vsque dilecti, vt non celauerit vsquam diuinitatis suæ sacramentum: cuius clementiam, benignitatem, & bonitatem sensit in omni ætate omnis terra. Hæc omnia ex Eugubino.

Verùm hæc, fratres, gratiarum actio ad commune totius generis humani beneficium spectat. Quisque tamen nostrûm pro singulari fidei dono sibi à diuina misericordia impenso gratias semper agere debet. Scitis enim verum esse quod Apostolus ait; Gratia estis saluati per fidem; & hoc nõ ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. De cuius virtute & laudibus sic D. Bernard. ait: Quid est, quod non inueniat fides? Fides enim falsi nescia, attingit inaccessa, deprehẽdit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac vsum naturæ, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Ephes. 2. D. Bern.

Cùm ergo fides adeò magnum Dei donũ sit, quas nos huius beneficij largitori gratias agere par est, qui inter tot variarum hæresum monstra atque portenta, quæ nostro hoc infelici seculo inundarunt, & (quod maius est) inter innumeras infidelium hominum, barbarasque Turcarum, Saracenorum, Iudæorum, Gentilium nationes (quæ vniuersum penè terrarum orbem impleuerũt) nos electi à Deo fuerimus qui in pusillo eo grege censeremur, quorum incorrupta & sincera fides est: cuius si ductum sequi voluerimus, sine vllo errore ad sempiternæ felicitatis portum appellere poterimus? Si felices octo illæ animæ iudicantur, quæ in arca Noë mundo pereunte seruatæ sunt: quanta eorum felicitas est, qui, toto penè terrarum orbe infidelitatis fluctibus submerso, in arca veri Noë, hoc est, in Ecclesia Christi manentes, ab hoc tanto fidei naufragio tuti & incolumes conseruãtur? Quas ergo dignas illi gratias agemus, qui nos hoc tanto munere donauit? quiq́. vt fidem nobis contulit, ita hactenus integram incorruptamq́ue inter tot fidei procellas conseruauit?

Quæ cùm ita sint, fratres, meritò accusandi, imò verò deflendi illi sunt, qui hoc tam ingens Dei donum frustra retinent, hoc est, qui fidem otiosam, velut gladium in vagina conditum, seruant: nec eo ad carnis suæ cupiditates abscindendas vti volunt. Hos namque Iacobus Apostolus arguit his verbis: Quid proderit, fratres mei, si fidem aliquis habeat, opera verò non habeat? nunquid poterit fides saluare illum? Quid enim prodest alicuius artis præceptorem habere, si præceptis eius non obtemperes? Quid iuuat medicum adire, si medicamentis ab eo præscriptis non vtare? Quorsum attinet difficilis viæ ducem habere, si ducatum eius non sequare? In quo autem salutis discri- Iacob. 2. Simile.

Lucæ 12. mine hi versentur, declarat formidanda illa cælestis Magistri sententia, quæ seruum domini sui voluntaté non ignorantem, neque tamen exequentem, acerbiùs vapulaturum ait. Nec minùs timenda illa Pauli vox est: Qui sine lege peccauerunt, sine Rom. 2. lege peribunt; qui autem in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Tales autem sunt qui veritatem Dei in iniustitia vinctam detinent: qui in libro Iob diuino lumini rebelles esse memorantur: qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant: qui postremò fidei talentum, sibi à Domino creditum, in sudario repositum habent: vtpote qui nunquam eo ad cælestes opes comparandas vsi sunt. Horum ergo, fratres, miserandam sortem lugeamus; illorumq. exempla sequamur, qui, fidei præceptis obtemperantes, fidei promissa percipiunt: cuius præmium esse constat, vt, qui beatissimæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis mysterium velatum crediderunt in via, reuelata tandem facie videre mereantur in patria.

IN EODEM FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS, CONCIO QVINTA: in qua primùm de incomprehensibili diuinitatis natura agitur. deinde ex præcipuo Dei nomine, quod D. Dionysius BONVM esse ait, beatissimæ Trinitatis mysterium topicis aliquot rationibus comprobatur: ac postremò mirabilem suauitatem in huius mysterij contemplatione esse exponitur.

THE. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. vltim.



HODIE, fratres dilectissimi, Ecclesia altissimum beatissimæ Trinitatis mysterium celebrat. Cætera fermè totius anni festa sanctorum laudibus dicata sunt, hoc verò festum Sancti sanctorum est: à quo velut à pereni & inexhausto sanctitatis fonte sanctorum omnium sanctitas emanauit. Itaque quantum inter sanctos ipsos & sanctitatis auctoré distat, tantum hoc festum cætera sanctorum festa antecellit. Huius autem argumenti tractationi obstat in primis ipsius materiæ, de qua agendum est, Aristot. obscuritas. Cùm enim iuxta Aristotelis sententiam nihil in rebus omnibus natura ipsa magis intelligibile quàm Deus sit,

nihil

nihil tamen est quod infirma intellectus nostri acies minùs intelligat. Cùm enim sicut color visus, ita esse rerum intellectus nostri obiectum sit (quod enim nihil est, intelligi non potest) consequens profectò erat, vt maximè Deum intelligeremus, quia inter omnia is maximè est. Vtrumque autem D. Bernard. expressit his verbis: Nihil Deo præsentius, & nihil incomprehensibilius: quid enim cuilibet rei præsentius, quàm esse suum? Sanè esse omnium dixerim Deum, non quòd illa sint quod est ipse, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sint omnia. Cumque ita ferat natura rerum, longè tamen aliter nobis euenit, qui nihil minùs quàm diuinam naturam agnoscimus. Cuius rei commodissimum in Sole exemplum habemus: qui cùm ex natura sua propter eximium lucis suæ splendorem maximè conspicuus sit; nihil tamen est quod imbecilla oculorum nostrorum acies minùs videre possit. Quid ergo mirum, si splendidissimus ille iustitiæ Sol, qui natura ipsa maximè intelligibilis est, infirmos tamen mentis nostræ oculos effugiat? Id autem euenit, quoniam (vt idem Philosophus ait) omnis nostra cognitio ortum habet à sensu: ideoque ea, quæ sentiuntur, maximè à nobis cognoscuntur. Quocirca res spirituales ac diuinæ, quæ quàm longissimè à sensibus distant (vtpote quæ corporis & materiæ expertes sint) longissimè quoque à comprehensione & intelligentia nostra absunt. Hinc Seneca, Deus, inquit, qui ista tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, maiorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est. Quid sit hoc, sine quo nihil est, scire nō possumus. Hæc ille. Quibus verbis insignis Philosophus incomprehensibilem diuinæ mentis naturam, & humani intellectus infirmitatem designauit; qui, more eorum qui oculorum lippitudine laborant, ad splendidissimam illam lucem contuendam caligat. Qua de re sic Hieronymus Vida in Hymno cum Deo loquens ait:

Simile.

Seneca in Epist.

Hieron. Vida.

Non te orbes capiunt, non ampla semita cæli
Ardua, non ratio, non mens, non denique sensus:
Atque adeò maris immensi tot stagna, tot vndas
Ebibere enitor, totumq; haurire profundum.
Hic mihi si æternùm sonet immortalis aheno
Gutture vox, centumq; obeant hæc munera linguæ,
Seminaque excudam laudum vsque abstrusa tuarum;
Haud equidem exiguam sperem comprendere partem.
Sint ideo potiùs tibi nostra silentia laudi:
O decus, ô iubar æternum, inuiolabile lumen;
Summum vnumque bonum, summarum maxima summa!

Hæc cùm ita sint, fratres, quibus intelligimus quàm impar intellectus nostri acies sit ad clarissimam illam lucem contem-

plandam: tamen hoc ipsum quod vel fide, vel intellectus nostri lumine consequi possumus (quamlibet exiguum sit) adeò nobis & salutare & necessarium est, vt nihil in rebus omnibus, quæ humana mente percipi possunt, magis nostra scire referat.

Claudius Marius. Vtrumque autem Claudius Marius initio statim Poëmatis sui significauit his verbis:

Summe & sancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprendere fas est,
Et nescire nefas.

His igitur verbis vtrumq. intelligimus, & Deum quidem incomprehensibilem & ineffabilem esse, & eius tamen cognitionem, ad quā humana potest imbecillitas aspirare, adeò esse necessariā, vt illum ignorare nefas sit. Quid enim rectè faciet, qui Deum penitus nō agnoscit? Cùm enim humanarum actionum rectitudo ex earum fine pēdeat, Deus autem vltimus humanæ vitæ finis sit; quid, hoc fine ignorato, Deo gratum effici poterit? Iam verò cùm humanæ vitæ felicitas (vt ipsi etiam Philosophi docent) in ipsius diuinitatis contemplatione posita sit; quonam modo felix esse poterit, qui Deum prorsus ignorat? Quamuis

Aristot. autem (vt Aristot. ait) pauca admodum sint quæ de Deo rebusque diuinis assequimur, idque obscurè & quasi per caliginem; eximia tamen earum dignitas facit, vt hoc ipsum, quod attingimus, tantam contemplanti iucunditatem afferat, vt in ea insignis hic Philosophus totam felicitatis humanæ rationem collocauerit. Ex his ergo liquere puto, fratres, quanto studio & contentione nobis elaborandum sit, vt ad aliquam diuini Numinis cognitionem perueniamus; non vtique viribus nostris freti, sed illius ope nixi, qui linguas infantium disertas facit. Hac enim

Richar. de Trinitat. Num. 22. spe Richardus de S. Vict. se ad huius mysterij tractationem excitabat his verbis: Ecce asina Balaam, quæ sessorem suum in itinere retardauit, nescio quo pacto me ad currendam hanc viam impellit. Audio & ego eam adhuc loquentem & dicētem mihi: Qui, quod loquerer, potuit dare mihi, poterit proculdubiò dare & tibi. Vt igitur de hac tanta re rudis sermo noster & balbutiens lingua dignum aliquid dicere queat, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Doctrinæ ordo exigebat, vt, priusquam de diuini Numinis natura & perfectionibus diceremus, esse aliquod in hoc mundo Numen, cuius vi & potestate omnia continerentur, ostenderemus. Sed quoniam hæc res totius generis humani, atque vnanimi seculorum omnium cōsensu comprobatur, ab hac quæstione supersedendum esse dixi: quandoquidem ipse etiam Epicurus,

curus, totius philosophiæ atque rationis euersor, & Deum esse, & colendum esse testatur. Velleij enim Epicurei Philosophi apud Ciceronem hæc verba sunt: Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem, hoc est, anteceptam animo quãdam informationem Deorum? Cùm enim non instituto aliquo aut lege sit opinio constituta, maneatque ad vnum omnium firma consensio, intelligi necesse est esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est: esse igitur Deos confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes, non Philosophos solùm, sed etiam indoctos; fateamur constare illud etiam, hanc nos habere siue anticipationem, vt antè dixi, siue prænotionem Deorum. Deum verò esse piè & religiosè colendum, idem in eodem libro affirmat his verbis: Præstans Deorum natura hominum pietate colenda est, cùm æterna sit & beatissima. Habet enim venerationem iustam quidquid excellit. Hæc ille. Cicero li. 1. de natu. Deor.

Quamuis autem veritas hæc tot assertoribus confirmetur, ne tamen nihil in mundo esset quod humana peruersitas atque malitia non temeraret, non defuerunt etiam qui diuinitatem partim in dubium vocarent, partim etiam tollerẽt. Nam Diagoras eam sustulit; & Protagoras Sophista in dubium vocauit. De Diis enim, essent nec ne, dubitare se dixit. Quæ quidem insania adeò Atheniensibus execranda fuit, vt eorũ decreto eius libri fuerint in concione combusti, & bona publicata, atque ipse in exilium missus. Hæc tamen insania non est cur nos solicitos facere debeat. Vt enim monstra aliqua in mundo reperiuntur (vt biceps homo, aut monoculus) quæ tamen nobis argumento non sunt, vt reliquos homines aut bicipites aut monoculos esse credamus, cùm hoc non inferioris naturæ lege, sed eius vitio fiat: ita sunt monstrosa quædam hominum ingenia, à communi naturæ lege abhorrentia, quæ non magis nos à concepta veritate auocare debent, quàm monstra mouent vt reliqua eiusdem speciei corpora eis similia esse credamus. Quod cùm vbique faciendum sit, tum maximè in huius veritatis confessione, quæ & omnium seculorum (vt antè diximus) consensu, & totius naturæ clarissimo testimonio cõfirmata est. Nemo enim est (vt Lact. ait) tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum. Hactenus Lactantius. Simile. Lactant. li. 1. diu. inst.

Hac igitur quæstione prætermissa, ad aliquam tum diuinæ maiestatis, tum beatissimæ Trinitatis cognitionem, aspirante Domino, accingamur. Qua in re primùm quidem qua potissimùm ratione ad incomprehensibilem diuinitatis naturam aliquo modo cognoscendam procedere debeamus, exponam.

Deinde verò non esse à ratione alienum id, quod Catholica fides de hoc ineffabili mysterio prędicat, ostendam. Postremò quanta diuini Spiritus dulcedine viri sancti perfruantur, cùm purgatæ mentis oculis hoc diuinum mysterium contemplantur, quantum Dominus dederit, explicare tentabo.

Prima pars.

Quando iam (vt modò diximus) Deum esse inconcussa fide tenemus, gestit continuò animus intelligere qualis sit. Hæc autem quæstio paucis absolui non potest: sed ne nihil hodie de diuinæ maiestatis celsitudine dixisse videar, quanta potero breuitate huic quæstioni respondebo. Sciendum ergo est, duplicem à sanctis Patribus viam assignari, qua ad diuinæ naturæ cognitionem assurgimus: alteram quidem affirmationis, alteram negationis. De priori igitur aliàs, nunc de posteriori dicamus. Hâc enim viam præstantiorem atque certiorem esse constat. De ea enim D. Dionysius ait: Ad hanc lucidam caliginem admitti oramus, vbi & non videre & non scire, est veraciter videre & scire, & Deum, qui est super omnia, ex omnium ablatione celebrare: sic enim imago pulchra in ligno aut lapide formata, per ablationem, non per appositionem fit. Hoc est, dum statuarius paulatim in lapide aut ligno partes à partibus ferro secat ac diuidit, tandem intra materiæ sinum simulachrum, quod ibi quodammodo latebat, in lucem profert. Hac ergo ratione sanctus Dionysius vult, vt ad diuinæ naturæ cognitionem assurgamus. Si quis ergo ad hanc cognitionem aspirat, ab omni rerum conditarum natura, conditione, proprietatibus, & legibus cogitationem abstrahere debet. Quam rem Cicero quoque intellexit: qui in hac inquisitione nihil esse difficilius iudicauit, quàm mentem ab oculorum consuetudine abducere. Verè enim nihil nos magis in hac inquisitione impedit, quàm quòd inter res, quas oculorum sensu vsurpamus, perpetuò versati atq. enutriti, quidquid mente concipimus, his, quæ videmus, simile iudicamus. Inde adeò factum est, vt multi nihil esse crederent, nisi quod oculis aut alio corporis sensu vsurparent; & multi item hæretici Deo corpus & humana membra tribuerent, quod ante ipsos Epicurei Philosophi fecerant. Itaque vt pastor ille Virgilianus ex viculo suo, in quo semper vixerat, vrbē Romam æstimare volebat, paulo tamen maiorem esse iudicans: ita multorum tarditas & ignorantia ex rebus conditis conditorem æstimare

Dionys.

Simile.

Cicero li. I. de natura Deor.

Virgil.

mare vult. Ab hac igitur ignoratione abducenda mens est, si ad aliquam diuinitatis cognitionem peruenire volumus.

Ad hoc autem statuenda priùs illa Ioannis Damasc. diuisio est, qua Ens primum diuidit in creatum & in increatum. Et in priori quidem membro omnia alia à Deo, in posteriori autem solum Deũ collocamus. Quia verò (vt Boëthius ait) diuisionis membra esse debent opposita; consequens est, vt omnia, quæ in rebus conditis inueniũtur, à Deo auferantur: quibus ablatis (vt de statuario dicebamus) Deũ quodammodo inueniemus. Deũ igitur confitemur esse altissimam & summã quandam naturã, omni creatæ naturæ dissimilem, infinitoque ab ea interuallo distantem: quam ille solus veriùs cognoscit, qui hanc in ea distantiam atque dissimilitudinem intelligit. Omnes quippe creaturæ sunt mutabiles, compositæ, variis accidentibus obnoxiæ, & esse suum aliunde, nõ à se ipsis mutuantes. Omnium certis terminis finita & limitata virtus atq. natura: quæ sub certo genere & specie ponitur, & differentia sua contrahitur, & propria definitione explicatur, & certo loco continetur. Hæc autem omnia longissimè à summa illa natura distant: quæ prorsus immutabilis, simplex, nullisq. accidentibus obnoxia: cuius neq. virtus, neque essentia vllis finibus coërcetur: quæ nec sub genere aut specie collocatur, nec differentia cõtrahitur, nec definitione explicatur, nec vllo certo loco continetur, cùm tota sit in toto mũdo, & tota in qualibet eius parte: & si innumerabiles mundi crearentur, eos omnes diuina eius essentia plenissimè repleret.

Damasc.

Boëthius.

Si quis autem quærat qua ratione sancti Patres ad altissimam hanc diuinæ naturæ cognitionem peruenerint; huic respondemus, eos ex diuinorum operum contemplatione ad hoc peruenisse. Vt hoc autem intelligamus, celebris illa Dionysij sententia ad memoriam reuocãda est: nempe tria esse in rebus omnibus, quæ eadem sibi mensura respõdeant, hoc est, essentiam, potentiam, & operationem. Est enim regia dignitas in Rege, parq. dignitati potentia, & magnifica item opera, quę huic potẽtiæ respondeant. Qua in re ex operum magnificentia potẽtiæ magnitudinem, ex hac autem regiæ diuinitatis amplitudinem colligimus. Hoc eodem ordine ad diuinæ naturæ incomprehẽsibilem substantiam cognoscendam ex mirabili operum eius cõditione assurgimus. Ex innumeris autem eius operibus tria nũc docendi gratia breuiter attingam: quorum primum est creatio, qua ex nihilo vastissimam hanc mundi molem in lucem produxit. Hoc est, tantum terrarum, tantum aquarum, tam immensa cælorum corpora, quorũ vel minima stella totius maris ac terræ magnitudinem multis partibus superat. Quæ igitur vis & potentia illa est, quæ fecit vt hæc tam ingentia corporà puncto temporis solo

Simile.

nutu è nihili, tenebris & abyſſo emergerent, ſeq́. in ſuis ſedibus collocarent? Querit Dñs apud Iob, de cuius vtero egreſſa ſit glacies: ego autem quæram, de cuius vtero tanta aquarũ immenſitas, quas Oceanus continet; tam ingentia cælorum ſpatia, quæ omnem ſupputandi rationem ſuperant; egreſſa ſint. Nec minùs operandi modus mirabilis eſt, quem Moſes expreſſiſſe in rerum creatione videtur, quoties hæc verba ſubdit: Et dixit Dominus, Producat terra herbam virentem, &c. Rurſumq́ue, Producant aquæ reptile & volatile in genere ſuo. Quid igitur mirabilius, quàm momento temporis ad vnius iuſſionis vocem tot auium genera ex aquis, totq́; piſcium ſpecies prodiiſſe? Atque hîc primùm videre eſt tot, tam varias excogitatas animantium figuras & formas, in quibus & vita, & ſenſus, & motus, & propagandi ſui vis, & propenſiones, quibus vitam ſuã tuentur, & corporum mirabilis fabrica cernitur, quæ omnia vnico diuinæ voluntatis nutu & facta ſunt, & eodem hucuſque tenore perſeuerant.

Iob 38.

Gen. 1.

Quis igitur hanc tantam vim atque potentiam non attonitus miretur, & obſtupeſcat? Pictores longo ſpatio ſimulacrum mutum vix abſoluunt; Reges terræ pluribus annis, multipliciq́ue opificum, ferramentorum, & materiæ apparatu vix regiam abſoluunt: at omnipotens ille Conditor ſolo nutu tot, tam varias rerum facies, cælum, terras, & maria condidit. Quantum igitur ab hac potentia hominum potentia diſtat!

Simile.

Poſt hoc autem diuinæ potentiæ opus, ſequitur quoque aliud verè mirandum, quod in variis rerum omnium ſeminibus quotidie cernimus. Quid enim mirabilius, quàm tam magna hominum corpora, & quorundam animantium multo maiora, ac multo etiam ingentium arborum moles, ex parua cuiuſque ſeminis materia inexplicabili ratione procedere? Quorum nõ ſolùm magnitudo mirabilis eſt, ſed multo magis opificij & ſtructuræ ratio, & pulchritudo; & in his quæ vitam habent, fabrica membrorum, & ſenſuum, eorundemq́; tam variæ functiones & officia, & (quod eſt adhuc longè mirabilius) ſenſus & motus, & affectus, atque propenſiones cuiuſq; animantis naturæ conuenientes, & ad vitam tuendam atq. conſeruãdam accommodatæ. Iam verò quis ex vnius piſcis vtero tantam piſcium multitudinem, quæ vix vllo numero comprehendi poteſt, quotidie prodire non miretur? Hoc tamen quod quotidie cernitur, nemo miratur; cùm vix quidquam in rerum natura mirabilius ſit.

Nec minùs formarum naturalium virtus diuinæ potentiæ magnitudinem declarat. Cuius rei vnicum dumtaxat aut alterum exemplum vobis proponam. Aqua, ſiue pluuia ſiue irrigua, plantarum omnium cibus & nutrimentum eſt. Cumq́. vna atque eadem aqua ſtirpes atque arbores omnes alat, cuiuſque

tamen

tamen arboris forma eam in suam naturam atque fructus conuertit; ita fit, vt eadem aqua in tam multiplices arbores, & arborum fructus singularium formarum virtute conuertatur. Si hoc non miraris, mirare saltem quæ sit illa virtus, qua pauonis anima (quæ forma eius est) hausti potus & cibi excrementa in pennas eo ordine atque ratione distribuat, vt tam pulchra & decora earum species mirantium oculis obiiciatur.

Cùm igitur hæc diuina opera tam longo interuallo omnem humanæ naturæ facultatem superent, tantamq. in auctore suo potentiæ magnitudinem declarent, potentia verò essentiæ suæ conditionem referat: quantum, quæso, diuina essentia ab omni creata essentia distabit, quando tantum diuina potentia ab omni creata potentia distat? Cùm ergo tantum inter ens creatum & increatum, hoc est, inter conditorem & res ab eo conditas, discrimen sit: quemadmodum stultè faciunt, qui conditorem è rebus conditis æstimare volunt; ita rectissimè faciunt, qui summam illam naturam à rebus conditis infinito interuallo separant, qui in ea aliam (vt antè diximus) essentiam, aliam naturam, aliam potentiam, aliam bonitatem, aliam pulchritudinem, aliam intelligendi, aliam operandi, aliam postremò existēdi rationem, creaturis quidem dissimillimam, humanis autem mentibus ineffabilem, incomprehensibilem, atque inexplicabilem confitentur. Hanc igitur negationis viam, sancti Patres certissimam ad diuinitatis cognitionē esse prædicant: qua quidquid illi affirmantes tribuunt, negantes adimunt. Hinc D. August. Cùm Deum (inquit) meum quæro, quæro quandam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus: quādam vocem super omnem vocem, quam nō capit auris: quendam odorem super omnem odorem, quem non capit naris: quendam dulcorem super omnem dulcorem, quem non capit gustus: quēdam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Hactenus August. qui his verbis quidem & rerum conditarum perfectiones conditori tribuit, easdemque rursum adimit: quia maior videlicet in his omnibus cum diuina mente dissimilitudo, quàm similitudo est. Ex quibus omnibus planè liquet, quàm longè summa illa natura ab omni creata natura, quantoque longiùs ab omni intellectus creati comprehensione distet. Vtrumque autem Angelus ille, qui Dei personam referebat, patri Samsonis indicauit. Quærenti enim quo nomine vocaretur, respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Miramur noua & insolita, & ea quorum rationem ignoramus: nihil autem magis nouum, quàm quod tantopere ab omnibus rebus conditis distat, nihilque cuius naturam minùs cognoscere, aut explicare valeamus. Quo fit, vt tum vel maximè Deum aliqua

Aug. Meditat.

Iud. 13.

ratione

ratione cognoscamus, cùm eius maiestatem à nobis cognosci non posse profitemur. Hinc D. Cyprianus de ipso loquens, Deus, inquit, videri non potest; visu clarior est: nec comprehendi; tactu purior est: nec æstimari; sensu maior est. Et ideo sic Deum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Hinc S. Dionysius, Perfecta, inquit, eius ignoratio, eius vera cognitio est, quia ipse supra omnem mentem & substantiam noscitur. Hæc tamen ignoratio sine aliqua cognitione non est. Quod quidem D. Gregor testatur his verbis: Purgata mens superno lumine illustratur, ibique contemplatur se non sufficere ad id quod rapta est, & veritatem sentiendo videt, quod non videt quantum sit. Tanto enim magis appropinquat, quanto existimat se longiùs esse: quam nisi conspiceret, nequaquam eam se conspicere non posse sentiret. Hæc de incomprehensibili diuinitatis natura breuiter pro temporis angustia dicta sint. Nunc ad beatissimæ Trinitatis mysterium veniamus.

Cyprian.

Dionys. Epist. 1.

Secunda pars.

Credimus igitur & confitemur in illa beatissima natura, quæ simplicissima est, tres subsistere personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Pater enim seipsum plenissimè ac perfectissimè intelligendo, Verbum suum, hoc est, Filium generat, alium in persona, sed non alium in natura. Pater autem & Filius mutuo se eodemque infinito amore diligentes, Spiritum sanctum spirant: qui sicut Filius Verbum Patris, ita Spiritus sanctus Patris & Filij amor est. Itaque cùm duas in summo Deo emanationes esse confiteamur, alteram ab intellectu, alteram à voluntate: per illam generatur Filius, per hanc producitur Spiritus sanctus. Hoc autē mysterium, quod supra omnem humanæ mentis rationem positum est, sola fide firmissimè credimus & confitemur. Verùm hoc ipsum quod Catholica fides prædicat, sancti Patres ita fidei dogma esse tradunt, vt quamuis euidenti ratione demonstrari nequeat (non enim cohærere euidentia cum fidei obscuritate potest) non tamen rationes aliquot desint, quibus huius mysterij fides fulciatur; & mens nostra, rationis lumine adiuta, alacrior ad credendum efficiatur. Quamuis enim fides nostra his rationibus minimè nitatur (vtpote quæ Deum veritatis huius auctorem & testem habet) cùm tamen naturæ lumen, sicut & fidei, à Deo sit, neque alterum alteri aduersetur, sed potiùs alterum altero iuuetur; efficitur sanè, vt mens nostra ad huius mysterij fidem promptior addatur, & in eius contemplatione maiori admiratione & lætitia compleatur, vt paulo pòst indicabimus.

Ad hoc autem sciendum est, duo esse (inter multa alia) celeberrima Dei nomina, nempe, QVI EST, & BONVM. Et illud

illud quidem ad diuinæ naturæ perfectiones, quæ rationis lumine intelliguntur, cognoscendas, viam aperit: hoc veró, nempe BONVM, ad beatissimæ Trinitatis mysterium (quod sola fide percipitur) aditum nobis patefacit. Hinc D. Bonauent. ex summa Dei bonitate diuinarum personarum Trinitatem conuenientissimè intelligi posse ait. Constat enim ex D. Dionysio de ratione boni esse, in alia sese effundere, seque aliis communicare, bonitatisque suæ participes omnes efficere. Quod quidem in Sole (qui inter creaturas, quæ solo corpore constant, principem locum tenet) animaduertere licet: qui lucis suæ splendorem liberalissimè in vniuersum mundum effundit. Hoc enim præcipuè bonitatis natura exigit, quæ ab omnibus appetitur (bonum quippe esse dicitur, quod omnia appetunt) ideoque necesse est, vt, quod ab omnibus desideratur, omnibus sese vicissim tribuat: aliter enim frustra appeteretur, si se ab appetētibus subtraheret. Quòd si hoc ad bonitatis naturam atque rationem pertinet; consequens est, vt quo aliquid maius & excellētius bonum fuerit, hoc se pleniùs ac largiùs omnibus communicet. Cùm ergo Deum summum in infinitum bonum esse confiteamur; consentaneum est, vt parem bonitatis suæ immensitati communionem illi tribuamus. Hæc autem locum habere non potest, nisi pariter cum ipsa diuina substantia tota diuinitatis plenitudo communicetur. Hæc enim summa & perfecta communio summam illam & perfectam bonitatem decet. Quidquid enim minùs communicauerit, infinitis vtique partibus ab hac communione distabit. Hac ergo plenitudine se æternus Pater Filio communicat, qui omnes diuinitatis suæ opes perfectissimè in eum transfundit. Ab infinito enim & inexhausto fonte fluuius quoque manat infinitus; & ab immenso claritatis lumine radius quoque origini suæ pari mensura, hoc est, sine vlla mensura, respondet. Pater autem & Filius eadem plenitudine substantiam suam, omnesque diuinitatis opes Spiritui sancto tradunt: qui ideo vtriusque donum esse dicitur. Hanc igitur perfectissimam communionem summa diuinæ naturæ atque infinita bonitas exigit. Si quis autem obiiciat, summam hanc bonitatem in mundi creatione immensas diuitiarum suarum opes in res à se conditas effudisse (hac enim de causa Seraphici illi spiritus, quos Esaias vidit, cælum & terram Dei gloria plenam esse prædicant, quòd videlicet in rebus omnibus diuinæ largitatis & magnificentiæ gloria miris modis eluceat) ad hoc respondemus, hæc omnia, & innumera alia si extarent, vix instar puncti esse, si cũ immensæ diuinitatis opulentia conferantur. Cùm enim hæc omnia finita, suisque finibus circumscripta sint, diuina verò substantia atque perfectio

Bonau. in itiner.
Dionys.
1. ratio.
Simile.
Esaiæ 6.

fectio sit infinita, quæ esse rei finitæ ad infinitam comparatio potest? Quocirca si in summo & infinito bono summa esse communio debet; quid illud magis quàm hæc ipsa communio decet, quæ inter diuinas personas reperitur?

Richar.li. 3. de Tri. 2. Ratio. Ex eadem etiam bonitate Richardus de S. Victore diuinarum personarum pluralitatem colligit hoc modo: Cùm in summa illa natura immensam bonitatis plenitudinem esse statuamus; consequens est, vt cum plenitudine bonitatis sit etiam plenitudo charitatis. Nihil enim esse charitate melius, nihil perfectius, Apostolo testante didicimus: quę sola ex Theologicis virtutibus in patria manet: 1.Cor.13. nemo autem, si se solū diligat, propriè charitatem habere dicitur. Oportet igitur vt amor in alterum quoque tendat, vt charitas locum habeat. Vbi ergo pluralitas personarum deest, charitas esse nō potest. Sed ais: Sunt quidem res à Deo conditæ, quas ipse eximia charitate diligit. Sunt planè: verùm summa & infinita charitas, quæ infinitæ bonitati respondet, erga creaturas esse non debet. Inordinata enim charitas esset, si summo amore diligeretur, quod summo amore dignum nō est. Impossibile autem est, in illa summè sapiente bonitate charitatem inordinatam esse. Vnde consequens est, vt persona ibi sit, quæ hoc amore infinito sit digna: quæ non alia quàm diuina esse potest. Summam enim dilectionem diuina persona non posset exhibere personæ, quæ diuinitate careret. Summa ergo rationis huius est, quòd plenitudo diuinitatis non potest esse sine plenitudine bonitatis; nec plenitudo bonitatis, sine plenitudine charitatis, nec charitatis plenitudo, sine personarum pluralitate constare potest. Hactenus ille.

3. Ratio. Idem etiam ex diuinarum personarum perfectione colligimus. Cōstat enim omnes creaturarum perfectiones in vno Deo multo perfectiùs atque eminentiùs quàm in eis reperiri, cùm omnis creaturarum perfectio ab eo manarit. At fecunditas in his quæ vitam habēt, qua sibi simile in natura producunt, vera perfectio est. Quin & ipsa ad hoc nō perueniūt, nisi cùm perfecta sunt: neque enim homo aut animal sibi simile producunt, nisi cùm ad iustam magnitudinē peruenerūt. Si hæc igitur vera hominum, stirpium, cæterorumq. animalium perfectio est, cur eam totius perfectionis architecto minimè tribuamus? Hinc Esaiæ 66. Dominus apud Esaiam, Ego, inquit, qui alios parere facio, ipse nō pariam? ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero? Quod perinde est ac si diceret: Existimas, homo, eum qui mūdum nutu & imperio procreauit, qui rerū omnium sator & altor extitit, qui animantibus, & arboribus, & minimis etiam plantis fecunditatem dedit, infecundum esse? & illum, cuius numine & volūtate terræ atque maria tam varium & multiplicem fœtum ediderunt,

derunt, nihil ex se gignere potuisse? Quomodo enim in conditam naturam fecunditatem inducere potuisset, si fuisset natura infecundus? Si generationis nomen exhorres propter animantium in propaganda sobole perturbationem Deo prorsus indecoram, nimis hebes & rudis es. Ita enim omnes omnium rerum actiones ad Deum reuocandæ sunt, vt omnis prius imbecillitas atque perturbatio secludatur. Itaque in generatione diuina neque motus vllus, neque consortium ad prolem suscipiendam intelligi sine summo scelere potest: cùm in Deum perturbatio nulla cadat, neque is sit qui consortio naturæ vllius indigeat: cùm fecunditas illius omnipotens, immensa, & infinita sit. Quid, quòd etiam immensa Dei nostri beatitudo non mediocriter huius mysterij fidem adiuuat atque confirmat? Si quis enim subtiliùs diuinæ naturæ sublimitatem consideret, inueniet planè Deum oportere esse maximum, optimum, & summum, ideoque vnum & solum: aliter enim nec maximus, nec optimus, nec summus esset. Si verò eius beatitudinem attendat, deprehendet nequaquam esse debere solum. Quæret enim homo idem illud quod apud Cic. quærit Hortensius: Quæ esse beata solitudo queat? Hinc illud ab omnibus iactatum, Nullius boni sine socio iucunda possessio. Cùm igitur hinc quidem Deum vnum, inde verò nequaquam solum esse debere confiteamur; quid conuenientius huic duplici dignitati statuere possumus, quàm eundē esse trinum & vnum? Vnitas quippe ad singularem eius dignitatem; Trinitas verò ad infinitam eius beatitudinem pertinet. Porrò autem si Deum id esse dicimus, quo nihil maius neque melius cogitari possit, melius est autem trinum simul esse atque vnum, quàm solum vnum (vt modò ostendimus) id ergo esse verè fatendum est. Cicero.

Iam verò quænam esse beatitudo, sine perfecto amore potest, 5. ratio.
cùm beatitudinis consummatæ atque perfectę rationem Theologi non modò in aperta summi boni visione, sed in summo etiā eius amore positam esse fateantur? Hanc autem sentētiam idem Richard. confirmat his verbis: Conscientiam suam vnusquisque Richard.
interroget, & proculdubiò inueniet; quia sicut nihil charitate melius, sic nihil charitate iucundius. Hoc nos docet ipsa natura, idem ipsum multiplex experientia. Sicut igitur in plenitudine verè bonitatis non potest id deesse quo nihil est melius: sic in plenitudine felicitatis deesse non potest id quo nihil est iucundius. Necesse est itaque in summa felicitate charitatem non deesse. Vt autem charitas in summo bono sit, impossibile est eum deesse, & qui, & cui exhiberi possit. Proprium autem amoris est, & sine quo omnino non possit esse, ab eo quem multum diligis, multum diligi velle. Non potest ergo esse amor iucundus, si non

sit & mutuus. In illa igitur vera & summa felicitate sicut nec amor iucundus, sic nec amor mutuus potest deesse. In amore autem mutuo oportet omnino vt sit & qui amorem impendat, & qui amorem rependat. Alter itaque erit amorem impendens, & alter amorem rependens. Vbi autem vnus & alter esse conuincitur, vera pluralitas deprehenditur. In illa itaque verę felicitatis plenitudine, pluralitas personarum non potest deesse.

His omnibus extremam addo siue conuenientiam siue rationem appellare malis: quæ ex immensa Dei omnipotentia simul cum bonitate colligitur. Quæri ergo potest, cur vna tantùm persona, non plures, in diuinis sit; an quia vna persona aliam ex se producere non possit, an quia non velit, cùm maximè posset. Si non posse dixeris, tollis ab omnipotente Deo quòd ipse cunctis viuentibus tribuit, nempe sibi simile posse producere. Si verò nolle ipsum dixeris, cùm id maximè possit, tollis ab eo non modò bonitatem, cuius est se alijs communicare; sed etiam felicitatem. Verè enim (vt paulo antè diximus) nihil charitate dulcius, nihil charitate iucundius, charitatis delicijs rationalis vita nihil dulcius experitur. His ergo delicijs in æternum carebit, si consortio carens, in maiestatis solio solitarius permanserit. Ex his itaque animaduertere possumus, qualis quantúsve esset iste beneuolentiæ defectus, si plenitudinis suæ abundantiam mallet sibi soli auarè retinere, quam posset, si vellet, cum tanto gaudiorum cumulo, cum tanto deliciarum incremento alteri communicare. Constat igitur quòd in illo indeficienti bono, summeque sapienti consilio, tam non potest esse auara reseruatio, quàm non potest esse inordinata effusio. Hactenus Richard. Hæc sunt, fratres, quibus humana quoque ratio Catholicæ fidei suffragatur: dum personarum pluralitatem in summa illa natura esse debere ostendit. Nequaquam tamen fides nostra his rationibus nititur, sed alacrior tamen ad credendum efficitur, cùm rationis lumen fidei lumini adstipulatur.

Tertia Pars.

NVNC quoniam sancti viri nulla magis in re, quàm in altissimi huius mysterij contemplatione acquiescunt, nullaque pia cogitatio magis eos diuini amoris igne incendit, & nulla magis in tantæ maiestatis admirationem cum summo gaudio coniunctam rapit; qua ratione id fiat, paucis explicandum est. Quamuis enim hoc contemplationis genus ad omnes minimè pertineat (vtpote quod purgatam mentem, & diuini amoris igne flagrantem requirit) non deerunt tamen aliqui, quos Dominus ad spirituale contemplationis huius gaudium atque mirabiles delicias rapiat.

Huius

Huius porrò gaudij sincera & incensa in Deum charitas fundamentum est. Proprium quippe charitatis est, de dilecti felicitate non minus quàm de propria gaudere. Cùm enim veræ dilectionis sit, amantem cum re dilecta copulare, & ex duabus animabus vnam quodammodo efficere; necesse est bona & mala omnia vtrique parti esse communia. Hoc autem in parentibus filiorum amantissimis animaduertere licet: qui vt non minùs eorum calamitates quàm suas lugent, ita non minùs de eorum felicitate quàm de sua lætantur. Quod cùm ita sit, consequens est, vt pia mens, quæ eximio Dei amore ardet, mira suauitate atque dulcedine oblectetur, cùm immensam eius felicitatem & gloriam puro mentis intuitu contemplatur. Sicut autem consummata hominum & Angelorum felicitas in summi boni contuitu & dilectione sita est: ita ipsius etiam conditoris nostri beatitudo in eiusdem summi boni, hoc est, in sui ipsius comprehensione & amore consistit. Huius autem amoris immensitas (qua se inuicem diuinæ personæ diligunt) ex eo colligitur, quòd omnes diligendi rationes ibidem cum infinita eminentia reperiantur. Simile.

Est enim præcipua dilectionis causa, eximia bonitas in oculis & aspectu proposita: quæ quanto est maior, tanto magis sui amorem in amantis voluntate accendit. I.

Nec minus insignis decor & pulchritudo, atque omnis item perfectio ad sui amorem vehementer allicit & inuitat. II.

Similitudo quoque, præsertim animorum, amoris causa est: cùm amans, dum alterum amat, non tam alium, quàm se ipsum amare videatur. III.

Beneficentia quoque magnum dilectionis incitamẽtum est: quæ etiam quo maior est, hoc est maioris dilectionis argumentum. Fieri enim non potest, vt non maximè diligas, in quem maxima beneficia contuleris. IIII.

Consanguinitatem etiam & propinquitatem mutui amoris causam esse omnes experimur. Ea namque multi vnum quodammodo efficiuntur. Quanto autem est vnio maior, tanto charitas ardentior est. V.

Adde his etiam alterius erga te amorem, qui vehementer ad mutui amoris vicem reddendam sollicitat. VI.

Omnes igitur hæ diligendi rationes inter diuinas personas cum summa & immensa perfectione & eminentia inueniuntur. Quælibet enim persona est ipsa bonitas pura, perfecta, atque infinita: ideoque infinito amore dignissima. In vnaquaq. item est summus decor, & immensæ pulchritudinis species, atque omnium perfectionum pelagus inexhaustum. Similitudo quoque inter diuinas personas tanta est, vt eadem in tribus perso-

nis substantia, eadem diuinitatis natura, eadem potentia, eadem sapientia atque maiestas sit. Est etiam in beatissima Trinitate summa beneficentia, hoc est, plena bonorum omnium communio atque diffusio. Vnde consequens est, vt infinitam largitatem infinita quoque dilectio consequatur. Quòd verò consanguinitatis propinquitatem amoris causam esse dicebamus, hic longè alius propinquitatis modus est, cùm vna persona ex alterius substantia producatur, totæque tres personæ essentialiter idem sint. Præterea vnaquæque diuina persona vt aliam plenissimè comprehendit, ita scit se amore ab ea modis omnibus immenso & infinito diligi. Omnes enim hæ amandi rationes, quas modò attingimus, & vnaquæque item earum, mutuum diuinarum personarum amorem manifestè arguit esse infinitum. Vbi autem infinitus amor est, cùm res dilecta præsens adsit, necesse est infinitum gaudium, immensam lætitiam, summamque felicitatem ibidem esse.

Nunc autem sigillatim quanta possumus deuotione contemplemur, quo amore Pater æternus Vnigenitum suum diligat, amplectatur, & stringat: quem conspicit pulcherrimæ imaginis suæ splendorem esse, sibique omnibus in rebus coæternum, coæqualem, à seipso genitum, adeò sibi propinquum, vt eiusdem cum Patre substantiæ sit, in quem totius diuinitatis & opulentiæ suæ plenitudinem effudit, à quo scit se infinito amore diligi, hoc est, tantum diligi, quantum est quod à Patre accepit: qui nihil ex immensa opulentia sua reseruauit, quod non in illum contulerit, quem & sui ipsius, & rerum omnium hæredem constituit. Perstat igitur Pater æternus inuariabili intuitu pulcherrimam illam Filij sui speciem atque imaginem contemplans: in qua non modò expressam diuinitatis, pulchritudinis, bonitatis, sapientiæ, omnipotentiæ, atque substantiæ suæ imaginem plenissimè comprehendit, sed etiam rerum omnium causas, formas, & ideas, quæ sunt, fuerunt, & erunt, atque esse possunt, cum ineffabili gaudio, & inexplicabili iucunditate sine vlla intermissione contemplatur: vtpote in quo velut in promptuario quodam atque thesauro omnes opes suas repositas habeat. Hanc autem summi & infiniti amoris vim, qua Pater æternus Filium diligit, in omnium parentum erga filios suos amore adumbrasse mihi videtur. De quo multa & verè miranda dicere possem, nisi ea vobis omnibus nota esse intelligerem. Quid enim mirabilius, quàm Dauidis erga parricidam filium amor, pro cuius ipse vita mortem ardentissimè concupiuit? Nec in hominibus tantùm, sed in brutis etiam animantibus hic amoris ardor insidet. Quid enim non facit vrsa, aut quæuis fera, raptis catulis? Quid aues? quæ magno labore quæsitos cibos, & in ventrem iam demissos,

demiſſos, ſibi adimunt vt fame ſua pullorum famem depellant? Quid pelicanus, qui adunco roſtro pectus lacerat, vt ſanguineo rore aſperſos filios ad vitam reuocet? Quamuis autem affectum hunc prouidentiſſimus naturæ conditor & conſeruator animantibus cunctis ingenerauerit, vt filiorum educationi proſpicerent; tamen hac etiam ratione ſummum illum erga Vnigenitum ſuum amorem voluit adumbrari, vt hoc exemplo, quantus hic amor eſſet, vtcumque eſtimaremus, qui tantopere parentum erga filios amorem demiramur. In hac tamen ſimilitudine ea in primis diſſimilitudo intercedit: quòd maiori quidem dilectione parentes filios diligant, quàm ab ipſis diligantur. Quod tamen in Dei Filium cadere non poteſt: quippe qui vt infinito amore à Patre diligitur, ita is viciſſim infinito amore Patrem diligit. Cæterùm ſicut Pater Filium perpetuò contemplatur, ita contrà Filius ſimili modo perſtat immenſam Patris ſui lucem, ſplendorem, maieſtatem, omnipotentiam, ſapientiam, atque immenſam erga ſe charitatem atque liberalitatem, cum infinito amore, infinitoque amoris gaudio perpetuò contemplans, neque ab eo vmquam mentis oculos deflectens, à quo ſe tantas opes naturali generatione videt percepiſſe. Eodem quoque modo Pater ſimul cum Filio ſempiterno intuitu atque amore Spiritum ſanctum ab vtroque procedentem, conſubſtantialem, coæqualem, & coeternum, cùm infinito amore, & immenſo item gaudio contemplantur.

Hæc à nobis, fratres, de immenſo diuinæ felicitatis gaudio & fruitione, rudi ac ſimplici oratione delineata magis quàm epreſſa ſunt. Neque enim ſterilis & anguſta humani ingenij vena verba habet vlla quibus has tantas diuinæ felicitatis opes explicare valeat. Atque haud ſcio, an indignum tanta maieſtate fuerit, tantas res humano eloquio committere voluiſſe. Certè ſanctiſſima virgo Catharina Senenſis hac de re verba facere formidaſſet. De qua in eius vita ſcriptum legimus, quòd cùm aliquando in ecſtaſim rapta, miranda quædam cæleſtium rerum myſteria ſpiritu tradente didiciſſet, ſenſibus reddita, præ admirationis magnitudine continere ſe non poterat, quin hæc identidem verba admirabũda repeteret: Audiui arcana verba, audiui arcana verba. Cumque nihil aliud diceret, eiuſque confeſſarius 2. Cor. 12. inſtanter ab ea peteret, vt arcana ea ſecum communicaret, virgo tandem precibus eius victa reſpondit: Grauiſſimi in Deum criminis me ream exiſtimarem, pater, ſi aliquid tibi ex ijs, quę mihi oſtenſa ſunt, exponere tentarem. Cùm enim voces quibus in familiari ſermone vtimur, ad res terrenas ſignificandas impoſitę ſint; vſque adeò infra rerum cæleſtium dignitatem iacent, vt ne earum quidem vmbram exprimere valeant.

Quocirca iniuria me illas afficere reputarem, si, quod ineffabile mihi videtur, hisce verbis explicare contenderem. Quòd si hæc sanctissima virgo vsque adeò arcana cælestia humano eloquio exponere formidabat; quanto minùs immensa illa diuinæ felicitatis gloria atque lætitia, qua diuinę personę perfruuntur, dum se mutuo eodémq. infinito amóre diligũt, verbis explicari poterit?

Plato in Timæo. Timæus apud Platonem dicit, Deum cùm à se mundum effectum cerneret, summopere lætatum fuisse. Quod quidem è Genes. 1. sanctis litteris sumptum videtur. Sic enim scriptum est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quibus quidem verbis summi Artificis gaudiũ designatur. Nihil enim quemuis artificem æquè atque operis à se perfecti species & pulchritudo delectat. Consequens igitur est, vt summus artifex ex operibus suis absolutis gaudium summum percipiat. Et ideo scriptum est: Psal. 103. Sit gloria Domini in seculum, lætabitur Dominus in omnibus operibus suis. Hic est ille ludus, hæc illa voluptas, qua sapientia Prou. 8. (vt vidimus apud Salomonem) se perfusam fuisse testificatur. Si igitur mundi opifex, rerumq. omnium parens & conditor, magnum gaudium ex mundi conditi perfectione cepit: quantum gaudium, & quàm plena voluptas illius in tempore & ante omne tempus ex Filij perfectione constiterit; quæ mens, quis Angelus, quæ potestates atque principatus, quis ardor cælitum, quæ sapientia, quæ diuinæ magnificentiæ sedes, explicare dicendo poterunt? Gaudium enim immensum & infinitũ nulla vmquam Arist. 12. Metaph. cælestium mentium eloquentia explicandum consequetur. Aristoteles in 12. primæ Philosophiæ libro, cùm beatam vitam in contemplatione poneret, Dei beatissimam vitam in sui ipsius contemplatione constituit, ex qua illum summo gaudio cumulari cõfirmat. Si hoc ergo Ethnicus ille Philosophus sensit, quid nos sentire par est, qui beatissimæ Trinitatis mysterium confitemur, quod ad diuinæ beatitudinis rationem maximè spectat, quæ socium, hoc est, felicitatis consortes requirit?

Hac autem fidei doctrina facilè peruulgatæ cuidam multorum quæstioni respondemus, cùm à nobis quærunt, quidnam Deus noster infinito illo (vt ita dixerim) temporis spatio priusquam hunc mundum conderet, faciebat. O mentis inopes homines, qui nequaquam oculos in immensam illam Filij Dei speciem & pulchritudinem conijciunt, in cuius contemplatione Pater æternus, & hunc mundum, & innumerabiles alios, quos ipse condere poterat, non minùs præsentes habebat quàm hunc modò, quem in tempore condidit, præsentem habet! Si quæris igitur, quid ante mundum conditum agebat; in huius summæ pulchritudinis contemplatione (cuius comparatione omnia quæ pulchra & perfecta sunt, neque pulchra neque perfe-

perfecta sunt, nec omnino sunt) tota mente defixus erat. Itaque Filium sui splendoris imaginem infinita sapientia & bonitate preditum, sibiq́ue modis omnibus similem, generabat & genuit, quemadmodum etiam in perpetuum generabit. Vt enim ex sole semper natiuus splendor existit; ita ex Deo summo atque sempiterno, summa atque sempiterna claritas & lumen exoritur.

Sed vt ad id, quod paulo antè proposuimus, recurrat oratio, hunc esse altissimum contemplationis gradum, quo diuinarum personarum felicitatem & gloriam contemplamur, sancti viri definiunt; neque esse quidquam, quo vel humana mens altiùs conscendere, vel quod cum maiori fructu & suauitate cogitare valeat. Cùm enim (vt antea diximus) perfectæ dilectionis proprium sit, nõ minùs de amici felicitate quàm de sua lætari; consequens est, vt, quisquis flagrantissima charitate Deum diligit, de hac summa eius felicitate & gloria illi congratuletur atque congaudeat; quoq́ue magis diligit, eo magis hoc pulcherrimo spectaculo oblectetur, diuinisq́ue delicijs reficiatur & satietur. Vt enim is cogitat; quemadmodũ æternus Pater pulcherrimam illam Filij sui speciem sempiterno & immobili aspectu contemplatur, & omnes in ea rerum perfectiones, & immensas diuinitatis opes atque delicias videt; ita ipse quoque pro modulo suo in eandem infiniti decoris speciem mentis oculos defigere studet, atque in hunc modum (quod dictu quoque mirabile est) in eodem beatissimæ Trinitatis conuiuio cum Patre, Filio, & Spiritu sancto epulatur. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, cùm & Aristoteles & Plato felicitatem hominis in summi boni, summiq́ue pulchri contemplatione positam esse definierint: vt appareat non aliud esse diuinę, aliud humanę, sed idem vtrobique esse felicitatis obiectum.

Vnde etiam sequitur quod Plotinus Platonicus in libro de pulchro ait, necesse esse, vt, qui huius diuinæ felicitatis particeps fieri cupit, diuinos quoque mores, diuinamq́ue puritatem imitari, Deo assimilari, ac deiformis quodammodo effici debeat: quòd nunquam ad verum summæ illius venustatis intuitum sit admittendus, nisi diuinam sibi similitudinem sumpserit. Est autem similitudo (Platone ipso teste) sanctitas & iustitia, quam habere debet, quem tenet veræ pulchritudinis contemplandæ atque fruendæ ardor. Hanc igitur, fratres, omni cura & studio retinere contendamus, rebus omnibus, quæ nos pondere suo in terram deprimunt, valedicentes, & ad cælestium rerum amorem toto mentis ardore aspirantes: vt & inchoata hac diuinæ contemplationis felicitate in via, & plena atque consummata frui mereamur in patria.

Plotinus.

Plato.

AD LECTOREM.



CVM multa ac penè innumera ſint, candide Lector, quæ de hoc ſacramentorum omnium maximo (nempe diuina Euchariſtia) tractari poſſint; quid ego præcipuè tractandum ſuſceperim, paucis ſignificandum duxi: quo ſtudioſus concionator mentem noſtram faciliùs aſſequi, & ea quæ hîc ſcribimus apertiùs intelligere, & commodiùs explicare poſſit. Cùm igitur de hoc diuino ſacramento non in ſcholis inter eruditos, ſed in Eccleſia apud rudem concionem agendum ſit, ſubtilioribus quæſtionibus prætermiſſis, de admirandis eius virtutibus & effectis, quibus fidelium mentes afficiuntur, cùm piè & religioſè illud ſumunt, differendum eſſe ſtatui. Quæ quàm multa ac varia ſint, ex eo planè colligi poteſt qui in eo continetur: cuius cùm immenſa & omnipotens virtus ſit, omnia in piorum mentibus operatur, quæ ad eorum ſalutem pertinent. Ex hac autem multiplici eius virtute tria præcipuè notatu digniſſima conſequuntur. Primùm quanta ſit illa Dei noſtri bonitas & charitas, quæ tanto hoc ſacratiſſimi corporis ſui beneficio viliſſimos vermiculos afficere dignata ſit, quantumq; ob hoc diligi à nobis debeat. Deinde quantum noſtra referat ad hoc diuinum ſacramentum frequenter accedere, vt tantarum opum atque donorum cæleſtium participes efficiamur. Poſtremò qua animi puritate, humilitate ac deuotione, ad hoc cæleſte conuiuium accedendum ſit. De his igitur omnibus, ac præcipuè (quod caput eſt) de virtutibus & effectis huius ſacramenti, in quinque prioribus cõcionibus tractamus. In ſexta verò, nonnulla, quæ ad eius fidem confirmandam adiuuant, paulò fuſiùs diſſerimus: quamuis & in tertia concione nonnihil ea de re attigimus. Cæterùm quod ad me attinet, ingenuè fateor, me huius mei laboris propemodum pœnitere, quòd vſque adeò infra rei, de qua agitur, dignitatem ſcripta mea ſunt, vt ne id quidem, quod ego ex huius ſacramenti virtute atque dignitate concepi, potuerim dicendo explicare. Cùm enim vel ex ſanctorum Patrum ſcriptis & exemplis, vel ex familiari eorum conſuetudine qui hoc ſacramentum cum magna vitæ puritate deuotiſſimè frequentant, admirabiles eius virtutes & effectus agnoſco, & cum ijs quæ hîc à me ſcripta ſunt, confero: tantum inter vtraque diſcriminis intereſſe video, quantum inter ipſam rerum veritatem & obſcuram eius imaginem atque vmbram. Qui autem hac puritate atque deuotione ad hoc ſacramentum accedunt, ſic animis afficiuntur & reficiuntur, vt hoc familiari & penè quotidiano argumento

mento mirabiliter in fide huius diuini mysterij confirmentur: quòd re ipsa intelligant, nihil magis summam illam atque immensam bonitatem decere, quàm id sacramentum instituere, quod tantopere homines ad diuinæ bonitatis imitationem atque participationem adiuuet: cùm perfectæ bonitatis maximè proprium sit, omnes alios bonos & beatos, hoc est, sui similes efficere. Itaque sicut Sol suo se lumine prodit, nec alio eget indice: ita sacramentum hoc sua se virtute manifestat, suæq; diuinitatis fidem facit. Qua de re suo loco dicemus.

Cæterùm, hoc argumenti genus alijs, qui magis experiendo quàm legendo immensas eius virtutes assecuti sunt, illustrandum relinquo. Ego verò cum Euangelica vetula quod habebam obolum in gazophylacium Domini obtuli. Illud etiam obiter admonendum esse duxi, me in his concionibus de spiritualis huius cibi proprietatibus eadem interdum repetere: quia cùm Euangelica lectio in omnibus penè concionibus explicanda sit (quæ tota de hoc spirituali cibo agit) fieri non potuit, quin in eandem sententiam frequentiùs incideremus.

IN FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO prima: in qua & lectio Euangelica explanatur, & omnes corporei cibi virtutes iuxta Florentinæ Synodi decretum spiritualiter in Eucharistiæ Sacramento esse declarantur.

THEMA. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioan. 6.



INTER ea mysteria quæ Catholica fides nobis credenda proponit, fratres dilectissimi, quamuis omnia sint pari ratione credibilia (quia eidem primæ veritati reuelanti innituntur) quædam tamen sunt ad intelligendum magis difficilia: inter quæ opera gratiæ computanda esse videntur; quibus videlicet homo per gratiam supra naturam eleuatur, renouatur, &, veteris vitæ vetustate deposita, in nouam transit creaturam. Ioan. 3. Quo factum est, vt, cùm Dominus hac de re ad Nicodemum verba fecisset, ille, quamuis magister esset in Israel, iterum tamē atque iterum interrogat quæ intelligentiâ consequi non valebat. Vnde dicente Domino, oportere hominem denuo nasci, vt regno cælorum dignus haberetur; ille nascendi nomine stupefactus: Quomodo, inquit, potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Respondente verò Domino, id quidem fieri Spiritus sancti virtute in spiritualem & nouam vitam hominem animantis; ille nihil minùs quàm antea demiratus interrogat: Quomodo possunt hæc fieri? Cui Dominus, Tu es, inquit, magister in Israel, & hæc ignoras? Amen dico tibi, &c. Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Quando, quæso, Domine, terrena docuisti, qui homines semper ad cælestium rerum amorem & terrenarum contemptum adhortatus es? Certè numquam. Sed hîc tamen terrena vocat moralis philosophiæ documenta, quæ portio quædam haud contemnenda diuinæ legis sunt: quæ tamen terrena appellauit, quoniam ad ea humanæ rationis lumen pertingere potest. Est ergo sensus: Quando ego documenta hæc, quæ rationi humanæ peruia sunt, vobis annunciabam, non credebatis mihi (imò verò me aduersus auaritiam & diuitiarum cupiditatem declamante, Pharisæi, qui erant auarissimi, doctrinam meam deride-

deridebant) quomodo ergo si dixero vobis cælestia, quæ videlicet humanæ mentis facultatem superant, credetis? Talia autem erant quæ tunc Dominus de regeneratione hominis per infusionem Spiritus Nicodemo tradebat.

Sunt igitur mysteria hæc inexpertis ferè inaccessa, & ad intelligendum difficilia. Vnde & in Apocal. Dominus ait: Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Per nouum autem nomē planū est nouum esse, & nouam vitam significari. Quod quidem esse quale sit, quantæ videlicet dignitatis, puritatis, & felicitatis, nemo nouit, nisi qui accipit. Quorsum hæc? Quia nimirum de admirandis Eucharistiæ virtutibus & effectis (quibus pij homines in nouam vitam animantur, & diuino hoc cibo diuini quodammodo efficiuntur) nobis hodie dicendum est. Quocirca idem ipse, qui in hoc sacramento continetur, orandus est, vt lucem nobis præferat, qua de hoc tanto mysterio dignum aliquid intelligere & proloqui valeamus. Quod si minus ea quæ dicentur, consequi poterimus, fide tamen contenti esse debemus. Non enim intelligere, sed credere iubemur. Hac enim ratione exercendæ fidei materiam nacti erimus: quæ tunc præcipuè habere dicitur meritum, cùm ei humana ratio nullum præbet experimentum. Nec fidei modò, sed charitatis etiam materiam hîc inueniemus. Quod quidem Dominus in lege olim designauit, cùm de paschalis agni carnibus nihil in alterum diem seruari præcepit. Quòd si quid, inquit, residuum fuerit, igne comburetis. Quis hoc Domini præceptum mysterio vacare credat? Absit enim, vt infinitam illam sapientiam otiosum aliquid aut superuacaneum præcepisse credamus. Quid igitur hîc insinuare voluit? Certè cùm in mysterio paschalis Agni, in cruce pro nobis immolati, aliquid esset quod humanæ intelligentiæ vim superaret, id nobis maius diuinæ dilectionis incitamentum esse debere: cùm consideramus tantam fuisse diuinæ bonitatis erga genus hominum magnificentiam & charitatem, vt ea pro salute nostra opera designarit, quæ omnem humanæ mentis intelligentiam excedant; & quæ non minoris penè admirationis fuerit homines ea credidisse, quàm Deum ipsum effecisse. Ita enim fit, vt quod infidelibus perfidiæ maioris occasio extitit (dum non credunt fieri potuisse quod ipsi non assequuntur) nobis maioris in Deum charitatis stimulus sit, cùm hanc tantam diuinæ largitatis magnificentiam contemplamur, quæ talia propter homines gesserit, quæ homines ipsi mente comprehendere nō possint. Hac igitur ratione charitatis igne comburimus, quod intelligentia deuorare non possumus. Vt igitur hodie hac ratione paschalis Agni virtutes & mysteria audiamus, cælestem opem,

Apoc. 2.

Exod 12.

opē, sacratissimę Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hodierna sancti Euangelij lectio tot mysterijs referta est, vt nullo modo vnicus sermo possit ea pro dignitate explanare, & quæ in ea mysteria latent, in lucem proferre. Sed priusquam Euangelicam lectionem attingamus, quid eam antecedat, explicandum est, quo rerum consequentiam videamus. Post celeberrimum illud miraculum quo Dominus quinq. millia hominum quinque panibus satiauit, turbæ ad illum paulò pòst redeuntes, obiurgatæ ab eo sunt, quòd ne hoc tanto signo inspecto fidem recepissent. Cumque illi præstantius aliud signum petiuissent vt in illum crederent, & maius illi signum à Moyse datum fuisse dicerent, qui veteres olim patres quadraginta annis pauerit in deserto; hac occasione Dominus pretiosas huius doctrinæ margaritas non tam illis quàm nobis (qui in illum credimus) proposuit. Itaque longa oratione disseruit, quanto præstantiorem panem cælestis Pater hominibus dederit, cùm Filiū suum in mundum misit, per quem homines non corpoream & caducam, multisque miserijs obnoxiam, sed spiritualem, diuinam, ac postremò immortalem vitam viuerent. Cumque hæc & multa alia de huius panis dignitate dixisset, in hodierna sancti Euangelij lectione idem argumentum persequitur dicens:

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ad huius sententiæ intelligentiam sciendum est, rerum conditarum quasdam esse quæ tantùm sunt, & non viuunt; vt elementa, lapides, & metalla: quasdam verò, quæ sunt pariter & viuunt; vt plantæ, vt bruta, vt homines, vt Angeli. Commune autem est omnibus quæ vitam habent, vt cibum quoque habeant, quo vitam sustentare possint. Vnde alia quidem aluntur terra, alia aqua, alia aëre; alia verò sublimiorem quidem cibum habent: Angeli enim qui vitam habent, cibum quoque suum habent, quo pascuntur & sustentantur. Vnde Raphaël Angelus ad Tobiam ait:
Tob. 12. Videbar quidem manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor. Hoc enim discrimen inter viuentia est, quòd quæ corporea sunt, corporeo; quæ verò spiritualia, spirituali cibo aluntur. Cùm autem solus homo inter omnia quæ vitam habent ex corpore simul atque spiritu compositus sit; consequens est, vt duplici egeat alimento: quorum altero corporis, altero spiritus vitam sustentare valeat. Et illud quidem habet commune cum brutis, quorum naturam participat; hoc verò cum spiritualibus substantijs, qua ratione eius anima spiritualis quoque substantia est. Quo fit, vt communem cum illis cibum habeat, quorum conditionem & naturam participat. Vt enim D. August. ait: Non aliunde viuunt homines,

&

& aliunde Angeli. Idem enim vtrisque cibus est, sed dissimiliter tamen: illi enim Deum aperta facie videndo atque fruendo saturantur, & beatam vitam viuunt: nos immensam eius pulchritudinem & bonitatem contemplantes & amantes, spiritualem vitam, quæ per charitatem est, viuimus. Spiritualis quippe vita in Dei dilectione consistit. Qui enim diligit, viuit: qui autem non diligit, non viuit: dicēte Ioanne; Qui non diligit, manet in morte. Vnde est illud, Perdit quod viuit, qui Deum non diligit. Constat igitur ex his quæ diximus, Deum ipsum & Angelis & mentibus nostris cibum esse: quo illi quidem beatam, nos autem spiritualem vitam viuimus.

August. super Psal. 30.

1. Ioan. 3.

Cùm igitur in hoc sacramentorum omnium maximo verè Deus ipse sit; rectè Saluator in sacra huius diei lectione ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Talem vtique cibum animarum nostrarum dignitati conuenientem diuina prouidentia destinare debuit. Cùm enim ea maiorem rerum magnarum, quàm minimarum curam habeat; anima verò nostra multis partibus sit corpore prǫstantior: quæ tam multa ciborum genera alendis corporibus terra marique procreauit, tot fruges, tot arborum fructus, tam multas auium, piscium, & quadrupedum species, tot pigmentorum atque condimentorum varietates, aliquid certè his omnibus longè præstantius, hoc est, cibum animę nostrę dignitati conuenientem debuit prouidere; qui non alius (vt antè diximus) quàm ipse Deus est, qui in hoc sacramento continetur.

Nec miremini, cùm tot ciborum genera nutriendis corporibus procreata sint, hunc vnum cibum animabus nostris prouisum fuisse, quia hic vnus omnium in se spiritualiū ciborum virtutem atque suauitatem continet. Natura enim ea quę imperfecta sunt, multiplicat: vt omnia simul efficiāt quod singula minimè possunt. Quæ verò perfecta sunt, singularia sunt. Vnde vnus tantùm Sol in mundo est, qui perfectissimè lucet: plurima verò astra, quia lux eorum imperfecta & exigua est. Quia igitur in hoc cibo ille continetur qui continet omnia, vnus vtique esse debuit: quia vnus ipse instar omnium, & supra omnia est. Vnde appositissimè per illud manna patribus exhibitum adumbratur, quod omnium in se saporum suauitatem referebat.

Quia igitur panis hic verus animarum cibus est, ideo omnes ciborum fructus & vtilitates perfectissimè in eo inueniuntur. Non enim metaphoricè, sed verè ac propriè cibus; non quidem corporum, sed animarum est. Vnde in Florentina Synodo definitum fuit, cælestem hunc cibum ea omnia in piorum mentibus efficere, quæ corporei cibi in corporibus operantur. Quia verò hac breui definitione multa continentur, ea nos sigillatim in

præ-

præſenti concione explicabimus, præſertim cùm Dominus in ſacra huius diei lectione hoc idem ſignificare voluerit.

I.

I. Principiò igitur quemadmodum corporeus cibus corporis vitam ſuſtentat, ne per mortem vitali humore abſumpto deficiat: ita ſpiritualis hic cibus mentem in vita iuſtitiæ conſeruat, ne in lethale peccatum ruens, ab hac ſpirituali vita cadat.

II. Cibus item corporeus vires & robur corpori addit. Quod quidem qui pedibus iter faciunt, experiuntur: qui exhauſtas itineris labore vires ſumpto cibo potuq. reſtaurāt. Hoc autem vel maximè huic cæleſti cibo conuenit: qui ſpiritualem dignè ſumētibus virtutem & robur confert, quo per arduum virtutis iter cōſtanti & infracto animo gradiantur. Cuius rei gratia viatici quoque nomen habet, quòd robur & fortitudinem huiuſmodi viatoribus
3.Reg. 19. impartiatur. In cuius rei typum, legimus Eliam, vbi ſubcinericiū illū panē ab Angelo oblatū comediſſet (qui ſpiritualis huius cibi imaginē gerebat) eius virtute atque fortitudine quadraginta diebus ſine alio commeatu iter feciſſe, donec ad mōtem Dei Oreb perueniret. Cùm ergo nos quoq. fratres ad cęleſtis patriæ montem (cuius ille figuram gerebat) contendamus, & via hæc longa & ardua, & multis offendiculis impedita ſit; exiſtimet quiſque noſtrū dici ſibi ab Angelo qui Eliam excitauit, Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via. Quam quidem viam quis ſine hoc cæleſti viatico ingredi poterit? Hæc vox, fratres, auribus veſtris in hac præcipuè ſolemnitate inculcanda eſt. Multi enim ſacramenti huius dignitati ſatisfeciſſe ſe putant, cùm illud quanta poſſunt ſolemnitate & pompa per vias publicas circumferunt & comitantur (quod quidem obſequium ſummo & meritiſſimo illi iure debetur) at non minùs illud venerantur, qui intra cordis ſui penetralia quanta poſſunt deuotione atque religione ſuſcipiunt. Hic enim precipuus eius vſus eſt, ad quem ab auctore ſalutis noſtrę fuit inſtitutus. Eſt vtiq. pium & ſanctū, cęleſtē hunc panem per vias publicas ab omnibus adorandum circumferre; nequaquam tamen pietas & deuotio noſtra in hoc ſiſtere, ſed vlteriùs etiam progredi debet, & ad eius eſum aſpirare, illumque intra cordis hiſpitium deuotè excipere. At nos labori noſtro parcētes, & mentis noſtræ domicilium purgare recuſantes, illud quidem diligenter exequimur; hoc verò magna pars fidelium omittit.

III. Eſt & alia cæleſtis huius panis virtus, in qua etiā cum corporeo alimento maximè conuenit. Hoc enim nō ſolùm vegetat & alit corpora, ſed etiam auget: vnde infantū corpora quotidiano cibo adoleſcunt, & ad iuſtam corporis magnitudinē perueniunt: hic verò cibus, quotieſcumque ſumitur, gratiam auget, cæteraq. Spiritus ſancti dona & virtutes, per quas piorum mentes de virtute

tute in virtutem proficientes, in spirituali vita adolescunt; atque ex paruulis, qui lacte egent, in viros perfectos euadunt. Hinc D. Thom. nullum sacramentum hoc salubrius esse ait, quòd per illud virtutes augeantur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguetur. Vnde Tertullianus, Ore, inquit, percipis corpus Domini, & intus anima de Deo saginatur.

Ad hæc cibus etiã corporeus exhaustũ labore aut ægritudine corpus redintegrat atque restaurat: quod quidem spiritualis hic cibus in piorũ mentibus efficit. Proprius quippe eius effectus est spiritualis refectio, hoc est, debilitati spiritus instauratio. Noxius quippe cõcupiscentiæ nobis innatę calor assiduè spiritualia bona depascitur, dum nos vi atque propensione sua à spiritualibus ad carnalia bona, tanquam sibi familiaria & cognata, auocat. IIII.

Aduersus autem hunc lapsę naturę morbum, cęlestis hic cibus à Domino institutus est: qui dum nos cęlestium rerum suauitate pascit, à carnalibus delicijs ad spiritualium rerum amorem reuocat. Qua de causa Diuus Thom. hoc sacramentum frequentiùs sumendum esse ait, quò illius virtute languentem animi feruorem atque deuotionem frequenti eius vsu renouemus.

Hæc enim inter cæteras humanæ vitæ miserias vel prima vel summa est, quòd cùm infixa nobis in visceribus permaneat concupiscentia, deuotio tamen & charitatis feruor adeò tenui (vt ita dicam) filo nobis colligata sunt, vt minimo negotio aufugiãt, aut certè languescant, nisi eas causas vrgeas & frequentes, à quibus hi verę pietatis affectus proficiscuntur. Quemadmodum enim si ab igne feruentem aquam dimoueas, ad natiuam protinus ea reuertitur frigiditatem (hæc enim naturalis est, illa verò aliunde, ab externa videlicet causa profecta) ita concupiscentia, quæ nobiscum nata est, nobiscum etiam in hac vita perseuerat: deuotio verò & charitatis feruor aliunde quidem, hoc est, à supernaturali Dei dono, & sacramentorum virtute, & deuota spiritualium rerum commẽtatione atque consideratione dimanat. Quo fit, vt si hæc deuotionis fomenta subtraxeris, ipsa deuotio vel frigeat, vel omnino concidat: cùm tamen concupiscentia perpetuò visceribus nostris infixa hæreat, quæ frequentissimè nos ad malum sollicitat. Cùm ergo præcipua feruoris huius ac deuotionis causa sit diuinissimum hoc sacramentum; consequẽs est, vt piè ac religiosè frequentari debeat: quo eius virtute, intermissa deuotio reparetur & coalescat. Simile.

His omnibus illud etiam adijciendum est, in quo diuinum hoc mysterium corporei alimenti naturam maximè refert. Alimenti quippe corporei proprium est, edentis corpus ad naturæ suæ temperamentum paulatim trahere. Sic videmus piscium carnes, quòd aqua nutriuntur, frigidas esse atque humidas, quòd V. Simile.

videlicet

videlicet eorum cibus aqua sit, quæ natura frigida atque humida est. Hinc medici, intelligentes testudinis carnes ad esum eorum qui phthisis morbo laborant, commodissimas esse (quæ tamen horroris quippiam edentibus afferant) gallinarum pullos eius carnibus nutriunt atque saginant; qui hoc alimẽto educati, eandem vim quam testudinis caro aduersus hunc morbum habent. Hæc autem corporei cibi proprietas multo magis in hunc Angelorum panẽ, quàm in quemuis alium cibum cadit. Cæteri namque cibi in edentis substantiam & naturam conuertuntur: at cælestis hic cibus nullo modo in naturam aliti transit, sed alitum tamẽ ipsum transformat in se. Hinc Dominus ad Augustinum, Cibus, inquit, sum grandium: cresce, & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Ex qua quidem mutatione præcipuus huius venerabilis sacramenti effectus colligitur, qui est, (vt D. Thomas ait) paulatim diuinos, hoc est, puros, sanctos, innocentes & immaculatos eos efficere, qui illud deuotissimis & supplicibus animis frequentant. Hoc est autem quod Saluator in sacra huius diei lectione præcipuè docet, cùm ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quid autem ex hac mansione consequatur, idem ipse altissima similitudine explicat, cùm protinus subdit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Hoc est, Sicut vita mea eadem quæ Patris est, quia Pater est in me: sic vita eius in quo ego permansero, vitæ meæ similis erit, hoc est, innocentię, iustitię, & sanctitatis meæ puritatem & imaginem referet. Hanc autem tantam hominis permutationem (qua nouum illud nomen quod in Apocal. pio homini, vt antea diximus, tribuitur) quis intelligere potest, nisi qui eam diuino munere est assecutus? Hac enim de causa vos initio concionis huius præmonui, fratres, hæc diuinæ gratiæ munera, quibus homo in nouam transit creaturam, vt in expertis mentibus obscura, ita fide sola percipienda esse.

Simile. D. Tho. Apoc. 2

I I.

Sunt præterea inter cibos nonnulli adeò salutares, vt non modò inter alimenta, sed etiam inter medicamenta computari soleant. Quæ quidem virtus vsque adeò cælestis huius cibi propria est, vt non minus medicamenti, quàm alimenti nomen retineat. Hinc D. Cyprianus: Panis, inquit, iste substantialis ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates, existens. Est autem medicamentum exitialis cuiusdam morbi, qui totam generis humani naturam infecit, quique malorum omnium siue corporis, siue animæ, seminarium est.

Cyprian. In serm. de cœna Domini.

Decebat

Decebat autem, vt humani generis conditor & moderator Dominus, qui tot salutares herbas, tot lapillos, ac tam multa medicamentorũ genera curandis corporum morbis procreauit, nequaquam nobilissimam mundi partem, hoc est, mentem nostram desereret, quæ multo pluribus & grauioribus morbis obnoxia est. Sed præcipuus tamen eius morbus, & aliorum omnium origo is est, quem Theologi propter multiplicem nocendi vim multis nominibus appellant. Alij enim concupiscentiam siue cupiditatem, alij naturæ languorem, alij peccati fomitem, alij naturæ vitium, alij tyrannum, alij stimulum carnis nuncupant. Apostolus verò modò legem membrorum, modò corpus peccati, modò carnem, modò etiam peccatum vocat: non quòd reuera peccatum sit, sed quòd peccatorum omnium sit incentor & instigator. A quo quidem morbo Apostolus vehementer liberari cupiens, aiebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Porro autem aduersus hunc exitialem naturæ morbum, præsentissimum huius sacramenti medicamentum medicus cælestis instituit: cuius virtute mens nostra spirituali dulcedine refecta atque inebriata, facilè quæuis carnalia bona, tanquam malorum irritamenta & peccati somẽta, repellit. Quod quidem apertè D. Bernardus testatur his verbis: Feruore spiritus, feruor extinguitur aliorum desideriorum; & pestiferam dulcedinem vitiorum, iucunditas spiritualis vnctionis excludit. Hoc ipsum autem singulari quadam huius sacramenti virtute fieri idem ipse Bernard. testatur his verbis: Si quis vestrûm, fratres, non tam sæpe modò tam acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini: virtus enim sacramenti operatur in eo. Hæc ille. Itaque affectus & turbidi motus, qui in inferiori animæ nostræ parte sunt, hoc cælesti cibo ita sopiuntur & mitigantur, vt, quo tempore deuotionis ardor mentem occupat, vix quidquam molestiæ nobis exhibeant, neque importunis clamoribus atque latratibus obstrepant. Liceat autem mihi per vos, fratres, huius rei imaginem fabuloso quodam exemplo ante oculos ponere: Fabularum namque exemplis quamuis probare nihil possimus, multa tamen (vt Euseb. Emiss. ait) quæ obscuriora sunt, explicare possumus. Narrant igitur fabulæ Poëtarum, Aeneam, cùm ad manes inferos visendi patris Anchisæ gratia descendere voluisset, à Sibylla medicatum panem accepisse, quem is in tricipitis Cerberi os (qui aditum eius loci viuis inhibebat) proijceret, quo eius rabiem & furorem mitigaret atque sopiret. Sic enim fore, vt tutus illi ad inferos ingressus atque egressus pateret. Hoc exemplum quamuis fabulosum, tamen & nostræ naturæ morbum & remedium ap-

Rom. 7.
Bernard.
Idem.
Euf. Emis. in hom. de Pasch.

positissimè exprimit. Intra pectus quippe nostrum triceps hic Cerberus latet, nempe concupiscentia; à qua triplex prodit honoris, diuitiarum, & voluptatum amor: qui vehementissima harum rerum fame ita laborat, vt propter illa consequenda sursum ac deorsum misceat atque verset omnia. Huius verò tanti mali remedium est panis iste, Dei virtute, sacerdotumque ministerio sacratus: qui piè, religiosè, atque frequenter susceptus, miro modo tricipitis huius canis rabiem atque famem sedat ac temperat. Sed à fabulis ad rem seriam venientes, hoc ipsum arca testamenti, quæ sacramenti huius imago erat, nobis etiam repræ-
Iosu. 5. sentat: quæ vbi primùm fluenta Iordanis attigit, eius aquæ substiterunt, naturalemque cursum & impetum, quo ad ima ferebantur, retinuerunt. Quod miraculum Propheta vehementer
Psal. 113. obstupescens, exclamat: Quid est tibi mare, quòd fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? Nimirum à facie Domini substiterunt aquæ, & eius virtutis præsentia compressæ sunt. Quòd si hoc tantopere Propheta miratur, quãto mirabilius est, varios multiplicesque cordis nostri motus & cupiditates, quæ lapsæ naturæ vitio ad ima atque terrena deuergunt, comprimi atque frenari, & vel immotos manere; vel ad superiora, Spiritu post se trahente, consurgere? Verè non minùs hoc mirabile est, quàm quòd Iordanis aquæ subsistant, & ad superiora refluant, vel in vna mole consistant. Verùm hæc mutatio à facie Domini esse dicitur: quia nimirum virtus & præsentia huius sacramenti miranda hæc operatur.

Cæterum cùm inter alios impotentes animi motus, libidinis ardor vehementissimus sit (hoc enim maximum lapsæ naturæ vulnus esse Theologi confitentur) huic quoque vulneri sanando mirum in modum huius sacramenti virtus confert. Quam rem
Zach. 9. illa Prophetæ verba non obscurè significant: Quid enim bonũ eius, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Quod verò aliud frumentum electorum, nisi hic Angelorum panis? quod verò vinum, nisi sanguis
Ephes. 5. Christi est, qui sub vini specie continetur? Aliud namque vinum non germinat virgines, quin potiùs virginitatẽ impugnat, Apostolo testante, qui ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Hoc autem cæleste vinum tam longè ab hoc vitio abest, vt germinet virgines: quia libidinis ardorem vi sua extenuat, & pudoris atque honestatis amorem ingenerat. Vnde cùm vir quidam vehementer à spiritu fornicationis impeteretur, nec ob hoc sacram Eucharistiam sumere auderet; iussus est à confessario, vt, præmissa peccatorum confessione, quanta posset humilitate ac deuotione ad hoc diuinum mysterium accederet. Quod vbi fecit, vehemens ille concupiscentiæ ardor ita so-

pitus est, vt nullum sui vestigium eo tempore reliquerit. Neque enim ante immaculati Agni præsentiam immundus fornicationis spiritus stare potuit.

III.

Hæc de huius diuini sacramenti virtutibus & institutione dicta sint: in qua diuinæ prouidentiæ ordo atque sapientia mirabiliter elucet. Cùm enim ea suauiter atque sapienter omnia disponat, qua via mors introiuit in mundum, eadem vitam mundo reddere curauit. Quàtuor quippe ad mundi interitum conuenerunt; nempe vir inobediens, superba mulier, arbor interdicta, ac vetitus à Domino cibus. Totidem verò quatuor Dominus ad mundi instaurationem destinauit. Aduersus namq. inobedientem hominem, alterum vsque ad mortem obedientem opposuit. Aduersus autem feminam superbientem, feminam deuotissima se humilitate submittentem. Aduersus interdictam arborem paradisi, vitale lignum Dominicæ crucis. Aduersus autem mortiferum illum cibum, viuificum hoc Dominici corporis sacramentum. Sicut ergo mala omnia quæ importauit primus homo, sustulit secundus; & quæ inuexit Eua, repulit Maria; & quæ protulit arbor mortis, vitæ arbor eliminauit: ita mala omnia quæ lethalis ille cibus intulit in mundum, hic viuificus panis propulsauit è mundo. De illo cibo dictum est: In quacumque die comederis ex illo, morte morieris: contrà verò de hoc in præsenti Euangelio Dominus ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ille igitur mortis, hic vitæ cibus est. Atque ita demum impletum est quod Ecclesiast. ait: Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quidquam deesse. Sic enim diuina prouidentia non solùm in operibus naturæ, sed etiam gratiæ, contraria contrarijs curat; & ne res sapienter ab eo constitutæ intereant, aliarum vim aliarum virtute vel temperat vel repellit.

Genes. 2.

Eccli. 42.

Cùm ergo tam multa in nos beneficia Dominus per huius diuini sacramenti virtutem contulerit, quid nos facere par est, fratres, nisi vt immortales illi pro hoc tanto munere gratias agamus? vt illum perpetuis laudibus celebremus? vt illum tota mente, totisque viribus diligamus? qui sic nos visitare, sic alere, roborare, oblectare, reficere, illuminare, nobiscum vnum fieri, in mentibus nostris habitare, præsentiæ suæ maiestate honorare, & meritorum atque laborum suorum participes efficere dignatus fuerit? Quas ergo illi gratias humana infirmitas pro his tantis donis agere poterit?

Quia verò huius tanti muneris largitor Dominus intelligebat, nos huic tanto beneficio pari animi gratitudine respondere non posse; idem ipse, qui beneficium contulit, pro nobis

gratias egit. Cùm primùm enim sacramentum hoc instituit, eleuatis oculis in cælum æterno Patri gratias egit, quòd eius beneplacito & consilio hoc tantum munus ad imbecillitatis humanæ remedium institui voluerit. Vt enim Pater æternus propter Vnigeniti sui merita nos in filios adoptauit (dicente
1. Ioan. 3. Ioanne: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus) ita propter eadem merita hoc summum nobis contulit beneficium, vt ad eius mensam assideamus, & Angelorum pane satiemur. Idem enim Vnigenitus Dei, qui Angelos reuelata facie satiat in patria, nos eadem velaminibus tecta reficit & sustentat in via. Quod quantæ dignitatis & gloriæ sit, hoc exemplo poterit indicari. Inter nouissima verba atq.
3. Reg. 2. mandata, quæ Dauid moriens Salomoni filio proposuit, hoc vnum fuit, vt filij Berzellai Galaaditis perpetui mensæ eius conuiuæ essent. Sic enim ad filium ait: Sed & filijs Berzellai reddes gratiam: occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absalonis fratris tui, hoc est, quo tempore totus penè Israëliticus populus, me deserto, Absalonem sequebatur; hic mihi fidus amicus extitit, & copiosum mihi & exercitui præbuit cõmeatum. Cuius beneficijs memor, filijs eius hactenus rependi gratiam: sed nec hac vicissitudine contentus, hoc etiam tibi fili commendo, vt communem tecum mensam habeant. Nescio quid in hac parte mirari priùs debeam, an fidem Berzellai, qui eo tempore Dauidi fidus exstitit, quo illum omnes reliquerunt, quamuis intelligeret, quantum sibi liberisque suis periculum impenderet, si victoria in alteram partem inclinaret; an Dauidis memorem huius beneficij animum, qui non contentus tota vita singularibus beneficijs gratiam filijs eius rependisse, extremum adhuc spiritum agens (cùm vix sui homines meminerunt) amplissimum hunc mensæ Salomonis honorem illis impendi præceperit. Quæ quidem mensa vsque adeò magnifica & splendida erat, vt inter cætera quæ Regina Saba ita demirabatur, vt non haberet vltrà spiritum, cibi quoque mensæ eius & pincernæ, & famulorum seruientium vestes memorentur. Quàm felicem autem conuiuæ isti illam patris sui fidem eo tempore existimarent, propter quam tanto se honore affectos animaduerterent: quæ semel quidem seruata, tantam illis tamque diuturnam gloriam peperisset! Quo exemplo intelligere licebit, fratres, (vt hoc obiter admoneamus) quàm felices præteritæ vitæ lacrymas & labores suos pij omnes in cælo existimabunt; propter quos angelorum choris associati, suauissimis illis dapibus in veri Salomonis mensa sine fine fruentur. Hoc quale sit, neq. verbis exprimi, neque cogitatione comprehendi potest. Sed ad institutum redeamus, sicut filijs Berzellai propter fidem & merita

rita

rita patris hæc tanta gratia collata est: ita Pater æternus propter Christi merita (quem Isaias futuri seculi patrem appellat) hunc tantum honorem nobis impendit, vt ad omnipotentis Dei mensam in hoc etiam exilio sedeamus, & eo ipso pane, quo is vescitur (nempe Filio suo) nos quoque vescamur: vt per illum modò in spirituali vita nutriamur, ac de ipso postmodum in cælesti gloria satiemur. Ceterùm quamuis neque in præsenti seculo nec in futuro etiam dignas tanto munere gratias agere valeamus, in futuro tamen hoc multo aliter faciemus, cùm vitalis huius cibi merito sempiternam nos vitam assecutos esse videamus. Vt enim Saluator in præsenti lectione docet, hoc distat cibus hic ab eo qui patribus exhibitus in deserto fuit, quòd ille quidem mortalem vitam, iste sempiternam largiatur. Sic enim ait: *Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vbi ergo æterna vita huius panis beneficio fruemur, tunc demum meritas pro eo benignissimo largitori gratias agemus. Nunc verò tantas agamus, quantas maximas animi nostri concipere possunt.

Deinde illud, etiam ex his, quæ hactenus dicta sunt, sequitur: vt quando Christus Dominus pretiosi sanguinis & passionis suę meritis has tantas gratiarum atque cęlestium donorum opes (quæ in hoc venerabili sacramento continentur) nobis promeruit, nullo modo committamus, vt nos ab huius tanti beneficij participatione secludamus, & illius animum (neglectis eius beneficijs) grauiter offendamus. Magis enim torquere solet mercenarium fraudatio debitę mercedis, quàm labor operis. Vnde scriptum est: Qui effundit sanguinem, & qui fraudat mercenarium mercede sua, fratres sunt; hoc est, eiusdem criminis rei sunt. Non horret autem Seruator noster mercenarij nomen, qui se ad ministrandum nobis venisse ait: quemq. Apostolus sanctorum ministrum vocat. Huius verò siue ministri, siue mercenarij merces, salus & vita nostra est, quam nobis per mortem suam promeruit. Hanc enim illi mercedem cælestis Pater promisit, cùm per Prophetam dixit: Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Et, Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c. Tunc ergo pium hunc mercenarium mercede sua fraudamus, cùm spiritualis & æternę vitæ subsidijs (quæ ille nobis in hoc sacramento reliquit) propter ignauiam & socordiam nostram vti nolumus. Quod cùm facimus, fratres eorum sumus, qui eius sanguinem crudeliter effuderunt: illi enim sanguinem fuderunt, nos verò sanguinis eius fructum reijcimus.

Secundũ. Eccli. 34. Matth. 20 Hebr. 8. Esaiæ 53. Ibidem.

Neque verò quisquam se solo cælestis huius panis desiderio

totum eius fructum percepisse credat. In cæteris enim virtutum officijs, cùm voluntas ad pium opus efficax & prompta est, eadem meriti ratio apud illud manet, qui bonæ voluntatis prospector est: in sacramẽtorum tamen perceptione nunquam eadem voluntatis propensio sine opere tantum valet, quantum voluntas ipsa operi adiuncta. Sacramẽta enim vi sua (hoc est, vt aiunt, ex opere operato) gratiam dignè recipientibus conferunt: cuius fructu priuantur, qui ea minimè percipiunt, quamuis deuotionis suæ fructu minimè fraudentur.

Nec alij rursum timoris & reuerẽtiæ nomine excusari ab hoc cælesti conuiuio debent: quamuis hic timor meritò laudandus sit. Laudatur enim Centurio, qui præ timore & reuerentia Dominum ad se ingredi non est passus. Laudatur contrà Zachæus, qui alacriter illum in domo sua excepit. Sic igitur laudantur qui religioso timore ad hanc mensam accedere non audent; & laudantur item, qui timoris & deuotionis studio extimulati audent. Quamuis autem vtrique laudem mereantur, quia tamen (vt D. Thom. ait) timori amor antefertur, satius est, ob amorem ad illud accedere, quàm ob metum & reuerentiam ab eo abstinere. Neque illorum etiam excusatio admittenda est, qui dicere solent, satis sibi esse id præstare quod Ecclesia præcipit, quæ nos semel in anno ad hanc mensam accedere iubet. Quamuis enim hoc sufficiat ne violati præcepti rei simus, dolendum tamen vehementer est, quòd se homines hoc tanto beneficio, tantisque diuinæ gratiæ opibus, Christi Domini labore partis, sponte sua priuare velint. Quæ sint autem opes istæ, Apostolus magnifica illa oratione insinuauit, cùm ait: Mihi autem sanctorum minimo data est gratia hæc euangelizandi in Gentibus inuestigabiles diuitias Christi, &c. Idemque alibi: Quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramenti huius in Gentibus, qui est Christus Iesus. Constat autem, fideles omnes, quoties ad hoc sacramentum dignè accedunt, harum diuitiarum participes fieri. Quisquis igitur sufficere sibi ait, quotannis semel communicare, perinde est ac si dicat: Nolo nisi semel in annis tantarum diuitiarum, quæ nobis in hoc sacramento conferuntur, particeps fieri. An non igitur verè deplorandus est, quisquis re ipsa hoc testari videtur?

Matth. 8. Luc. 19. D. Tho. Ephes. 3. Colos. 2.

Tertium.

Cæterùm non ita fideles ad frequentiorem huius sacramenti vsum adhortamur, vt non illos etiam officij sui admoneamus, hoc est, qua cordis & corporis puritate ad illud accedere debeant. Meminisse enim oportet, scriptum esse, Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. Et, Iustitia & iudicium præparatio sedis eius. His namque iustitiæ opibus domus ac sedes Dei adornanda est, & omnes ab ea vitiorum sordes

Psal. 92. Psal. 88.

des eluendæ, quo dignum illi habitaculum præbeat. Hinc Diuus Athanasius, Si quis, inquit, gulositate, aut turpium consensu cogitationum, quasi luto contaminatus est; si quis odio & iniuriarum recordatione quasi vertigine affectus est; si quis inuidia aut ira perturbatus est; si quis superbia aut arrogantia victus; is ad diuina & pura hæc mysteria accedere non ausit, priusquam ea per pœnitentiam diluat, & se ipsum ab omni carnis & spiritus inquinamento repurget. Hactenus ille. Athanas.

Quia verò diuinum hoc sacramentum per os nostrum in animam intrat, præcipua oris cura habenda est, vt purus ille aditus sit, quo ad nos vita descendit. Hoc est, vt os nostrum ab omni turpiloquio, detractione, mendacio, periurio, conuicio, & imprecatione, qua Dei creaturas dæmoni deuouemus, purum & integrum sit; ne, quo aditu ad nos Deus ingreditur dæmon vnquam ingrediatur. Hoc igitur à vobis postulo, fratres, vt externum cultum, quem hodie huic diuino sacramento omnes exhibuimus, spiritualiter etiam exhibendum curemus. Vias enim omnes, per quas Dominicum corpus circumducitur, repurgauimus, parietes aulæis velauimus, solum iuncis & viridantibus arborum ramis strauimus, & quidquid ornamenti excogitari potuit, adhibuimus. Cùm igitur per os nostrum (vt modò dixi) in cor nostrum idem Dominus ingrediatur; non solùm cor (in quo ipse sibi sedem eligit) sed via etiam qua illi aditus ad cor nostrum patet, ab omni vitio purganda, & virtutũ aulæis adornanda est. Sic enim fiet, vt qui dignum Deo habitaculum in mente nostra parauimus, in æterna tandem tabernacula ab ipso recipi mereamur: in quibus illum non sub his accidentium velaminibus, sed in ipsa immensæ pulchritudinis suæ specie atque decore videbimus, amabimus, laudabimus, & perpetuis hymnis & canticis in secula seculorum celebrabimus.

IN EODEM FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO SECVNDA: quæ primùm de cælestis panis huius virtute, deinde de frequentiori eius vsu disserit.

THEMA. *Caro mea verè est cibus.* Ioan. 6.

4.Reg.7.



VM leprosi quidam post diuturnam vrbis Samariæ obsidionem & diram famem in hostium castra venissent, hostesque, Deo illos perterrefaciente, obsidionem soluissent, eosque abijsse intellexissent, vbi primùm cibis ibidem inuentis famem sedassent, & spolia nonnulla, quæ fugientes hostes reliquerant, surripuissent, dicere inter se cœperunt: Non rectè facimus. Hæc enim dies boni nuncij est: si tacuerimus, & non indicauerimus, criminis arguemur. Hoc exordio in præsenti concione vti volui, fratres: quia cùm nos, qui beneficio Domini sacerdotum officio fungimur, ad mensam Domini sedentes Angelorum pane quotidie reficiamur; officio nostro abuti videbimur, nisi vos hoc faustissimo & lætissimo die eiusdem conuiuij, eiusdemque cælestis panis participes nobiscum efficiamus, & quas diuinæ gratiæ opes nobis Dominus in hoc sacramento reliquerit, annunciemus. Vt hoc autem piè & religiosè præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

EA est, fratres dilectissimi, donorum & gratiarum abundantia, quæ passionis & mortis Christi merito hominibus collata est, vt Isaias Propheta, qui reuelatione summi Patris has tantas opes in spiritu viderat, exclamarit: Oculus nõ vidit Deus
Esaiæ 64. absque te, quæ præparasti expectantibus te. Quæ quidem verba de opulentia donorum & gratiarum Christi esse accipienda, & interpretes hoc in loco docent, & expectandi verbum non obscurè designat, quando ea salus & gratia eo tempore non donata, sed expectata erat. Cuius gratiæ opes & magnificentiam vir sanctus nec hominibus, nec Angelis, sed soli Deo notas esse ait: vtpote qui solus incarnati Verbi dignitatem, solus summi illius sacrificij meritum & efficaciam perspectam & cognitam habeat. Hanc porrò gratiarum abundantiam idem Propheta non semel sub aquarum & fluuiorum nomine designauit, vnde Ecclesiam
Esaiæ 33. Christi, locum fluuiorum, riuos latissimos & patentes appellat, qui spiritualium aquarum, hoc est, gratiarum omnium copia

per totum mundum redundarent. Hæ ſunt autem aquæ illæ
largiſſimæ, quas petra olim in deſerto bis icta ſitienti populo
fudit: de qua Apoſtolus ait: Bibebant autem de ſpiritali conſe- 1.Cor.10.
quente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Sicut enim petra
illa virgâ percuſſa pereunti populo aquas propinauit (quibus
eius ſitim extingueret, & arentia corpora refrigeraret) ita Chri-
ſtus à Patre propter ſcelus populi ſui percuſſus, largiſſimas om-
nium gratiarum aquas pereunti mundo effudit: quibus anima-
rum noſtrarum ſitim extingueret, cupiditatum æſtum tempe-
raret, ſordes peccatorum ablueret, ſterilemq. bonorum operum
terram fecundis imbribus irrigaret. De hac autem petra Apo-
ſtolus ait, quòd eos conſequebatur, quos antè ſatiauerat. Quem
locum Euſeb. Emiſſ. breuiter exponens, ait: Qui de Chriſti bi- Euſ. Emi.
berit gratia, ſequitur eum Chriſti miſericordia: quæ illos potiſſi-
mùm fouet, illos dirigit & comitatur, quos antea gratiarum ſua-
rum participes effecit. Qua quidem ex re apparet, quàm ſit Diſſimil.
ſpiritualis hæc petra magneti diſſimilis: magnes enim ferrum
ad ſe trahit; Chriſtus verò Dominus propter ingentem amo-
ris vim illos ſequitur & comitatur, quos ardenti amore com-
plectitur. Quod cùm alijs beneficijs faciat, tum maximè hoc
diuino ſacramento efficit, quo nobiſcum permanet in æternum.
Quo nomine ſponſa in Cant. gloriatur, cùm ait: Dilectus meus Cant. 2.
mihi, & ego illi: qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & in-
clinentur vmbræ. Hoc eſt, perpetuò mecum dilectus meus ma-
nebit, quàm diu diurnæ lucis & vmbrarum viciſſitudo durabit.
Felices igitur illi, qui, horum temporum dignitatem agnoſcen-
tes, tantis diuinæ gratiæ opibus fruuntur, quas & perpetuò,
& ad manum poſitas ſemper habent: infelices autem illi, qui
hanc tantam ſalutis & felicitatis occaſionem vitio ſuo vacuam
abire patiuntur. Sed iam tempus eſt, vt ſigillatim huius diuini
ſacramenti virtutes exponere incipiamus, quas Dominus in
hodierna ſancti Euangelij lectione ſub cibi ſimilitudine decla-
rat his verbis:

Pars prior.

I.

CARO *mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Di-
ctio, *Verè*, bis hoc in loco repetita, tum huius myſterij (quod
omnem humanæ rationis vim ſuperat) certiſſimam virtutem,
tum veram cibi naturam & proprietatem in eo eſſe declarat.
Verè enim Dominicum corpus (quod hoc ſacramento conti-
netur) animarum cibus eſt: qui eas in ſpirituali vita alit atque
ſuſtentat. Hoc quippe ſacramentorum nouæ legis proprium eſt,
vt efficiant quod repræſentant: hoc eſt, vt intus in mentibus
operentur, quod exteriùs in corporibus efficiunt. Hoc autem

in sacramento regenerationis apertè cernitur: quod quidem vt corpus lauat exteriùs, ita animam à cunctis peccatorum sordibus purgat interiùs. Ita fit, vt facilè quisq. hoc externo symbolo admonitus, efficientiam atque virtutem sacramenti huius intelligat. Cùm ergo in vsu sacramenti Eucharistiæ fideles exteriùs cibum capere videamus, id planè hoc sacramentum in anima efficiet, quod foris ostendit. Si ergo exteriùs cibat corpus, consequens est, vt alimonia spirituali animam interiùs nutriat atque alat, & in spirituali vita conseruet.

Verùm vt quid sit spiritualis hæc vita, & quæ alimenti eius ratio atque natura, agnoscamus, sciendum est, triplicem in homine vitam reperiri; nempe vitam naturæ, deinde gratiæ, ac postremò gloriæ. Et prima quidem illa naturæ vita ad fideles pertinet & infideles, secunda ad solos fideles, tertia verò ad beatas animas, quæ in cælo resident. Quia verò (vt in præcedenti concione diximus) omnia quæ vitam habent, cibum etiam habent, quo in ea sustententur: hæc vtique triplex vita suum quoque cibum habet, quo alitur & conseruatur. Et quidem vitam naturæ cibus alit corporeus, qui nobis cum infidelibus atque adeò cum brutis communis est: vitam verò gratiæ Deus alit, in hoc sacramento sub panis imagine velatus: vitam autem gloriæ idem ipse in cælo aperta facie detectus. Ex hac igitur doctrina triplicis huius vitę ordo atque processus colligi potest. Quemadmodum enim sanguis (vt medici aiunt) ab hepate primùm in cor ascendit, in quo deinde calore cordis concoctus perficitur & nobilitatur, atq. in hunc modum pręparatur ad perfectissimam atque vltimam formam in cerebro suscipiendam (ex qua sic perfecta & nobilitata, nobilissimi spiritus, nempe animales oriuntur, quibus animantium corpora mouentur & sentiunt) ita planè summus ille rerum conditor & moderator homines virtute sua à vita quidem naturæ eleuat ad vitam gratiæ: qua perfecti, & sanctificati, idonei efficiuntur, qui ad vitam gloriæ prouehantur: in qua planè vltima & summa rationalis creaturæ perfectio sita est. Ad hanc verò vltimam & perfectissimam vitam sacramenti huius virtute disponimur ac præparamur. Per illud namque Christus Dominus in mente nostra habitans, eam in præsenti seculo facit sanctam, vt postmodum in cælo efficiat beatam: nunc exornat sua bonitate, ornaturus postea sua claritate: nunc illi Spiritum adoptionis tribuit, vt postea cælestem hæreditatem filijs debitam largiatur. Vnde ipse ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Simile.

Quòd si quæras, quónam modo sacramentalis hic cibus hominem in hac spirituali vita alat atque cōseruet, ratio in promptu est, quia huius sacramenti virtute diuina gratia piè illud sumen-

ſumentibus confertur, à qua conſtat virtutes omnes,omniaque Spiritus ſancti dona proficiſci, quibus omnes animæ vires ornantur & perficiuntur, atque roborantur,& ad omnia virtutum officia cæleſtibus præſidijs inſtruuntur, & contra peccati vires armantur; vt ſic tandem in ſpirituali vita homines conſeruari, & à peccati morte immunes eſſe valeant.

Eſt etiam cibi proprium non vitam modò ſuſtentare, ſed comedentem etiam oblectare. Naturæ quippe auctor & conſeruator Dominus, vt ad neceſſariam humanæ vitæ refectionem homines incitaret, hac voluptatis illecebra eos alliciendos curauit, ne id negligerent, ſine quo vitam tueri non poſſent. Quòd ſi is hac prouidentia vſus eſt, ne mortalis corporis vita cibo deficiente deficeret; quanto magis ea vti debuit, ne cæleſtis hic cibus animabus deeſſet, à quo non mortalis, ſed ſpiritualis & æterna vita pendet? Non dubium igitur, quin quò maior animę quàm corporis excellentia eſt, maiorque ſpiritualis huius cibi quàm corporis neceſſitas, eò maior dulcedo eius atque ſuauitas exiſtat. Hinc D. Thom. ſacramenti huius ſuauitatem à nemine D.Tho. explicari poſſe confirmat, propterea quòd in ea ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte, hoc eſt, in Deo ipſo guſtetur. Qui quidem effectus adeò latè patet, vt ne ipſe quidem gratiarum omnium fons Dominus hoc fructu caruerit, cùm cæleſtem hunc panem in nouiſſima cœna cum diſcipulis manducauit. Non enim gratiæ augmentum recipere poterat, cuius erat immenſa gratia: ac multò minus vires contra peccatum, qui nullo modo peccare poterat. Quid igitur? Certè ineffabilem quandam ſuauitatem atque dulcedinem ſacramenti huius communione percepit. Sicut enim diſcipulis ab euangelizandi officio redeuntibus, exſultauit in Spiritu ſancto: ita modò ac multò etiam magis exſultauit, cùm hoc ſacramentum ſumpſit, & illud ad generis humani ſalutem inſtituit.

Quòd ſi multi eorum, qui hunc cæleſtem panem ſumunt, hac ſuauitate minimè perfruuntur: non hoc ſacramenti virtuti ſed ſibi ipſis imputare debent, qui ad illud minùs deuoti, minuſque parati accedunt. Rectè enim D. Auguſtinus Chriſtum Auguſt. Dominũ purgatæ mentis ſapientiam eſſe dixit: quippe qui non in Medit. plenè ſapiat, niſi his qui purgatum animæ palatum, hoc eſt, à terrenarum voluptatum contagio purum geſtant. Vnde ſicut manna illud (quod ſacramenti huius typum gerebat) nequaquam patribus conceſſum fuit, donec omnis, quam ex Aegypto extulerant, farina conſumpta eſt: ita neq. mirabilem cibi huius ſuauitatem experiri perfectè datur, niſi his qui farinæ Aegypti; hoc eſt, ſeculi voluptatibus renuntiantes, in vno Deo amorem omnem atque omnes delicias ſuas poſitas & conſtitutas

habent.

habent. Horum autem (cùm ad hanc mensam Domini accedunt) quanta sint gaudia, quæ deliciæ, quæ suauitas, qui cordis iubilus, nulla certè vis orationis exprimere poterit. Cùm enim gaudium (vt Philosophi tradunt) ex rei dilectæ præsentia oriatur; quo gaudio mens illa, quæ Christi amore flagrat, complebitur, cùm ipsum intra se recipit? cùm eius presentia fruitur? cùm quibusdam purissimæ dilectionis brachijs illum amplectitur & stringit? pedibusque eius prouoluta, dulcissima illis cum Maria Magdalena oscula figit? cùm dicere iam cum sponsa valet: Inueni quem diligit anima mea; teneo, nec dimittam. Quæ ibi tunc cantica resonant? quæ laudes? quæ gratiarum actiones in voce exultationis & confessionis? quo charitatis ardore animus flagrat? quo iubilo cordis mens tripudiat? qua suauitate animus reficitur & satiatur?

Cant. 3.

Ex hac autem spirituali dulcedine atque suauitate duo effectus, qui inter se videntur contrarij, consequuntur, nempe fames simul atque satietas: quæ duo etiam in beatis in cælo regnantibus inueniuntur. De his namque Petrus Damianus in hymno ait: Auidi & semper pleni, quod habent, desiderant: non satietas fastidit, neque fames cruciat: inhiantes semper edunt, & edentes inhiant: Cùm ergo in hoc sacramentorum omnium maximo idem sit qui in hac vita fideles pascit, & quo in altera beati fruuntur; non adeò mirum est, si ijdem ex eodem fonte effectus cōsequantur. Qui tamen effectus in perfectis viris maximè reperiuntur. Sunt enim nonnulli vsque adeò ab omni vitiorum & terrenarum voluptatum fece purgati, adeoque in Dei amore feruentes, vt, quo tempore cælestem hunc panem sumunt, tanto spiritus gaudio, tantaque vtriusque hominis dulcedine & suauitate compleantur, tantaque animi pace & iucunditate fruantur, vt se nihil amplius in hac vita desiderare dicant, quàm quod habent. Quodque mirabilius est, non modò spiritus ipse (qui hac diuina suauitate præcipuè fruitur) sed ipsa etiam caro (quæ natura sua nihil nisi carnalia bona, tanquā sibi cognata atque familiaria, concupiscit) suauitatis huius dulcedine illecta, cætera bona contemnit, vt pleniùs hac tanta suauitate reficiatur. Neque hoc mirum aut incredibile cuiquam videri debet. Perfectis namq. viris Dominus in hoc etiam mortali corpore degentibus, velut quandam futuræ gloriæ prælibationem, in hoc spirituali conuiuio frequenter exhibet. Quo fit, vt D. Dionysius ineffabiles futuræ gloriæ delicias ex huius sacramenti delicijs conijcere doceat. Sic enim ait: Iesu felicissimam in cælis societatem de sacrosancti mysterij communione conijcias. Si enim ita se is hominibus in terra communicat (vbi caro spiritui repugnat, amor friget, virtus languet) quid in

Pet. Da.

Dionys.

cælo faciet, vbi est amor purus, & status securus, nec in homine quicquam est, quod diuinis illuminationibus atque delicijs impedimentum præstet? Hoc vtcumque conijci potest, explicari verò nulla oratione potest.

Verùm ex hac ipsa incomparabili dulcedine ac suauitate vehementissima quædam fames eiusdem panis edendi nascitur. Quomodo enim non vehementissimè pia & pura mens, spiritualibusque cum Christo nuptijs desponsata, id sumere cupiat, quod tantæ sibi felicitatis, charitatis, purissimæque iucunditatis materiam præbuit? Quæ quidem fames in purgatis mentibus tanta est, vt vel vnius diei spatium (quo sacra illis communio interdicitur) instar multorum dierum esse videatur. Hoc autem quis vestrûm, fratres, credat, aut quis æquis auribus audiat? Sed quid minus de ineffabili diuinæ mentis bonitate, deque summi huius sacramenti virtute & maiestate credi par est, vbi omnipotens illa maiestas in mentem descendit ab omni carnali & terrena labe purgatam?

Quæ hactenus diximus, fratres, huic diuino mysterio, quatenus animarum cibus est, conueniunt. Vt cibus enim alit, reficit, & oblectat animam. Sunt alia multa, quæ illi conueniunt, propter immensam eius, qui in eo continetur, virtutem & dignitatem. Inter quæ primum est, quotidianorum defectuum & negligentiarum (sine quibus hæc vita non transigitur) remissio. Cùm enim, vt Diuus Chrysost. annotauit, Christus Dominus Apostolos suos in quotidiana oratione dicere præceperit, Dimitte nobis debita nostra: quis ab huiusmodi debitis liberum se in hac vita fateatur? In horum autem remedium pijssimus & sapientissimus animarum medicus hoc diuinum sacramentum instituit: quod cùm (teste Dionysio) spiritualis ignis sit, has venialium peccatorum stipulas vi sua exurit atque consumit. Quæ res nos ad frequentiorem eius vsum excitare deberet: vt, quæ delicta frequenter admittimus, frequenti huius sacramenti vsu atque virtute diluamus. Quod quidem Diuus Ambrosius admonet his verbis: Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Idemque alibi: Qui vulnus habet, medicinam desiderat. Vulnus est, quòd sub peccato sumus: medicina est hoc venerabile sacramentum. Adijciam & aliam non minùs suspiciendam virtutem. Tanta enim huius sacramenti virtus est, vt, quamuis ipsum non mortuorum, sed viuorum sacramentum sit (manducare enim non ad mortuos, sed ad viuentes pertinet, ideoque à viuentibus non à mortuis in peccato sumi debeat) interdum tamen euenire poterit, vt mortuas quoque in peccato animas

Chrysost.

Dionys.

Ambrost.

ad vitam reuocet spiritualem, hominemque ex statu damnationis in salutis æternæ statum transferat. Id verò accidit (vt D. Thom. auctor est) vbi homo nec affectum nec conscientiam lethalis peccati habet. Quam eius sententiam Adrianus Pontifex his verbis explicat; Cùm quis oblitus est peccati mortalis, & discussa conscientia facit quod in se est pro amotione indignitatis, quæ est per mortale peccatũ, non peccat accedendo etiam in mortali peccato; sed sæpe veniam consequitur ratione operis operati ipsius sacramenti: quo casu locum habere videtur illud August. Hoc sacramentum non solùm cibat quos reperit viuos, sed etiam viuificat mortuos. Hactenus ille. Ex hac autem mirabili huius sacramenti virtute magnam certè fiduciam atque solatium concipere possunt quicumque frequenter & religiosè ad illud accedunt. Quamuis enim nemo sciat, vtrùm odio an amore dignus sit; quicumque tamen, discussa priùs conscientia, deuotè & frequenter hoc cælesti medicamento vtitur, piè saltem conijcere poterit, aliquando se ea animi præparatione accessisse, vt gratiam & vitam, qua fortè carebat, eius virtute perciperet. Licet enim soli Deo illa animi dispositio nota sit, qua sacramentum hoc gratiam sumenti confert (vnde gratiæ incertitudo colligitur) qui tamen frequenter accedit, verisimile est sic interdum accedere posse, vt, quam antea gratiam minimè acceperat, tunc accipiat. Simile enim quiddam his contingere videtur, quod ijs, qui se sagittis ad signum exercent; in quod si multas iterum atque iterum sagittas iaculentur, vna saltem aut altera collimabunt, scopumque attingent.

D Tho. Adrian. — August. — Simile.

Secunda pars, de frequentiori huius diuini Sacramenti vsu.

II.

Ex his quæ hactenus dicta sunt fratres, facilè quisque intelligere poterit, primùm quidem, qua animi puritate ad hoc sacrametorum omnium maximum accedendum sit, in quo cum vero Domini Saluatoris corpore tota diuinitatis plenitudo inhabitat. Deinde illud etiam liquet (quando tam varia & multiplex virtus in eo ad animarum sanctificationem est) qua auiditate, quaque frequentia ad illud accedere debeamus, vt tantorum bonorum participes efficiamur. Sed alia tamen vtilitatis, alia necessitatis ratio est: hæc enim vehementiùs exstimulare atque vrgere homines solet. Communionis verò necessitas ex concupiscentiæ nostræ morbo intelligi potest. Quod enim hæc assidua infestatione deuastat, assidua etiam huius sacramenti virtute instaurandum est; vt sit in nobis quod semper reparet, quod corruptæ

ruptæ naturæ morbus semper absumit. Id autem ad hoc sacramentum præcipuè pertinet: cuius proprius, ac singularis effectus esse dicitur spiritualis refectio. Quo nomine significatur, quòd quemadmodum corpora nostra corporeo cibo reficiuntur ac reparantur (dum quod naturalis calor incessanter absumit, quotidianus cibus reparat) ita planè quod in nobis ardor concupiscentię ad carnalia bona sollicitans consumit, cęlestis hic cibus virtute gratiæ, quam nobis confert, redintegrat atque instaurat. Quamuis autem omnia nouæ legis sacramenta gratiam dignè suscipientibus conferant, & omnia nos ad spiritualem vitam tuendam adiuuent: hoc tamen sacramentum singularem ad hoc supra cætera virtutem habet. Singula enim sacramenta supra gratiam (quæ communis omnium effectus est) proprios effectus & virtutes habent, quibus à se distinguuntur. Constat autem (vt modò diximus) proprium huius sacramenti effectum esse, spiritualem animarum refectionem: ideoque supra cuncta alia (quæ ad alios effectus destinantur) ad spiritualem vitam conseruandam maximè iuuat. Simile.

Ex hac autem eius virtute atque singulari effectu, quanta esse illius frequẽtia debeat, apertè colligitur. Medicorum enim dogma est, vbi morbi causæ permanentes sunt, remedia quoq. permanentia esse debere. Vnde eos qui immoderato hepatis calore laborant, frigidioribus semper cibis vti, & calidis abstinere perpetuò iubent. At intra pectus nostrum, fratres, peccati fomitem nobiscum semper circumferimus, quem Apostolus peccatum vocat, quia & ab originis peccato manauit, & ad peccatum sollicitat, dum flagrantissimo cupiditatis ardore, ea quæ carnis & mundi sunt (nempe opes, honores, voluptates, & omnia deliciarũ genera) concupiscit, & omnia quæ carni molesta sunt (quamuis iustissima & honestissima sint) simili ardore & contentione fugit. Quocirca si hic peccati fomes, si hoc malorum omnium seminarium intra nos est, nosque ad malum adeò potenter inclinat; quis non videt, assidua reparatione instaurandum esse, quod iam assidua impugnatione impetitur atque laceratur? Hoc autem qua ratione commodiùs, quàm frequenti huius sacramenti communione, fiet; quod ad hoc præcipuè ab ipso salutis nostræ medico & auctore fuit institutum? Simile.

Qua ex re satis liquet, quantopere accusari illorum socordia debeat, qui se ad saluberrimum hoc infirmitatis humanæ remedium piè & religiosè frequentandum præparare negligunt. Quòd si hi meritò accusandi sunt, quanto magis illi qui non modò ipsi hunc viuificum & salutarem cibũ sumere nolunt, sed eos etiam, qui paulo frequentiùs sumunt, obiurgant, mordent, & vel temeritatis & audaciæ, vel hypocrisis & vanitatis accusan-

tes,

tes à summi huius beneficij participatione retrahunt? Quorum quanta sit cæcitas atque diuinarum rerum ignoratio; admirabiles huius sacramenti virtutes & affectus, quos hactenus recensuimus, facilè declarant. Quid enim dementius, imò verò quid crudelius, quàm à tantis diuinæ gratiæ opibus & auxilijs, à tam multis infirmitatis & imbecillitatis humanæ remedijs, atque
Simile. adeò ab ipsa æterna vita homines auocare? Quis vnquam demiratus est, quòd æger pergat ad medicum, pauper ad diuitem, sordidus ad fontem, vulneratus ad vnguentariam officinam, vt vulneribus suis remedium quærat? Quonam modo qui Christianus es, fidei tuæ dogmata prorsus ignoras? An te latet omnes homines per vnum hominem fuisse ad mortem damnatos, & per vnum hominem à morte redemptos, & ad sempiternam vitam euocatos? An ignoras sacramenta ipsa velut canales esse à Christi latere deriuatos, per quos sacratissimæ passionis eius opes & virtutes ad nos fluunt atque dimanant? Quę sunt autem opes istæ, nisi gratia, charitas, peccatorum remissio, robur spiritus, virtutes omnes, & omnia denique infirmitatis nostræ medicamenta atque remedia?

Cæterùm si isti meritò accusandi sunt, qui clancularijs detractionibus infirmorum mentes à remedijs ad salutem nostram diuino munere institutis auocant; quid de alijs censendum est, qui, nescio qua ratione inducti, aduersus omnes qui sacramenta frequentant, infensi sunt; quando eos partim publicis vocibus, partim alijs etiam indignis modis vexant, & ab hoc pio studio retrahere conantur? Valde certè mirandum est, eos qui populum hoc salutari cibo pascere, his præsidijs armare, hac medicina eius vulnera curare, hoc lacte nutrire, his dapibus saginare, his diuinæ gratiæ opibus ditare, & verbis, exemplis, atque omni ratione ad has epulas inuitare deberent; hos contrà, quibus possunt artibus, sub quodam pietatis velamine his tantis opibus velle priuare. Quòd si grande nefas est, ex hac vita hominem sine cælesti hoc viatico migrare; cur indignum iudicant, hoc salutari præsidio illos communiri, qui in ea inter tot laqueos & pericula manent, cum antiquo serpente, cum mundo, cum prauis hominibus, cum ipsa carne, & cũctis eius plusquam tyrannicis cupiditatibus certaturi? Quòd si dicas fieri posse, vt moriturus qui nondum in statu salutis erat, huius sacramenti virtute (quod aliquando euenire constat) in eo reponatur: num igitur viuentibus non est etiam necessarium, à statu damnationis in statum salutis reuocari? Vnde ergo hoc persecutionis genus aduersus pios homines in Ecclesia manauit? Qui certè re-
2.Reg.19. spondere meritò cum tribu Iuda possent: Numquid comedimus aliquid ex Rege, aut munera data sunt nobis? Hæc planè accusatio

accusatio in nonnullos eorum cadere posset, qui pretio inducti, rem diuinam faciunt, aliàs fortasse non facturi: quos tamen huiusmodi detractores non accusant. Sed qui frequentiùs hoc sacramentum percipiunt, quod terrenum lucrum ex hoc officio, nisi perditorum hominum scommata & conuitia, reportant?

Et mihi quidem huius rei causam paulo attentiùs conside-ranti vix alia sese offert, quàm quòd intelligens salutis humanæ hostis nulla esse aduersus eius vim potentiora arma quàm diui-na sacramenta, toto contra ea malignitatis suæ impetu arma-tur, vt vel ea funditus euertat, vel eorum salutari fructu fide-libus interdicat. Nec contentus rudis & indoctæ plebeculæ im-pugnatione, armat etiam quorundam eruditorum linguas; non omnium quidem, sed eorum quorum scientia inflationem ma-gis, quàm deuotionem & pietatis ardorem, parit. Magnum enim communibus rebus periculum imminet, cùm scientia ti-more Domini nudata, auctoritatem in Ecclesia obtinet. Quo-modo, quæso, istis nunquam illa nascentis Ecclesiæ priora ele-menta in mentem veniunt, quando fideles (Luca referente) Acto.2.
quotidie perdurantes in templo, & frangentes circa domos pa-nem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes Deum? De quo quidem pane paulo antè dixerat, Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communica-tione fractionis panis, & orationibus. Qua ex re apertè colligi-tur, orationis studio & quotidiano huius sacramenti vsu Eccle-siam adoleuisse, & in eam virtutis & roboris magnitudinẽ ex-creuisse, vt contra omnẽ mundi & inferorum potentiam stabilis & inconcussa permaneret. O deplorandam nostrorum temporũ conditionem! Num, quæso, cum tempore aut sacramentorum virtus obsoleuit, aut fidei nostræ dogmata mutata sunt, vt quæ eo tempore probamus, & commendamus, & laudibus in cælum tollimus, in nostro seculo accusemus & vituperemus? De hoc enim piorum studio video quoque nunc dici posse, quod olim de fidei nostræ religione dictum fuit: nempe, De secta hac ma- Act.28.
nifestum est, quòd vbique ei contradicitur. Vbique enim hæc religiosa consuetudo suos habet cauillatores, qui aduersus sacra-mentorum frequentationem oblatrare non cessant.

Sed ais: Inter eos qui piè & religiosè ad hoc sacramentum ac-cedunt, multi sunt qui vel frequentiùs quàm par erat accedunt, vel fortassis indignè accedunt, & ita pereunt. Quanto, quæso, plures erunt, qui, si accederent, non perirent! Horum quidẽ per-exiguus & incertus est numerus: illorum verò penè infinitus & manifestus; vtpote quos scelerata vita manifestos facit. Vtrius- Ambros. lib. de sa-cra. c. 6.
que autem periculi rationem prudentissimè D. Ambrosius cum Deo agens exponit his verbis: Graue est, quòd ad mẽsam tuam,

Domine, inundo corde, & manibus innocentibus non venimus. Sed grauius est, si de peccatis metuentes, sacrificium nõ reddamus. Hęc Ambrosius; qui his verbis aliorum quidem audaciam, aliorum immodicum timorem notauit: qui tamen vehementiùs illos accusat, qui nimio timore se ipsos hoc tam salutari remedio priuant. Diuus verò Bernardus vtriusque rei periculum

Bernard. breuiter complexus est, dicens: Væ ei qui non communicat, & væ item ei qui indignè communicat. Hoc autem periculum pius homo vitat, si infirmitatis & imbecillitatis suæ & periculorũ (inter quæ assiduè versatur) conscius, ad hoc salutis nostræ præsidiũ, ad hoc infirmitatis humanæ medicamentum, ad hanc salutarem mensam, quam nobis Dñs aduersus omnes qui tribulant nos, præparauit, quanta potest animi & corporis puritate cum timore & tremore accedit. Augent autem animum nobis

Augus. in Epist. ad Ianuar. illa Diui Augustini verba: Si non tanta sunt crimina, vt propter ea quis excommunicandus sit, non debet à medicina corporis Domini se subtrahere. Auget etiam Diuus Bonauent. qui non

Bonauẽt. ideo nos ad hoc sacramentum accedere debere ait, vt sanctitate nostra nos Dominum sanctificemus, sed vt ipse contrà sanctitatis suæ virtute sanctificet nos. Auget item Dauid Rex, qui

2. Reg. 6. quãuis inspecta Ozæ morte (quòd Arcam Domini contigisset) metu correptus, noluit eam in domum suam adducere: vbi tamen Dominum hospitis sui domum (ad quam Arca deducta fuerat) magnis beneficiis affecisse cognouit, eam in domum suam aduexit, vt benedictionis huius particeps efficeretur.

Hæc tã multis à me dicta sunt, fratres, quia cũ ex Catholicæ fidei doctrina certò sciamus, innumeros esse huius diuini sacramenti effectus atque virtutes, quibus animarum salus cõstituitur; nihil esse cõstat, quod magis ad hanc salutem retinẽdam & conseruandã expediat, quàm ad illud puro & religioso corde frequẽter accedere. Verè enim vt corpora cibo, ita mẽtes nostræ hac cęlesti alimonia viuunt; nec modò viuũt, sed omnibus etiam virtutum & gratiarum opibus in dies augentur & cumulantur.

Sed aduersus hanc sententiam obiiciet aliquis, multos esse, qui frequenter hoc cælesti cibo pascantur, & multos item ex sacerdotibus, qui ad hanc quotidie mensam accedant, cùm tamen nihilo aliis meliores atque sanctiores euadant. Non abnuo ita esse. Verùm hoc nullum in sacramento defectum, sed sumẽtium indignitatem arguit. De ipso enim Ecclesia in hac solennitate canit: Sumunt boni, sumũt mali, sorte tamẽ inæquali, vi-

Simile. tæ vel interitus. Vt enim idem ignis & ceram mollit, & lutum durat: ita hoc sacramentum idem in se manens, aliis salutis & vitæ auctor, aliis mortis occasio fit. Celebris enim Philosophorum sententia est, actus actiuorum esse in patiente disposito.

Vnde

Vnde liquet, causas omnes siue naturales, siue etiam supernaturales (qualia sacramenta nostra sunt) varios effectus pro varia materiæ siue subiecti dispositione producere. Vt hoc autem apertiùs intelligatis; quid paucis antehac diebus euenerit, vobis exponam. Vir quidam singulis quibusque mensibus sacram Eucharistiam, præmissa prius peccatorum confessione, sumebat, nec tamen pristinam secularis vitæ licentiam & consuetos mores deserebat. Quod cùm quidam eius amicus vir doctus & pius vehementer admiraretur, his cum illo verbis egit: Cùm omnes qui ad hæc diuina mysteria frequentiùs accedunt, castigatiùs & rectiùs viuere soleant, & mores mutent, si fortè libetiùs antè viuebant; quomodo tu, qui eadem sacramenta singulis mensibus frequentas, vix vlla in re mutatus es? Cui ille rem omnem amicè declarans, Hoc, inquit, in causa est, quòd ad hæc mysteria non tam deuotionis affectu, quàm necessitate quadam constrictus venio. Voueram quippe olim me Hierosolymam profecturum. Cuius voti cùm me postea pœnituisset, & facultatem ad eius commutationem impetrassem, in hoc religionis officium illud mihi sacerdos quidam commutauit. Ita fit, vt ego magis necessitate adactus, quàm pio deuotionis studio inductus, ad hæc sacramenta accedam: ideoque nihil mirum, si non in me efficiant, quod in eos qui piè & religiosè illa sumunt. Hoc exemplo, fratres, propositæ quæstioni puto me plenè satisfecisse, & causam indicasse, cur multi eorum qui communicant, & multi item eorum qui quotidie sacrum Domini corpus consecrant & conficiunt, nihil hoc tàm salutari medicamento proficiant, atque vtinam non multùm etiam deficiant. Sacra enim illa mensa aliis quidem imbecillitatis remedium, alijs verò iudicium est. Hęc autem ideò commemorare volui, fratres, vt nemo credat me ita ad frequentiorem huius sacramenti sumptionem adhortari, vt non etiam illos perterrefaciendos putem, qui ad illud minùs piè & religiosè accedũt, siue illi sacerdotes sint, siue non sint. Video enim esse nonnullos, qui partim ex præscripta quadam legum suarum necessitate, partim ex sola cõsuetudine, aliorũ videlicet cõmunicantium exempla, dissimili tamẽ affectu atque deuotione, sectari volẽtes, ad illud frequenter accedũt. Vt quidã ergo excitandi sunt, ne immodico timore correpti, ab hac sacra mensa recedant: ita alij perterrefaciendi, ne ad illam indignè accedant. Vtrosque igitur in commune hortamur, vt casto & puro corde, vt nuptiali charitatis veste induti, vt reuerentia timidi, deuotione alacres, charitate feruentes, cõtritionis affectu humiles, positis odiis atque dissidiis, viuificum Domini corpus accipiant: vt ipso eos dirigente, & clauum vitæ moderante, ad optatũ tandem felicitatis æternæ portum peruenire mereantur.

IN EODEM FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO TERTIA:

quæ primùm virtutes & effectus sacræ Eucharistiæ explicat, non modò quatenus sacramentum, sed etiam quatenus sacrificium est. Deinde docet harum virtutum experimento piorum mentes in huius sacramenti fide magnopere confirmari. Tertio verò loco, qua frequentia ad hoc diuinum sacramentum accedere debeamus, & qua animi puritate illud sit à nobis percipiendum, exponit.

THEMA. *Caro mea verè est cibus.* Ioan. 6.



VNT tam multæ ac variæ, fratres dilectissimi, huius diuini Sacramenti virtutes, sunt in eo tot charitatis incitamenta & summa beneficia, vt si vitam omnem in eis commemorandis expenderemus, nullo ea sermone complecti infirmitas nostra posset. Cùm autem multa iam in superioribus cōcionibus dicta sint, adhuc alia explicanda supersunt, quæ ad venerationem, amorem, & frequentiorem eius vsum nos incendere possunt; quæ in præsenti concione tractare cōstitui. Quod vt piè & religiosè persequi valeam, communibus votis (quando communis agitur causa) cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quamuis supernus ille mundi conditor & gubernator, vt per se sine vllius creaturæ ministerio omnia condidit, ita eadem solus gubernare potuisset: vt creaturas tamen, quas ipse condidit, dignitatis suæ participes faceret, eas ad regni sui consortium asciscere dignatus est, in efficientium causarum ordinem eas redigens, vt cum eo pariter mundum administrarent. Inter has autem efficientes causas septem stellas (quas ob id ipsum quòd vagæ & erraticæ sint, Græci planetas vocant) præcipuè delegit, quarum virtute atque influxu hæc inferiora mundi corpora gubernaret. Ex his ergo aliæ pluuias demittunt, aliæ serenitatem, aliæ ventos ex occultis terræ vaporibus proferunt, aliæ mari, fontibus, & fluminibus præsunt, aliæ frugibus & plantis, cæterisque quæ ex terræ gremio producuntur. Sicut ergo mundi conditor

conditor naturam vniuersam his præcipuè septem sideribus administrat: ita Ecclesiam suam totidem sacramentorum virtute gubernat, regit, atque fecũdat. Cùm enim idem sit tum gratiæ tum naturæ auctor; nihil mirum, si eundem numerum & ordinem in vtriusque rei administratione voluerit retinere. Vt autem septem illæ stellæ in corporibus; ita septem hæc sacramenta varios effectus in mentibus efficiunt, quos longum esset hoc in loco recensere. Quemadmodum verò inter hæc septem sidera præstãtissimus est Sol (à quo stellæ cæteræ & lucem & virtutem trahunt) ita inter septem Ecclesię sacramenta, sacra Eucharistia principem locum tenet (vtpote in qua ipse sacramentorum auctor & institutor est) à quo tanquam à Sole iustitiæ & fonte gratiæ cætera sacramẽta gratiam atque virtutem sortiuntur. Vt autem inter planetas is qui Luciferi nomẽ obtinet, Solem semper siue occidentem siue orientem comitatur: ita Confessionis sacramentum sacræ Eucharistiæ indiuiduus comes & veluti pedisequus est: vtpote quod mentis nostræ domicilium purgat, vt in eo sacra Eucharistia collocari dignè possit. Hæc autem duo præstantissima sacramenta, quæ iterari quotidie possunt (cùm cætera partim raro, partim nunquam iterentur) vehemẽter ad animarum salutem constituendam atque seruandam adiuuant: quandoquidem quotidiana hac repetitione & frequentatione quotidianis morbis & necessitatibus nostris medicinam faciunt.

Et quidem confessionis sacramentum mentes nostras vel à peccatorum morbis sanat, vel à morte etiam ad vitam reuocat. Vnde sacramentum hoc, sicut & baptisma, mortuorum esse dicitur, quòd vtriusque sit peccata remittere, hoc est, animas in peccato mortuas (quæ tamen diuinæ gratiæ obicem non apponant) ad spiritualem vitam excitare. Cęterùm ne perceptam his sacramentis vitam amitteremus (quã amittimus cùm in mortifera peccata labimur) Eucharistiæ sacramentum sapientissimè à cælesti animarum medico institutum est: quòd vitam aliorum sacramentorum virtute partam tueatur, atque à mortiferis peccatis puram immunemque conseruet. Itaque duo illa sacramenta ad præterita peccata delenda pręcipuè seruiunt; hoc verò etiam aduersus futura mentem munit & armat. Est enim intra nos, quàm diu viuimus, carnis concupiscentia, & peccati fomes, qui nos frequentissimè ad malum solicitat, aduersus quem huius sacramenti virtus cælestem nobis vim atq. opem confert. Nec concupiscentia solùm, sed ipsæ quoque res humanæ, inter quas versamur, quibusque per amorem inhæremus, mentem sæpè nostram inficiunt, & à spiritualium rerũ studio & amore auocant. Vt enim in corporeis rebus qui res sordidas tractant, ipsi etiam earum contactu sordidantur: ita vbi mens nostra im- Simile.

 mode-

moderato amore terrenis rebus adhæreſcit, ipſo vtique amoris huius contactu inficitur & maculatur. Quocirca ſapienter diuina prouidentia infirmitati noſtræ conſuluit, quando puriſſimũ nobis Chriſti Domini corpus in Eccleſia propoſuit: cuius contactu non modò contractas ex humanarũ rerum conuictu maculas elueremus, ſed puritatis quoque eius participes efficere-
Simile. mur. Aiunt in nobili quadam Hiſpaniæ ciuitate duo inſignia xenodochia eſſe: quorum alterum ægris decumbẽtibus, alterum à morbo conualeſcentibus prudenti conſilio excogitata & inſtituta ſunt: quo ſalus in altero parta, delicatioribus cibis, & molli cultu atque obſequio in altero firmaretur. Simile quiddã diuina ſapientia feciſſe videtur, quæ inter alia ſacramenta diuerſis functionibus deſtinata, duo hæc inſtituit: quorũ alterum ægris præcipuè mentibus curandis, ac mortuis etiam ſuſcitandis; alterum verò curatis iam, vel à morte ad vitam reuocatis deſeruiret: vt ſalus & vita alterius beneficio parta, alterius virtute conſeruaretur. Illud autem peccatorum confeſſione, hoc verò ſacratiſſimæ Euchariſtiæ perceptione fit: ſine cuius frequentiori vſu non ſine periculo ſpiritualis vita conſeruatur. Quo minùs mirandum eſt, fratres, ſi multi ſalutem & vitam confeſſionis ſacramento perceptam protinus amittant; quando ab alterius ſacramenti vſu abſtinent, quo illam ſeruare debuiſſent.

I.

Eſt autem aliud huius ſacramenti propriũ ac peculiare, quod nulli cæterorum ſacramentorum conuenit: nempe quòd non modò ſacramentum, ſed etiam ſacrificium ſit: in quo non vitulos & agnos (vt olim in lege) ſed ipſum Dei Filium (qui in cruce olim pro ſalute mundi oblatus eſt) denuò immolamus. Hoc autem ſacrificium omnia veteris legis ſacrificia (quæ multa & varia erant) adumbrabãt. In quo vno vera numinis placandi ratio perfectiſſimè cõtinetur. Nec enim pecudum ſtrages per ſe Deo grata eſt. At in ſacrificio, quo ſe vnigenitus Dei Filius pro mundi ſalute immolauit, gratiſſima illi fuit ſumma eius obedientia, altiſſima humilitas, ardentiſſima charitas, perfectiſſima patientia, zelus diuinæ gloriæ flagrantiſſimus, cæteræque virtutes, quæ in hoc ſummo ſacrificio mirabiliter eluxerunt. Hoc autem ſacrificium Chriſtus Dominus in ara crucis obtulit, quo nos à diaboli captiuitate redemit. In qua quidem redemptione (vt D. Ambroſius ait) ex nobis accepit, quod offerret pro nobis: vt nos ex noſtro redimeret. Magna verò humanæ naturæ gloria eſt, quòd in ea redẽptionis noſtræ pretium inuentum fuerit. Petrus Apoſtolus, præcipiente ac monſtrante Domino, ſtatérem in ore piſcis inuenit, quo cenſum exoluit: Do-
Mat 17. minus autem in humanitate noſtra ſanguinis ſui pretiũ reperit,

quo

quo generis humani commune debitum persolueret. Quod quidem Clemēs Alexādrinus pulcherrima apis similitudine exprimit. Sicut enim, inquit, apis flores pomarij delibās, fauum mellis conficit, quem velut pretium pomarij domino pro delibatis floribus rependit: ita Saluator carnē nostrā assumens, ex ea fauum mellis confecit, quo nos salutis & felicitatis suæ participes redderet. Hoc autem sacrificium priùs quàm Dominus cruentū in patibulo crucis offerret, in extrema illa cœna incruentum obtulit, nobisq; facultatem concessit, vt illud quotidie offerremus. Nihil enim minus in quotidiano Missæ sacrificio Deo Patri offerimus, quàm quòd ille moriens in cruce obtulit, sed eundem Agnum immaculatū, eandem hostiam, eundemq; Dei Filiū superno Patri præsentamus. Quo sacrificio nihil Deo gratius, nihilq; homini salutarius excogitari potuit. Cùm enim sacrificiū hoc infinitæ virtutis sit, Patri quidē summā gloriā tribuit, nobis verò æternā salutem promeretur. Qua in re immēsa Dei nostri bonitas & charitas apparet, cui nō satis fuit, fieri panem nostrū, nisi etiam fieret sacrificiū nostrum, vt nos illum tanquā panem viuū, vitā ęternā largientē, comederemus, & tanquā verū & immaculatū sacrificiū Deo patri pro sceleribus nostris offerremus. Cle. Ale. Simile.

Extat autem huius panis & sacrificij locupletissimum ac verè mirandum in Psalmo 71. testimonium: quem Psalmum omnes ferè Rabini de Messia interpretantur. Pro eo enim quod vulgata editio Græcæ respondēs habet, Erit firmamentū in terra in summis montiū; Paulus Burgensis Episcopus ait in translatione Chaldaica haberi, Erit placentula in capitibus sacerdotum. Quin & Rabinorum translatio atq; interpretatio non admodum ab hac sententia & translatione dissentiunt. Alij enim verterunt, Erit placenta frumenti in terra in capite montium. Alij verò, Erit sacrificiū panis in terra in capite montium. Montes autem isti sunt, quos Chaldaica translatio superiùs citata appellat capita sacerdotum. Hi enim sunt montes illi de quibus paulo antè idem Vates dixerat, Suscipiant montes pacem populo. Ex quibus interpretationibus non obscurè colligimus, Christum Dominum non modò panem esse quo in spirituali vita sustentamur, sed etiam sacrificium quod æterno Patri pro sceleribus nostris offerimus. Cōstat enim vel ex ipsorum etiam Hebræorum traditione (vt modò diximus) de regno Messiæ in supradicto Psalmo agi: quem sacerdotem iuxta ordinem Melchisedec futurum Spiritus sanctus apertè in Psalmo 109. testatur. Quemadmodum enim in veteri lege omnia sacrificia, & animalium mortes verum summi sacerdotis Christi sacrificium & mortem figurabant; sic ante legem etiam Melchisedec Rex simul & sacerdos panem & vinum Deo in sacrificium offerens,

huius diuini sacramenti simul & sacrificij imaginem referebat. Ante verum enim & salutare mundi sacrificium Pater æternus & Filij sui imagine gaudebat, & pios omnes (quàm diu veritas aberat) in his Filij sui imaginibus contemplandis & offerendis exerceri volebat. Magnum quippe verè diligentium solatium est, quàm diu dilectus abest, eius imagine ad viuum expressa oblectari. Vt ergo Melchisedec panem & vinum Deo in sacrificium offerebat (quod huius, vt diximus, nostri sacrificij typus erat) ita Sacerdos noster Christus Dominus secundùm eundem ordinem Melchisedec, verum panis & vini sacrificium in extrema illa cœna obtulit, cæterisque sacerdotibus offerendum reliquit. Hæc est enim illa placenta tritici, quæ in capitibus sacerdotum offerenda esse prænunciatur: quam quotidie supra capita nostra eleuamus, cùm sacram hostiam populo adorandam in sublime attollimus, ac Deo Patri offerimus. Neque ab hac interpretatione D. Hieronymi versio dissentit, qui pro Firmamento, Memorabile triticum transtulit. Quia enim Messias noster non frumenti copiam, aut terrenas opes, sed spirituales atque cælestes in mundum erat importaturus, ideo memorabile hoc triticum, quod nobis ipse daturus erat, viuus ille panis est, qui in memoriam summi illius sacrificij consecrandus, sumendus, & Deo Patri offerendus exhibetur. Hoc igitur tam illustri testimonio ab ipsis veritatis hostibus accepto, & contra ipsos, & contra nostri temporis hæreticos vti iure possumus, quo & Ioannes Eckius, acerrimus fidei nostræ propugnator, aduersus illos non immeritò vsus est.

Cæterùm qua ratione hoc sacramentum etiam sacrificiū est, non solùm communicanti aut offerenti, sed etiam toti Ecclesiæ, pro qua offertur, viuificum & salutare est: nec viuis solùm, sed mortuis etiam, qui purgatorio igne pristinæ vitæ maculas diluunt, magnopere confert. Hinc autem colligere licet, sacerdotes qui quotidie Missam quanta possunt religione atq. deuotione celebrant, vel à purgatorio igne liberandos, vel in eo certè aut breuiori spatio, aut leuiori pœna expiandos: quando quotidiana hæc oblatio, vt debitas defunctorum pœnas, ita quoque proprias offerentis abolet. Quod certè magnum quotidie deuotè Missam celebrantium solatium est.

II.

Quòd autē tam latè huius sacrificij & sacramenti virtus pateat, ex eo D. Thom. esse ait: quòd in eo non Christi virtus tantùm (vt in cæteris sacramentis) sed ipse Christus Dn̄s, gratiarū omnium auctor verè contineatur. Quocirca quidquid omnipotēti Christi virtuti tribuimus, huic etiam sacramēto summo iure concedimus. Quod cùm ita sit, quis omnes eius virtutes & effectus

D. Tho.

effectus oratione consequi possit? Quis morbus, quæ mentis infirmitas, quæ necessitas erit, cui hoc cælesti medicamento occurri non possit? Hoc enim sacramentum (ea ratione quã paulo antè exposuimus) præterita quidem peccata delet, armat contra futura, minuit tentationes, regit affectus, illuminat fidem, confirmat spem, inflammat charitatem, excitat deuotionem, reparat animæ vires, exhilarat conscientiam, hominemque meritorum Christi participem efficit. Hic est panis qui cor hominis confirmat, qui iacentes erigit, debiles confortat, consolatur afflictos, accendit tepidos, excitat pigros, curat ægrotos, ignorantesq; cælesti luce collustrat, ac deniq. (vt Petri Apostoli verbis vtar) homines diuinæ naturæ consortes efficit. Videtis ergo, fratres, quàm copiosè diuina prouidentia animarum nostrarum saluti huius sacramenti virtute consuluerit.

Hæc autem omnia in se ipsis experiuntur illi, qui quanta possunt deuotione, puritate mentis, & innocentia vitæ ad hanc cælestem mensam frequenter accedunt. Et quidem harum rerum sensu atque fructu sic in huius sacramenti fide solidantur, vt nihil eis inter omnia fidei nostræ dogmata credibilius videatur. Vt enim cùm magi Pharaonis Mosem viderunt ea signa edentem, quæ ipsi facere non poterant, digitum & virtutem Dei ibidem esse agnouerunt: ita cùm pij homines eos intra se diuini Spiritus motus & affectus sentiunt, quos neque natura, neque externa vlla vis edere queat, facilè his argumentis adducuntur, vt cælestem in hoc sacramento virtutem esse credant. Quo fit, vt quamuis hoc mysterium inter cætera fidei nostræ dogmata plura mirabilia contineat (quæ omnem humanæ rationis intelligentiam superant) ipsi tamen nihil libentiùs & firmiùs amplectantur. Cætera enim credunt, quoniam interno fidei lumine ad hoc impelluntur: ad hoc autem credendum, nõ modò fidei lumine, sed quotidianis etiam experimentis (quæ omnem superant admirationem) excitantur. Inde adeò fit, vt quemadmodum Sol suo se lumine prodit, ita diuinũ hoc sacramentum (in quo ipse iustitiæ Sol delitescit) internæ lucis radiis, quibus piorum mentes illustrat, maiestatis suę splẽdorem manifestet; atque, vt D. Cyprianus ait, inuisibili efficientia, virtutis diuinæ probet adesse præsentiã. Hoc igitur argumento piorum mentes in huius sacramenti fide mirabiliter confirmantur. Simile. Cypr. in serm.

Nec hoc solùm eos in hac fide solidat, sed illud etiam quod modò subiiciam, quodque vestris animis vehementer infixum esse velim. Constat enim, inter omnia quæ Deo nostro diuinitatis iure attribuuntur, tria præcipuè numerari, Bonitatem, Sapientiam, atque Potentiam: quę omnia quamuis in eo paria sint (quia omnia vnũ sunt) paremq; omnia laudem & gloriam mereantur;

reantur; bonitas tamen humano ſenſu atque iudicio glorioſior eſt. Quam etiam Dominus apud homines magis teſtatã & cognitam eſſe cupit: cuius rei gratia maiora & illuſtriora bonitatis ſuæ teſtimonia atq; opera edidit. Vt enim infinitæ potentiæ atq; ſapiẽtiæ ſuæ teſtimonia precipuè cõſtitueret, ſolo volũtatis nutu mundum condidit: vt verò immenſas bonitatis ſuæ opes oſtenderet, tribus ac triginta annis inter homines verſatus, ad extremũ propter illos in cruce pendens, vitã & ſanguinẽ fudit. Quãto ergo opus hoc illo maius & admirabilius eſt! Hoc ita conſtituto, ad hunc modum philoſophari licet: Cùm Deus noſter infinita bonitate præditus, imò & ipſa bonitas ſit; maximeq́ue proprium veræ bonitatis ſit, omnes alios bonos atque ſui ſimiles facere (quemadmodũ ignis proprium eſt, omnia in ignem, hoc eſt, in ſe vertere atque mutare) quid, quæſo, magis immenſam illam bonitatem decebat, quàm id ſacramentum inſtituere, quod tantam vim habet ad homines bonos, hoc eſt, diuinæ bonitatis & ſanctitatis participes efficiendos? Si dignum diuina maieſtate opus eſſe credimus, cælum, terras, & maria cõdidiſſe, quorum obſequio hominum corpora nutriuntur & conſeruantur: quanto immenſa eius bonitate dignius fuit, ſacramentum hoc inſtituiſſe, quo eorundem animæ in ſpirituali vita & nutrirentur & ſanctificarentur! Si eſcam igitur cunctis animantibus creare non eſſe indignũ Deo prædicas: quomodo indignum erit, ſpiritualem hanc mentibus noſtris eſcam prouidere? Quòd ſi creationis opus immenſam eius maieſtatem maximè decere credimus, quia infinitam eius ſapientiam atque potentiam declarat: cur non ſanctificationis opus magis illum decere credamus, quod immenſam eius bonitatem apertiſſimè prædicat?

Sed obiiciet aliquis infidelium, dicetq́ue pios homines ideo & in virtutis ſtudio, & in Dei amore proficere, quòd falsò ſibiipſis perſuadeant, Deum tanto illorum amore incenſum fuiſſe, vt ſe illis in cibum, quo in ſpirituali vita alerentur, tradere voluerit. Quis enim talem in Deo ſuo bonitatem & charitatem contemplans, non illum tota mente totiſq́ue viribus redamare contendat? Hac igitur perſuaſione concepta, quomodo non in Dei ſui amore liquefiant? Quid huic ego obiectioni reſpondeam, quæſo, fratres, cogitationibus veſtris mentibuſq́ue mandate. Nemo vtique infidelium negare poterit, quin potentior ad permouendos animos veritas rerum, quàm earum falſa perſuaſio ſit. Si ergo tu tantam vim in hac Dei noſtri charitate & bonitate ad inflammandos in eius amorem animos ineſſe putas, vt fallax etiam opinio & apprehenſio mentes hominum eius amore incendat, & ad omne officium impellat; quanto magis hoc eiuſdem rei veritas, & exhibita atque impenſa cha-

ritas

ritas efficiat? Si tantum apud homines falsa opinio valet; quanto, quæso, veritas ipsa potentior erit! Quid ergo immensa illa bonitate dignius, quàm id effecisse, cuius vel sola apprehensio (vt infidelis sibi persuadet) tantam vim habet ad charitatem in Deum excitandam, omniaque virtutis officia exercenda? Hæc ratio, fratres (vt apertè quod sentio dicam) tãtam apud me vim habet ad huius diuini sacramenti fidem concipiendam, vt nullis hoc verbis explicare me posse sperem. Nec enim ego dignius Deo opus esse iudicio mundum creasse, quàm hoc sacramẽtum instituisse. Non minùs igitur credo ab immensa eius bonitate hoc sacramentum manasse, quàm mundum eius virtute & sapientia conditum fuisse. Si igitur hoc tantum diuinæ bonitatis opus in se ipso aspicias, apparet incredibile: sin autem eius auctorem consideres, desinet esse mirabile. Cesset igitur homo (vt D. Chrys. ait) mirari opus; attendat opificem, à cuius infinita bonitate hoc tantum opus emanauit. Chrysost.

III.

Nunc ad vos, fratres, orationẽ conuerto. Si tantas diuinæ gratiæ opes sacramentum hoc secum affert: quo, quæso, ardore, quo affectu, quo desiderio ad hoc tantum salutis nostræ remedium accurrere debemus, quod nobis post ascensum Domini in cælum in terra relictum est? Hoc enim nobis ex tot eius opibus & beneficiis præcipuè manet. Apostoli quidem, qui primitias Spiritus acceperunt, quique ad fontem gratiæ propiùs accesserunt, multis aliis diuinæ gratiæ subsidiis ad iustitiam eruditi atque adiuti sunt. Illos enim Christi Domini præsentia, illos eius mirabilis doctrina aureo ipsius ore pronunciata, illos quotidiana miracula, illos clarissima virtutum Christi exempla, illos denique vita, mors, resurrectio, ascensus in cælum, & Spiritus sancti aduentus mirabiliter illuminabant, & ad omnium virtutum officia incendebant. Hæc autem omnia quodammodo transacta iam sunt. Quid ergo nobis ex aureo illo seculo relictum est? Certè cùm hæc omnia præterierint, hoc summum sacramentum, quod eo tempore à Christo institutum, & à fidelibus frequentatum fuit, hucusque manet, perpetuoque in Ecclesia manebit. Cur ergo maximum hoc, quod nobis superest, beneficium negligimus, quod felicissimi illius seculi dignitatem repræsentat? Quamuis enim tot temporum spatia exacta iam sint, eadem tamen modò Eucharistia nondum mutata, idem diuinum sacramentum, idem sacrificium, idem Agnus immaculatus, idem Angelorum panis, idem illud sacrosanctum corpus & sanguis, idem effectus, & gratia, eademque postremò cœna Dominica manet: quæ ad finem vsque mundi duratura est. Sic enim Apostolus ait: Quotiescumque manducabitis pa- 1.Cor.11.

nem

nem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Quocirca existimare debemus, fratres, cùm ad venerabile Eucharistiæ sacramentum accedimus, nos quoque cum discipulis in postrema illa Domini cœna esse præsentes, eodemque affectu & religione, qua illi, ante hanc mensam assistere. Idem enim est cœnam illam ad hoc vsque tempus continua successione durare, atque in illa præsentes extitisse, quando hæc & illa vnica & eadem cœna est. Idem enim vtrobiq; agnus (vt diximus) idem vtrobique Angelorum panis sumitur.

Si tanta ergo huius sacramenti dignitas, tantaque per illud nobis salus & gratia confertur; quantum, quæso, accusari illorum socordia debet, qui se ad illud piè & religiosè sumendum præparare negligunt! Olim quidem initio nascẽtis Ecclesiæ frequentissimus erat huius panis vsus. Omnes enim qui sacris mysteriis aderant (catechumenis dumtaxat, & energumenis atque pœnitentibus exceptis) Christi corpus sanctissimum vnà cum sacerdote percipere solitos fuisse, auctor est in primis Dionysius ille Areopagita, & Iustinus martyr, qui de baptismatis ritu agens, cõsueuisse inquit Eucharistiam, dari à diaconis, omnibus qui præsentes aderant percipiendam, & absentibus deferẽdam. Et paulo pòst, In more inquit positum fuisse diebus Solis, quos Dominicos appellamus, omnes qui in oppidis vel agris morabantur, vnum in locum conuenire; & precibus, scripturarumque lectione peracta, sanctificatum panem & vinum, qui aderant, percipere, & ad eos, qui absunt, diaconis dari perferendum. Dionysij autem verba sunt: At verò Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit: & quæ antea laudauerat, venerandis operta atque abdita signis, in conspectum agit; diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos, vt communicent, hortatur. Sumpta demum atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem mysteriis imponit. Hactenus Dionysius. Diuus verò Augustinus tractãs illam Dominicæ orationis particulam, Panem nostrum substantialem da nobis hodie; de sacrosancta Eucharistia interpretatur, & illius frequentem vsum hac oratione commendat: Si quotidianus est panis, an post annum illum sumes? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Hæc ille.

[Margin: Dionys. Iustinus. Dionys. Aug. de serm. Do. in mõte. Hæc verba sunt Ambros. lib. de sacram.]

Huius autem extremæ sententiæ causam esse constat, quòd cùm sub illa panis specie diuina vis diuinaque illa flamma delitescat, quæ mentes charitate inflammat: eo quidem minùs dignè his cælestibus epulis quisque vescitur, quo se ab illis longiùs

giùs abduxit. Qui enim ab his ſanctiſſimis dapibus diu abſtinet, quomodo tam diuturna cæleſtis ignis abſentia incaleſcet? Quod fuit in cauſa, vt D. Auguſtinus eos diceret nequaquam mereri poſt annum Euchariſtiam accipere, qui non mererentur quotidie accipere. Proceſſu verò temporis vſque adeò hic fidelium feruor atque deuotio refrixit, vt etiam Diui Chryſoſtomi ætate non eſſent admodum multi, qui hæc diuina myſteria frequentarent. Quod vir ſanctus grauiſſimè accuſat his verbis: O conſuetudinem! ô præſumptionem! ô ſacrificium fruſtra quotidianum! Incaſſum aſſiſtimus altari: nullus eſt qui communicetur. Idemque alibi, Vnus, inquit, ſit nobis dolor, hac eſca priuari. Auguſt. Chryſoſt.

Sunt autem qui timoris & reuerentiæ prętextu negligentiam ſuam tueantur, indignos ſe eſſe clamantes, qui ad hæc tremenda myſteria accedant. Qui dum in alteram foueam incidere verentur, ſi minùs reuerenter ſacram Euchariſtiam ſumant, in alteram non minùs periculoſam incidunt, cùm ab illa prorſus diſcedunt. Hunc autem immodicum timorem Ioannes Caſſianus adimere nobis nititur his verbis: Non ex eo debemus nos à Dominica communione ſuſpendere, quia nos peccatores agnoſcimus; ſed ad eam magis eſt propter animæ medicinam & purificationem ſpiritus auidè feſtinandum: verumtamen ea humilitate mentis & fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potiùs noſtris vulneribus expetamus. Alioqui nec anniuerſaria quidem digna præſumenda eſt communio, vt quidam faciunt, qui in monaſteriis conſiſtentes, ita ſacramentorum cæleſtium dignitatem & ſanctificationem ac meritum metiuntur, vt exiſtiment ea non niſi ſanctos atque immaculatos debere præſumere, & non potiùs vt nos ſanctos mundoſque ſua participatione perficiant. Qui profectò maiorem arrogantiæ præſumptionem, quam declinare ſibi videntur, incurrunt: quia vel tunc, cùm ea percipiunt, dignos ſe eius perceptione diiudicant. Hactenus ille. Coll. 23. cap. 21.

Sunt rurſus alij, qui ideo ſe diutiùs ab hoc cæleſti pane abſtinere dicunt, vt reuerentiùs accedant, exiſtimantes crebra ſacramenti communione ingenerari contemptum, quem aliis in rebus frequens conſuetudo parit. Qui autem hoc dicunt, parum mihi, quod res habet, proſpicere videntur. Hominũ enim, qui communis peccati vitio multis delictis obnoxij ſunt, quò magis conſuetudine vteris, eo plures ipſorum morbos agnoſcis, atque eo magis illos contemnis. Quod contrà fit in eo, qui cùm infinitè bonus ſit, quo frequentiùs cum eo verſaris, eo maiores in eo immenſæ bonitatis & perfectionis opes deprehendis: quo & amor erga illum & reuerentia, atque eius fruendi deſiderium

magis

Eccli. 24. magis crescit, iuxta illud: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Adde etiam, quòd quoties corpus Domini dignè recipimus, charitatis, puritatis, reuerentiæ, ac deuotionis incrementa maiora percipimus: quibus rebus homo ad hanc cælestem mensam digniùs præparatur. Quo fit, vt optima præparatio ad dignè postera die celebrandum, sit, hodie deuotè celebrasse: quod planè fatentur, quicumque huius rei periculum fecerunt: itaque tantum abest, vt huiusmodi consuetudo contemptum pariat, vt vix vlla re magis deuotio, & charitas, ac reuerentia erga hoc mysterium accendatur. Pia igitur mens, hoc immodico timore deposito, quanta poterit animi puritate ad hoc mysterium accedat, quo diuina eius virtute mentis suæ infirmitati medeatur. Hinc quidam ex Patribus formidolosam eiusmodi animam his verbis alloquitur: Immunda es? accede mundanda ad fontem puritatis. Esuris? accede pascenda ad panem viuificum & indefectibilem. Aegrotas? erit hoc efficacissimum tuæ valetudini medicamentum. Fluxum pateris, nec sanari potes à medicis? tange plena fide cum Hæmorrhoissa fimbriam, videlicet sacram hostiam, vt purgeris.

IIII.

Cæterùm quoniam iuxta sanctorum Patrum doctrinam propria ad hoc sacramentum præparatio est, vt cum amore simul ac timore ad illud accedamus; & quæ hactenus à me dicta sunt, ad amorem præcipuè, fiduciam, & desiderium eius accendunt: quæ modò dicam, salutarem metum, curam, & reuerentiam incutere nobis debent. Formidare quippe debemus cælestem illam tubam omnes hac salutari cautione admonentem:

1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Hunc autem salutarem metum illa Domini verba quæ in Leuitico habentur, nobis incutiunt: Locutus est enim Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes

Leuit. 6. ignem alienum interfecti sunt: & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) nisi hæc antè fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur. His porrò vestimentis lineis, innocentiam & puritatem studio atque labore partam intelligi rectè

rectè puto. Linum quippe candidum est, & multis contusionibus ac decoctionibus, multaque opera ex fragili herba in aliam longè dissimilem formam transit. Quæ res typum iustitiæ & innocentiæ tenet: qua carnales homines multo labore in spirituales transformantur. Vnde Ioannes in Apocal. byssinum ait esse iustificationes sanctorum. His ergo innocentiæ vestibus omnia interioris hominis nostri membra, hoc est, omnes animæ nostræ vires vestiendæ atque exornandæ sunt: quod typicè Dominus in suprà positis vestibus designauit. Cæterùm quòd inter alia indumenta singularem de lineis femoralibus mentionem facit; quis non videt, pudicitiæ candorem & puritatem hoc vestis genere commendari? Quid enim esset indignius, quàm vt sordido corde & corpore ad immaculati Agni conuiuium accederemus? Hanc enim sacrilegam temeritatem nō in altera vita solùm, sed frequenter etiam in præsenti Dominus punire solet. Cuius rei memorabile exemplum Palladius in vita Macarij Alexandrini (sub cuius ipse disciplina nouem annis militauerat) his verbis refert: Ad hunc ipsum Macarium cùm aliquando venissem, reperi ante fores cellæ ipsius presbyterum quendam, cuius totum caput adeò exesum & consumptum erat illo morbo qui cancer nominatur, vt os etiam verticis videretur: qui illuc, vt curaretur, aduenerat: nec tamen vsque in illum diem à sancto Macario susceptus fuerat aut visus. Ego itaque tunc ipsum rogans, petiui vt eius misereretur, & saltem responsum ei daret. Ad quod mihi ille Sanctus dixit: Non est dignus iste curari; hanc enim pœnam ex præcepto diuinitatis accepit. Si autem vis curari eum, persuade illi priùs, vt à sanctorum sacrificiorum immolatione discedat. Cumque ego dicerem: Cur obsecro id fieri iubes? Quia fornicatione, inquit, pollutus, ministeria Domini violare consueuerat: ob quod talis supplicij atrocitate cruciatur. Sed sicut dixi, si nunquam velut sacerdos sacrificia contigerit diuina, accipere (Deo iuuante) poterit medicinam. Cùm ergo illi, qui hac valetudine laborabat, ista dixissem, vt cum sacramento mecum paciscere-tur, non se vlteriùs ad officium sacerdotis accessurum, tum demum à Sancto illo vocatus est: qui eum his allocutus est verbis: Credis, inquit, Deum esse, cui nihil occultum est? Respondit, Credo. Non potuisti (inquit) virtutē diuinitatis eius euadere? Respondit ille: Non potui, Domine mi. Tunc magnus ille Macarius, Si cognoscis, inquit, peccatum, & vis euadere istam quam propter illud tibi Dominus intulit pœnam, emendare de reliquo. Quo audito, ille proprium confessus est crimen, & de cætero se nunquam peccaturum esse promisit, neque functurum sacerdotis officio, sed inter laicos iam futurum,

Apoc. 19.

Pallad.

& tunc

& tunc demum illi manum Sanctus impoſuit: atque in paucis diebus capillorum quoque recuperatione curatus, Deumque glorificans, ſancto etiam viro gratias referens, videntibus nobis ad propria remeauit.

Cæterùm ne, qui fortè aliquando lapſi ſunt, huius exempli metu frangantur, ad pœnitentiæ remedium ſolicitè confugiant: vt hac ſaltem ratione purgati, humili atque demiſſo animo ad menſam Domini accedant. Hanc autem præparationem in lege olim Dominus adumbrauit, cùm Exod. 12. præcepit, ne quiſquam ad eſum agni (qui huius diuini ſacramenti imaginem gerebat) niſi circumciſus accederet. Seruos autẽ emptitios (qui ad Iudæorum religionem tranſire vellent) priùs quidem circumcidi, circumciſos autem ad conuiuium illud admitti debere; mercenarios autem nullo modo. Conſtat autem, corporea illa circumciſione ſpiritualem animarum circumciſionem adumbrari; quæ veræ pœnitentiæ virtute fit: qua & præterita mala deflemus, & futura vitare proponimus. Hac ergo ratione ſpiritualiter circumciſi, ad hæc ſacra & adoranda myſteria cum timore ac tremore accedere poſſumus. Quod autem mercenarij ab agni eſu excluduntur, indignitatem nobis eorum inſinuat, qui terrenæ mercedis gratia ad altare tremendum accedunt, quæ res non tam ad plebem (cui nulla huiuſmodi merces propoſita eſt) quàm ad ſacerdotes eos pertinet, quos ad altare Domini non fames, ſed merces; non charitas, ſed cupiditas; non amor Dei, ſed amor ſui; non animæ medicamentum, ſed corporis alimentum trahit. Hi namque verè mercenarij ſunt, quos à ſuo Dominus conuiuio hac lege ſecludit. Quo in loco latiſſimus ſeſe nobis lugendi campus aperiebat, in quo Eccleſiæ vicem lamentaremur: in qua tam multi ſacerdotes ſunt, qui non deuotionis affectu, ſed mercedis obtentu ad altare Domini accedunt, ignem planè offerentes alienum: vtpote quos non ardens in Deum charitas, ſed flagrans pecuniæ cupiditas ad hoc miniſterium trahat. Similiſque lamentandi materia eſt, tam multos cernere, qui ſacris initiantur, non vt animas, ſed corpora paſcant: hoc eſt, non vt in hoc dignitatis gradu religioſiùs Deo ſeruiant, ſed vt habeant vnde corporis vitam ſuſtentare valeant, ſic ad ſacros ordines, quaſi ad manuarias artes accedentes, & quæſtum eſſe pietatem exiſtimantes. Quæ res quantum Eccleſiæ dignitati & communi fidelium ſaluti noceat, vix vlla oratione explicari, vix vllis lacrymis ſatis defleri queat. Sed quoniam dies hæc non lamentis, ſed ſpiritualibus gaudiis dicata eſt, in aliud tempus hanc querimoniam differamus: hodie verò Dominum pro tanto munere laudemus, eiuſque laudes & magnificentiam feſtis vocibus prædicemus, illique quan-



quantas maximas possumus gratias agamus, ab eoque suppliciter postulemus, vt, qui sese nobis velatum in hac mortali vita tradere dignatus est, reuelata tandem facie se nobis in patria præbere dignetur. Amen.

IN EODEM FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO QVARTA: in qua primùm de summis beneficijs in hoc sacramento nobis exhibitis, eiusque effectis & virtutibus; deinde verò de reuerentia qua ad illud accedendum sit, ac de frequentiori eius vsu agitur.

THEMA. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ioan. 6.



DICTVRVS hodie, fratres charissimi, de altissimo ineffabilique Christianæ fidei mysterio, deque omnium diuinorum miraculorum maximo (in cuius explicatione verba desunt animo, intellectus hæret, iudicium obruitur) non video, qua via insistere, aut quod dicendi initium commodiùs sumere debeam, quàm quod magnus ille Dionysius Areopagita, de hoc admirabili sacramēto dicturus, sibi sumendum decreuit: nempe ab ipso eodem Domino, qui in hoc sacramento latet, supplicibus votis postulare, vt paulisper id quo tegitur velum aperire, & ex immensa luce, quæ intra illud latet, vel exiguum ad nos radium emittere dignetur: quo lusciosi mentis nostræ oculi illum videre, voluntates amare, & lingua nostra dignum aliquid de eo proloqui valeat: vt totum illi hodie acceptum feramus; & quod ab eo munus accepimus, & lucem qua illud agnoscimus & prædicamus. O diuinum penitus (inquit Dionys.) sanctumque mysterium! obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperiens, nobis palàm atque apertè lucesce, nostrosque spirituales oculos singulari & aperto lucis tuæ fulgore reple. Quòd si hanc in nos lucem diuina pietas effundere dignaretur, superuacaneus noster hic labor futurus erat: multo enim magis nos fulgor ille diuinus illuminaret, afficeret, atque raperet, quàm omnes non solùm hominum, sed etiam Angelorum linguæ. Hoc ipsum autem Moyses à Domino suppliciter petebat, cùm diceret: Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende

Dionys. / Exod. 33.

mihi gloriam tuam. Quod quidem beneficium sanctus Propheta non vni sibi tantùm, sed vniuerso populo, quem regendum susceperat (vt Lippomanus annotauit) à Domino postulabat. Cùm enim videret inobedientem populum nec tot inspectis miraculis, nec tot perceptis beneficijs in officio contineri, hanc vnam viam ad pietatem & iustitiam efficacissimam iudicauit, si in eum Dominus pulchritudinis & lucis suæ radios immitteret, quo ab illo doctus & institutus, quàm gloriosum & magnificum Deum, quantoque cultu & reuerentia dignum haberet, intelligere posset. Hac enim ratione facilè homines non ad obedientiam modò, sed ad mille mortes pro ipso obeundas paratissimi essent. Sine hoc igitur diuini luminis radio, non video quomodo ad huius sacramenti mysterium prædicandū assurgere humana infirmitas valeat. Animaduerto quippe nihil in eo esse non summum atque diuinum. Si enim effectus eius spectare velis, is est, homines diuinos, hoc est, deiformes efficere: si verò huius effectus causam intuearis, Deus ipse causa est intra pectus hominis admissus: si autem modum inspicias, modus est vt idem Dominus, sub panis specie ab homine sumptus, eundem hominem efficiat cælestem atque diuinum. Quo indicio, quantum inter verum Deum & commentitios Gentilium Deos discriminis sit, facilè intelligimus. Inter illorum quippe Deos Iupiter princeps habebatur, quem D. Cyprianus non cælestis regni, sed vitiorum principem esse ait. Hic igitur Deus imbris aurei formam suscepisse fertur, vt intra virginis Danaës cubiculum admissus, illi pudicitiam eriperet: noster autem Deus panis speciem sumit, vt intra pectus hominis exceptus, puritatis & sanctitatis suæ participem efficiat. Cùm igitur in hoc sacramento omnia sint diuina; qui fieri poterit, vt rudis & vilis homuncio, quæ diuinissima sunt, assequi & proloqui sine Dei lumine queat? Vt hanc igitur nobis lucem Dominus, qui in hoc sacramento conditus est, impartiri dignetur, ad beatissimam Virginem, hoc est, misericordiæ matrem, confugiamus, eiusque patrocinium solita oratione imploremus.

Lippom.

Dissimil.

Cyprian. in Epist.

AVE MARIA.

Ephrem. Beatus Pater Ephrem, in eo libro quem De virtutibus ac vitijs edidit, hanc sententiam obseruatione dignissimam scriptam reliquit: Cùm Christianæ vitæ rationem considero, singula ipsius instituta beatudinem hominibus afferre perspicio. In nullam namque Christianæ philosophiæ partem vir sanctus oculos conijciebat, quam non ad humanæ vitæ felicitatem efficacissimam esse crederet. Nam cùm eam partem intueretur quæ leges & præcepta viuendi continet, qua cupiditates frænantur (quam carnales homines maximè reformidant) in huius obserua-

serua-

eruatione magnam pacem & animi quietem, mirasque diuini Spiritus delicias inueniebat. Non enim temerè regius Propheta dixisse putandus est: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Omnia quippe diuinæ legis præcepta aduersus carnis nostræ cupiditates militant, quæ omnium perturbationum, molestiarum, atque dissidiorum causæ sunt, Iacobo Apostolo testante, qui ait: Vnde bella & lites in vobis, nisi ex concupiscentijs vestris, quę militant in membris vestris? Vnde consequens est, vt, hisce pacis perturbatoribus diuinæ legis vi & obedientia compressis, tranquilla pax animi (in qua huius vitæ felicitas sita est) oriatur. Hinc enim memorabilis illa Senecæ sententia manauit: Qui desiderium clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat. Diuinæ ergo legis obedientia, quæ cupiditatem comprimit, certissima ad felicitatem via est. Si quis verò aliam diuinæ legis partem contempletur, quæ cælestia præmia pijs constituta continet, & spiritualia gaudia, quibus in hac etiam vita reficiuntur & oblectantur: quis non videt quantæ felicitatis sit talibus consolationibus recreari, tantæque gloriæ spe animum ali & excitari?

Psal. 118.

Iacobi 4.

Seneca in epist.

Satis duo hæc ad constituendā hominis felicitatem esse videbantur: sed est aliud, quod multo magis ad humanæ vitæ beatitudinem conferat, nempe sacramentorum beneficia: quæ sunt humanæ infirmitatis medicamenta, dolorum solatia, malorum remedia, & diuinæ bonitatis & charitatis clarissima argumenta. Inter quæ tamen singulari virtute & dignitate diuinissimum Eucharistiæ sacramentum eminet; quod totius felicitatis & beatitudinis nostræ origo & fundamentum est. Cùm enim ad hanc ipsam beatitudinem cætera sacramenta nobis plurimum conferant, quæ cælestem gratiam, & Spiritum sanctum hominibus tribuunt (in cuius donis fructibusque non exigua beatitudinis nostræ portio sita est) hunc tamen Spiritum & gratiam summum Eucharistiæ sacramentum maximè præstat. Ad illud namque cætera sacramenta ordinātur, & ipsum etiam (vt Diuus Dionysius ait) aliorum sacramentorū perfector & consummator est: quandoquidem in eo se nobis Christus Dominus totum tradit, cùm se in alijs per partes quodāmodo tradat; quia in illis non ipse, sed eius nobis virtus & gratia communicatur. Hoc est igitur quod beatitudinem nostram maximè constituit. Quæ enim maior beatitudo, quàm à summo illo rerum omnium Domino diligi; in cuius manibus omnium terrestrium atque cælestiū bonorum thesauri positi sunt: qui solus hominem plena felicitate beare, solus cunctis opibus cumulare potest? Quod autem maius aut euidentius diuinæ huius dilectionis argumentum, quàm quòd hic tantus Dominus non sua modò, sed

seipsum nobis donare, & nobiscum vnum fieri dignatus fuerit?

Ex hac autem spirituali vnione facile erit intelligere, quàm multa & magna beneficia, quæ ad hanc ipsam beatitudinem consequendam miro modo adiuuant, nobis collata sint. Constat enim amorem, donorum omnium primum, omniumque aliorum causam & fontem esse: qui enim verè amat, seipsum primò amanti tradit, ac deinde reliqua quæ in eius facultate posita sunt. Qui enim quod maximum & summum est tribuit, non morabitur inferiora etiam & minora largiri. Quo nomine

Dionys. D. Dion. hoc summum sacramentum appellari communionem ait, quòd in eo Dominus Iesus seipsum atque opes suas largè & munificè amatoribus suis impendat; & intra illos manens, omnia in omnibus operetur. Ipse namque mentem splendore suæ claritatis illuminat, & affectus iaculo sui amoris sauciat: ipse animam torpentem excitat, languentem roborat, cessantem extimulat, esurientem pascit, sitientem potat, mœrentem consolatur, pugnanti vires sufficit, labantem sustentat, à malo reuocat, & ad omnia virtutis officia exsuscitat, & sic tãdem spiritualem animæ vitam tribuit, per quam ad vitam perueniat sem-

Cyril. in Ioan. piternam. Hinc Diuus Cyrillus, Viuificat, inquit, corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa & viuunt & sunt.

Sed inter hos tamen huius diuini sacramenti effectus, maximè proprius ac singularis est hominis cum diuina mente vnio atque copulatio. Qua de causa Dominus sacramentum hoc sub cibi specie instituere voluit, vt hanc humanæ mentis cum diuina mente vnionem designaret: quandoquidem proprium cibi est, vnum cum eo fieri qui eo vescitur. Hoc est igitur quod præcipuè Dominus in hodierna sancti Euangelij lectione exponit, cùm ait:

I.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quid autem hoc sit, idem Dominus explicat, cùm ait: *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Hoc enim cibi proprium esse diximus, in aliti naturam transire, & vnum cum illo fieri: quod quidem huic sacramento maximè conuenit, quo Ecclesiæ membra capiti Christo copulantur, & vnum cum illo efficiuntur. Cùm is igitur præcipuus huius sacramenti effectus sit, existimo vos omnes partim quidem vnionis huius dignitatem admirari, partim etiam scire velle quonam modo hæc tam dissimilium partium, tamque longè inter se dissitarum vnio fieri possit: presertim cùm ea quę valdè dissi-

milia

milia sunt, in vnum coire nequeant. Ad hoc igitur respōdemus, hanc vnionem spiritualem esse, & amore potissimùm fieri. Amor autem duplici ratione mētem cum re amata copulat atque vnit. Primùm enim eam cogitatione, affectu, ac desiderio in ea re esse facit, quam vehementer amat. Hinc illud quod vulgò dici solet, animam magis ibi esse vbi amat, quàm vbi amandi officium exercet. Et illud item: Amantem mortuum esse in corpore proprio, viuere autem in alieno. Deinde etiam, quia perfectus amor amantis voluntatem in dilecti voluntatem ita transformat, vt, quidquid hic vult, ille velit, nec ab eo vnquam voluntate dissentiat. Verissimè enim dictum est, Idem velle, idemque nolle, eam demum firmam amicitiam esse. Hoc autem perpetuum Sanctorum omnium studium fuit, vt, quantùm in hac fragili vita fieri posset, mentem suam cum diuina mente & voluntate ita copularent, vt, quidquid illa vellet, ipsi quoque simili studio & affectu vellent. Hoc enim illa Ezechielis animalia designant: quæ, vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm incederent. Præcipua enim & continua sanctorum hominum cura erat in diuinam volūtatem oculos semper intentos habere; & quidquid illa vel pręciperet vel innueret, quò vocaret, aut vnde reuocaret, diligenter attendere, & se totos ad illius ductum propria voluntate repudiata applicare; & in hoc vnum neruos omnes intendere, vt ex duabus voluntatibus vna quodammodo voluntas fieret. Quam quidem vnitatem sola beatissima Virgo inter Sanctos omnes plenissimè consecuta est: in cuius anima adeò plenum sibi diuina voluntas dominium vindicauit, vt ibi non duæ voluntates, sed vna quodammodo, nempe diuina, locum habere videretur. Quo factum est, vt anima illa sanctissima perfectissimè in diuinam mentem transformata esset: quando nihil ibi iuris propria voluntas, sed totum diuina sine vllo prorsus impedimento possidebat. Post beatissimam autem Virginem, Apostoli deinceps ad hanc vnionem peruenire summo studio contendebant. E quibus Paulus ait: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Quibus verbis innuit, propriam voluntatem, pristinosque veteris hominis mores extinctos fuisse, proque illis Christi Domini voluntatem & virtutes clarissimas eius mentem ita obsedisse, vt, quisquis Paulum intueretur, magis in eo Christi imaginem, quàm Pauli deprehenderet. Adeò enim Christo vnitus & in illū transformatus erat, vt in eo magis eluceret quod erat factum, quàm quod erat natum; magis quod gratia donauerat, quàm quod natura formauerat. Quemadmodum enim acerbi fructus melle aut saccaro decocti, nihil pristinæ acerbitatis retinent, sed illius liquoris saporem referunt in quo diu iacuerunt: ita in

Salluſtius. Ezech. 1. Galat. 2.

Paulo nihil erat quod veteris Pauli naturam & ingenium, & pristinæ vitæ saporem haberet: sed quidquid in eo videbatur, eius erat cui per ardentissimam charitatem vnitus, & in quem transformatus erat. Ideoque iure seipsum discipulis in exem-
1. Cor. 4. plar virtutum Christi proponere potuit, cùm dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Vt igitur ad institutum redeamus, cùm præcipua huius diuini sacramenti virtus sit, humanam mentem cum diuina copulare (hoc enim natura cibi designat, qui in edentis substantiam vertitur) hæc autem vnio non corporea, sed spiritualis sit, & amoris glutino fiat; amoris autem sit (vt hactenus demonstratum est) amantem in amatum transformare: efficitur sanè, vt, qui per huius sacramenti virtutem perfectè Christo Domino vnitur, in ipsius imaginem transformetur. Hoc est autem quod Saluator in hodierna lectione ait: *Misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Hanc autem similitudinem quis inter homines vsurpare auderet, nisi ea Saluator ipse vsus fuisset? Sensus enim est, quòd quemadmodum Filij Dei vita eadem cum Patris vita est, quia Pater est in Filio: sic fidelis hominis vita, qui Christi Domini corpus intra se receperit, Christi vitæ conformis erit, quia Christum intra se com-
Simile. morantem habet. Itaque sicut ignis (qui inter elementa omnia nobilissimus est) quamcumque corripuerit materiam, in se conuertere, suamque formam atque virtutem in eam transfundere contendit: ita quam mentem Christus Dominus (qui ignis consumens est) corripit & inhabitat, in se transformare, sibi vnire, & sui similem, hoc est, diuinam efficere nititur. Cuius rei causam
Cle. Alex. Clemens Alexand. esse ait, quòd in hoc diuino sacramento non modò corpus & sãguis Christi nobis traditur, sed charitas etiam & Spiritus Christi quo sanctificamur, atque diuinæ similitudinis participes efficimur. Id autem euenit, cùm ea puritate & sinceritate vitam nostram instituimus, vt in ea diuinæ puritatis imago quædam appareat, vt, quicumque nos viderit, non spurios & adulterinos, sed legitimos Dei filios, eiusque simplicitatis & innocentiæ imitatores agnoscat.

II.

Ex hoc autem posteriori effectu alij non minùs suspiciendi consequuntur. Primùm enim hinc tanta fortitudinis vis in fra-
Chrysost. gili humanæ mentis natura manat, vt Diuus Chrysost. dicat: Vt leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, terribiles
Cyprian. dæmonibus effecti. Quo factum est, vt Diuus Cyprianus, instante persecutionis procella, Christi milites qui tormentorum metu à fide defecerant, ne iterum tormentorum immanitate victi succumberent, intra Ecclesiæ castra colligere, eosque non ferro

ferro & vallis, sed munimento (vt ille ait) Dominicæ saturitatis armandos curauerit: tantum in hoc diuino mysterio virtutis ac roboris esse intelligebat. Cuius rei si causam quæras, causa est amoris vnio, quam diuini huius mysterij effectum esse diximus. Cuius quanta sit vis, Sponsus in Cant. declarat, cùm ait: Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Vnde sequitur, Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. Cant. 8.

Ex eodem etiam fonte sequitur meritorum Christi communio, quæ nobis sacramenti huius beneficio contingit. Post illud enim primum & summum beneficium, quo se ipsum Saluator fidelibus donauit, proximum est, vt sua quoque illis largiatur. Inter quæ præcipuus est sacratissimæ passionis & mortis eius fructus, cuius fideles in hoc sacramento participes efficiuntur. Itaque laborum omnium, dolorum, iniuriarum, verberum atque vulnerum, quæ mitissimus ille Agnus tum in vita sua, tum præcipuè in morte perpessus est, participes efficimur, quoties hoc diuinum sacramentum piè & religiosè sumimus. Vt enim virtus omnis atque sensus capitis in omnia corporis membra deriuantur: ita Christi Domini opes & virtus (quem constituit Deus caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius) ad omnes fideles, qui charitatis glutino illi tanquam viua membra copulati sunt, plenissimè dimanant. Quæ quidem vnio, sacramenti huius virtute perficitur, in quo spiritualia Christi membra capiti suo arctiùs coniunguntur. Cùm enim nobis sacrum corpus & sanguinem suum donat, simul etiam donat quod illo corpore & sanguine in sacrificium oblatis promeritus est. Neque enim alterum sine altero dignè accedentibus datur: hoc est enim dari & sacramentum, & rem sacramenti. Qua in re diuinæ pietatis dignatio studiosè consideranda est: quæ planè voluit, vt, quod ille moriendo promeruit, nos edendo consequeremur; & quod ille expansis in cruce manibus obtinuit, nos manibus in sinu conditis reciperemus; & quod ille summis corporis & animæ doloribus assecutus est, nos ineffabili animæ nostræ dulcedine (qua in hoc sacramento fruimur) perciperemus. Quid igitur hac benignitate clementius? quid paterno affectui conuenientius? Solent patres immensos sæpe labores excipere, & varia pericula adire, vt amplum filijs patrimonium relinquant, quo ipsi citra laborem & periculum opibus alieno labore partis fruantur. Quam rem Christum Dominum nobiscum in hoc sacramento egisse constat. Simile.

Est & aliud non minùs suspiciendum, quod primam illam spiritualis vnionis dignitatem consequitur. Non enim patietur Dominus templum suum, hoc est, corpus nostrum, in quo

sacratissimum eius corpus velut in templo suo habitauit, videre corruptionem, sed illud eiusdem resurrectionis & glorię communione honorabit. Qua enim ratione Apostolus ait corpora nostra à mortuis excitanda, quòd in nobis Christi Spiritus habitauerit; eadem etiam futuræ resurrectionis gloriam colligimus, quòd non modò Spiritus Christi, sed sacratissimũ etiam corpus eius in nobis sibi sedem delegerit. Huius verò tantæ dignitatis pignus pijs omnibus in hoc sacramēto confertur: & pignus quidem valoris & pretij, cuius futura merces est. Nihil enim nobis maius promittitur in cælis, quàm quod in terra sacramēti huius exhibitione donatur, quamuis alia ratione donetur. Datur enim hîc idem Dominus sub aliena imagine velatus, ibi verò aperta facie detectus: hîc sub panis imagine, ibi in ipsa diuinæ pulchritudinis specie. Deus tamen vtrobique est qui datur. Quis ergo tali spe, talique salutis æternæ pignore non gaudeat? Quis non sic vitam instituat, vt numquam pignus hoc capitali aliquo crimine amittat, quo fideliter adseruato, æternam vitam sibi donandam esse non dubitat?

Sed nondum hic donorum atque gratiarum finis. Est enim & aliud non minoris deuotionis & reuerentiæ studio suscipiēdum. In sacris enim locis apud nos commorari voluit, vt illum coràm videre, illum alloqui, orare & adorare die noctuq. liceret, illique nos præsentes exhibere. Hoc enim, sicut & cætera sacramenta, ad noui Testamenti gratiam, & aduentus Christi gloriam pertinebat: vt tam facilè nobis ad Deum accessus vbique locorum pateret. Concessa enim prima illa immensa & inexplicabili gratia, qua Deus immensus propter homines homo fieri dignatus est, quid iam in cæteris diuinæ gratiæ thesauris nobis occlusum & interdictum remanere debuit? Qui enim quod maximum & summum erat, nempe Filium suum tribuit, quomodo non cum illo nobis omnia donabit? Olim quidem Dominus in lege, vnum
Leuit. 16. in vniuersa terra altare, & vnicum templum esse voluit. Et quidem in sacrarium & intimum templi adytum, in quo arca testamenti collocata erat, solus summus sacerdos (thuris suffitu totum sacrarium operiente, ne quid cernere posset) ingrediebatur, arcam verò ipsam non modò manu contingere, sed nec videre fas erat. Bethsamitæ namque, qui eam curiosiùs videre præsumpserunt, meritas audaciæ suæ pœnas dederunt. Quid,
Iosu. 3. quòd nec ad eam propiùs accedere licebat, nisi duorum millium cubitorum spatium esset interiectum? Hoc enim Iosue cauit, cùm arca Domini in Iordanis transitu populum præcedebat. Iam verò cùm Dominus in montem Sinai descendisset, solus Moyses ascendit in montem: nulli autem hominum aut iumentorum etiam fas erat ad montem, in quo Deus loquebatur, accedere.

accedere. Ille ergo Dominus, qui adeò exiguam olim sui copiam hominibus faciebat, ille quem Esaias vidit sedentem super Esai. 6.
thronum excelsum & eleuatum, Seraphicisque spiritibus vallatum, ille qui de se ipso apud eundem ait; Cælum mihi sedes est, Esai. 66.
& terra scabellum pedum meorum; ille, inquam, sublimis & Idem 57.
excelsus, habitans æternitatem, habitare etiam ad finem vsque seculi in huius mundi inferioris exilio, in hoc nostro tuguriolo, in hac ærumnarum valle, in hac stultorum cauea, inter sicarios, adulteros, homicidas, latrones, sanguinarios, mendaces, & sacrilegos homines (quorum multi finitimas templis atque sacrarijs domos habent, inter hos inquam, propter electorum suorum salutem & gloriam habitare dignatur: vt non iam duorum millium cubitorum spatio interiecto, sed prope ipsum altare accedere, vt illum alloqui, illum salutare, illi assistere, illum quodammodo intueri, suas illi calamitates declarare, auxilium petere, laudes offerre ac decantare valeant. Experiuntur autem huius beneficij virtutem sanctimoniales & monachi, qui stant in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri: qui ante altara- Psal. 133.
re, in quo Dominicum corpus adseruatur, perseuerantes, in noctibus extollunt manus suas in sancta, & benedicunt Dominum. Longè enim aliter hoc in loco mentes eorum afficiuntur & rapiuntur, quàm cùm alibi hoc idem officium faciunt. Huius siquidem sacramẽtalis præsentiæ argumento intelligunt quantum eos diligat, qui perpetuò apud illos manere, & cum illis commorari voluit. Hac enim ratione Ieremias flagrantissimum erga populum suum amorem declarauit, cùm, euersa à Chaldæis ciuitate, optio illi à principe militiæ, magnis adiunctis promissis, data esset, vt in Babylonem secum veniret: qui tamen maluit inter captiui populi sui ruinas permanere, quàm regijs opibus & honoribus in palatio Babylonis affluere, cùm tamen tot esset iniurijs ab eo populo affectus. Hoc igitur argumento Saluatoris nostri charitatem in homines intelligere licet: à quibus tot modis offensus, nihilominus tamen inter eos habitare dignatur, vt eos gratiæ & præsentię suæ virtute oblectet atque confirmet. Hæc enim sacramentalis præsentia spiritualem Domini præsentiam pollicetur, qua is & precibus & necessitatibus piorum hominum præsens adest. Hoc enim ipse discipulis & nobis omnibus pollicitus est, cùm ex hoc mundo discedens dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus die- Matth. 28
bus, vsque ad consummationem seculi. Cuius quidem promissionis diuini huius sacramenti præsentia fidem facit. Esse autem nobiscum, quid aliud est, quàm nobis adesse, nobis præesse, modisque omnibus salutem nostram promouere? Quæ quidem res magnam certè piè considerantibus admirationis

atque deuotionis materiam præbet. Cùm enim Dominus tot annis salutem nostram operatus fuerit in medio terræ, totque doctrinæ monitis, tot virtutum exemplis, & sacramentorum medicamentis, quodque mirabilius est, tot doloribus, opprobrijs, atque vulneribus salutis nostræ negotium plenissimè absoluisset, existimare quisquam poterat, illum deinde à salutis nostræ cura feriatum cessare. Vbi enim extremam illam in cruce vocem protulit, Consummatum est (quo verbo omnia legis & Prophetarum vaticinia, & omnia quæ ad stabiliendam generis humani salutem necessaria erant, impleta esse designauit) nihil aliud superesse videbatur. Verùm summus ille humanæ salutis amator, ne tot quidem laboribus atque beneficijs contentus, quasi parum esset actum, pollicetur se omnibus diebus ad finem vsque mundi nobis affuturum, & salutis nostræ causam sine intermissione acturum. Hæc igitur tanta diuinæ bonitatis & charitatis declaratio, quantum in mentibus nostris ignem incendere debet? Cùm enim veræ dilectionis proprium sit, cum eo semper manere velle quem vehementer diligas, hac ratione Saluator ingentem dilectionis suæ vim nobis declarauit: qui non contentus quòd tribus ac triginta annis in hoc seculo apud nos fuerit versatus, rationem inijt, qua in cælum conscendens, perpetuò apud nos in terra maneret. Quis igitur hoc indicio viscera illa charitatis & misericordiæ plenissima non agnoscat? non adoret? non veneretur? non ardentissimo amore complectatur?

Ioan. 19.

III.

Ex his autem quæ hactenus dicta sunt, fratres, facile erit omnium malorum ac ruinarum mundi causam diuinare. Nam si tam multi fidelium se ita ab huius diuini sacramenti communione subtrahunt, vt vix illud semel in anno, idque vi magis coacti quàm sponte suscipiant; quid mirum si tanta cælestis huius cibi virtute destituti, in summa imbecillitate versentur, & (quod est consequens) leuissimæ cuiusque auræ impulsu corruant, qui hoc fortitudinis cibo vix vmquam roborantur? O infelicem temporum conditionem! ô mirandam rerum commutationem! Summum apostasiæ crimen, quod hodie iudices fidei extremo supplicio atque igne, meritissimo & optimo iure, plectendum censent, Ecclesia olim hoc sacro cibo interdicto præcipuè puniebat. Vnde Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, & Eudoxam Augustam (quod per summum scelus Diuum Ioannem Chrysostomum exilio damnassent, ac omnes penè Orientis Ecclesias hac iniuria in seditionem vocassent) hoc potissimùm fulmine feriendos curauit. Eius hæc verba sunt, vt Nicephorus Ecclesiast. historiæ 13. libro refert: Ego, inquit,

Nicephorus.

inquit, minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reijcio te & illam (scilicet Eudoxam) à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopum etiam omnem aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse decerno. Hactenus ille. Hoc igitur supplicium fideles olim mortis instar esse iudicabant. Nunc autem eò res nostræ deuenerunt, vt ipsi se fideles sponte sua hoc tanto supplicio non ad tempus modò, sed tota penè vita puniant. Neque hoc contenti, quod scelere & socordia faciunt, timoris & reuerentiæ se prætextu facere simulant. Quicumque autem ita se decipiunt, Diuum Cyrillum audiant aduersus illos hæc verba fulminantem: Sciant baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio huiusmodi, quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere: sed variæ sunt Diaboli multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Quare demus operam modò, vt vinculis eius abruptis, & iugo seruitutis peccatorum excusso, in timore Domini seruiamus, &, carnis voluptate per continentiam superata, ad cælestem gratiam accedamus. Hactenus ille. Cuius verba quantum timoris animis nostris incutere debeant, vobis expendendum relinquo. Cyril. in Ioan.

Sunt autem alij ijs longè deteriores, qui, non contenti socordia sua, pios homines, & ad huius diuini sacramenti medicinam frequentiùs confugientes, socordiæ suæ participes efficere nituntur: dum eos malignis verbis ac detractionibus ab hoc pio & salutari instituto reuocant. Quorsum, inquiunt, toties confiteri? toties sacramentum Eucharistiæ sumere? toties templa frequētare? cùm satis esse duxerit Ecclesia, semel quotannis confiteri? Indignum enim esse dicūt, tam familiari confidentia, viles opifices & homunciones ad hæc tremenda mysteria accedere. Quæ cùm dicunt, non eo animo dicunt, quòd diuinæ maiestatis contumeliam dolenter ferant: sed quòd piorum religio illorum impietatem magis conspicuam reddat. Vt enim Diuus Gregor. ait, Mos prauorum est, inuidere alijs virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt. Tales autem proditoris Iudæ exemplum imitari mihi videntur; qui indignè tulit vnguentum Mariæ supra pedes Domini effundi, cùm trecentis venire denarijs potuisset, & dari pauperibus. Hoc autem Gregor. 2. Dialog. Matth. 14

Ioan. 13. dicebat (vt Ioannes ait) non quòd ipse Dominici sanguinis proditor vlla egenorum cura tangeretur, sed quia fur erat; & loculos habens, quidquid poterat, surripiebat. Sic igitur hos nulla honoris diuini, sed sui tantùm nominis & opinionis cura remordet, qui alienæ religionis comparatione & virtutis exemplo iniuriam sibi irrogari putant: ita dum hæc dicunt, non Dei, sed sub Dei prætextu causam suam agunt, sibi consulunt, & suum dedecus aliorum obiurgatione tegere conantur.

Quocirca demus operam, fratres, ne hunc quotidianum panem, quem quotidie à Domino postulamus, nos socordia nostra annuum faciamus. Hinc Diuus Cyprianus illud verbum Domini explanans, Panem nostrum quotidianum, sic ait: Hic est panis, de quo Dominus ait: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vt ergo manifestum est, eos viuere qui corpus eius attingunt: ita contrà timendum est, ne, dum quis abstinet ab hoc corpore, procul maneat à salute, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem, &c. Et ideo panem hunc quotidianum Dominus appellauit, vt in ipso semper & viuamus & maneamus. Idemque rursus in eodem loco: Hunc panem nobis dari quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto (dum abstinentes, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur) à Christi corpore separemur. Diuus verò Hieronymus in Epist. ad Licinium, an quotidie accipienda esset Eucharistia, alijsque de rebus ab eodem interrogatus, hunc in modum respōdet: De sabbatho quod quæris, vtrùm ieiunandum sit; & de Eucharistia an accipienda quotidie (quod Romanæ Ecclesiæ & Hispanæ obseruare perhibentur) scripsit quidem & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diuersi scriptores è varijs auctoribus edidere. Et mox: Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia, semper accipere, & Psalmistam audire dicentem: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. Hæc ille. Diuus verò Thomas de diuini huius sacramenti frequentiori vsu sic ait: In primitiua Ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt fideles quotidie communicarent. Vnde Anacletus Papa dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim statuerunt Apostoli, & sancta Romana tenet Ecclesia. Hactenus Diuus Thomas. Sunt tamen nonnulli, qui hanc quotidianam sacramenti perceptionem, de qua Anacletus loquitur, ad solos Ecclesiæ ministros pertinere dicant. Quorum tamen sententiæ; illorum temporum puritas & consuetudo refragatur, Anacletus enim secundus Pontifex post Petrum

Marginal notes: Cyprian. in ser. de Oratione Domini. — Ioan. 6. — Idē ibid. — Hier. to. 1 Epist. ad Licinium Bæticum. — Psal. 33. — D Tho. in 3. par q. 80. art. 10. — De consecra. d. 2. c. Peracta.

Petrum fuit, vt testatur Irenæus lib. 3. cap. 3. cuius tempore fideles quotidie hoc sacramentum frequentabant, vt in Actis Apostolorum legimus. Hæc autem non eo consilio à me dicta sunt, fratres, vt omnes ad quotidianam huius Sacramenti perceptionem adhortari velim. Hoc enim cum diuo Augustino nec laudare, quia non rectè fieri potest; nec vituperare, quia rectè etiam fieri potest; debemus. Nimium autem sibi tribuit, qui, quod ille damnare non est ausus, damnare ipse, præsertim indicta atque incognita causa, audet. Huius namque rei definitio, prudentis sacerdotis iudicio relinquenda est. Is enim quid cuique fidelium pro ratione status & conditionis, & virtutis suæ profectu expediat, discernere prudenter debet. Alijs enim rariùs, alijs frequentiùs sacra communio concedenda erit. Illos tamen præcipuè oratio mea perstringit, qui quàm diutissimè ab huius diuini sacramenti medicina atque remedio abstinent: quo apertè videãt, & quibus se diuinæ gratiæ opibus priuent, & in quanto salutis suæ discrimine versentur. Ad eos autem qui frequentiùs ad hoc mysterium accedunt, hoc præcipuè pertinet, vt quanta potuerint animi puritate, sinceritate, deuotione, & cordis humilitate, & reuerentia, ad hanc Domini mensam, ad hoc cæleste conuiuium, & Angelorum panem accedant. Neque enim quia tantam sui conueniendi atque sumendi copiam Dominus fidelibus concessit, ideò minùs reuerenter ad illum accedere debent: quandoquidem ipse Dominus, qui in lege olim tantam à filijs Israel sanctuario atque arcæ reuerentiam (vt paulo antè diximus) exhiberi præcipiebat, nos in illis monebat, nos erudiebat, vt intelligeremus qua animi submissione atque deuotione ad illum accedere, illique assistere deberemus, qui tãtam soli vmbrę atque figuræ reuerentiam tribui volebat. Hoc igitur pio mentis affectu ad illum accedamus, fratres; suppliciter ab eo petentes, vt, quem modò tectum atque velatum percipimus in via, reuelata tandem facie contemplari & percipere mereamur in patria.

Augustin.

IN FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO QVINTA:

in qua admiranda diuinæ bonitatis & charitatis argumenta, quæ in Eucharistiæ sacramento elucent (quibus nos Dominus ad sui amorem excitauit) explicantur. In qua quidem explicatione, varij huius diuini sacramenti effectus & fructus exponuntur.

THEMA. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Luc. 12.



RIVSQVAM huius, quam proposui, sententiæ explanationem attingam, fratres dilectissimi, quid nos celestis magister in Euangelica huius diei lectione docere voluerit, breuiter percurram. Sacratissimi enim corporis sui virtutem & efficaciam explicans, ait:

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et cætera quæ sequuntur vsque in finem.

AVE MARIA.

Pars prior. I.

Quamuis hæc Domini verba, quæ à me initio concionis huius proposita sunt, minùs sacræ huius diei solemnitati conuenire videantur (in qua sacramentorum omnium maximi solemne festum celebramus) tamen, vbi quantam dilectionis suæ vim in eius institutione nobis Dominus ostenderit, explicauerimus, non temerè me hæc eius verba in præsenti concione tractare voluisse intelligetis. Quamuis enim omnia Saluatoris nostri opera immensam eius bonitatem, & in genus hominum charitatem apertissimè declarent; tria tamen sunt, quæ hoc ipsum maximè efficiunt; nempe admiranda eius incarnatio, acerbissima passio, & diuinæ Eucharistiæ institutio. Quod intelligens humanæ salutis inimicus, in nulla alia re tot hæreticorum machinas excogitauit, quibus sacra hæc mysteria conuelleret atque labefactaret; vtpote à quibus ipse maiora malitiæ suæ impedimenta acciperet. Carnales quippe homines eius spiritu afflati, Deum ex se ipsis æstimantes, indignum immensa illa maiestate iudicabant, omnipotentem Deum femineis visceribus

includi,

includi, in crucem agi, & se ipsum hominibus in cibum potumque pręberc. Aduersus hos autem errores Ecclesiæ doctores pręclara volumina ediderunt, grauissimis rationibus ostendentes, nihil diuina bonitate & charitate dignius, nihil pestilentissimo naturæ nostræ morbo curando salutarius extitisse. Vt enim duo illa Cherubim, inter quæ olim arca fœderis Domini locata erat, extensis eam alis protegebāt: ita humanitatis Christi mysterium (quod arca illa fœderis adumbrabat) sancti doctores ab hæreticorum calumnijs protegunt atque tuentur. Exod. 35.

Sed inter has sanctorum Patrum defensiones, vnam dumtaxat in præsenti concione explicare constitui: quam si ita verbis exponere potuero, vt, quod ego mente concepi, in vos dicendo transfundam; non dubito, quin apud vos efficiat, quod apud me iam dudum egit, nempe, vt hoc mirabile diuinæ sapientiæ consilium agnoscatis, & immortales illi pro his tantis beneficijs gratias agatis, & omnia insuper hæreticorum commenta, vt araneorum telas, minimo negotio elidatis. Summam autem defensionis huius breuiter hac Domini sententia, quam proposui, comprehendam: deinde rem à primis initijs exordiar. Quæro igitur ad quid præcipuè Dei Filius in hunc mundum venerit? Ad hoc ipse hac breuissima & fecundissima sententia, quam initiò proposui, respondet: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Hoc est, terra quidem æstuat flagratque terrenarum rerum cupiditate; alget verò, & glacie ipsa frigidior est, cælestium rerum amore: ego verò in hoc veni, vt ardore illo (quatenus in hac vita fieri potest) extincto, algentia hominum corda rerum cælestium amore incendam. Duplicem igitur hanc prouinciam suscepi; alteram, vt amorem illum (quatenus fieri poterit) extinguam; alteram, vt hunc cælestem amorem incendam: idque non naturam hominis in aliam permutando, sed ineffabilibus beneficijs & virtutum exemplis hanc tantam humani cordis mutationem efficiendo. Si igitur hoc Dominus facturus erat, nulla vtique ratione commodius, quàm his tantæ bonitatis & charitatis operibus efficere potuit. Hæc igitur rationis nostræ summa est.

Cæterùm, vt rationem hanc (quæ totius Euangelicæ philosophiæ firmamentum est) penitiùs introspicere valeamus, quædam mihi altiùs repetenda sunt, quibus ceu gradibus ad huius mysterij celsitudinem pertingere valeamus. Neque enim ad ea quæ in sublimi loco posita sunt, nisi per gradus, ascendere possumus. Quod quia hæretici non fecerunt, sed humi repentes cælestia contingere tentauerunt, in maximos errores lapsi sunt.
Principiò igitur statuamus, Deum rerum omnium magnarum & minimarum curam & prouidentiam gerere: ad quam qui- 1.

dem pertinet, res omnes per debita & conuenientia media (vtamur enim hac voce, quæ Philosophis familiaris est) ad suos fines
II. perducere. Deinde illud etiam statuendum est, quòd quamuis hæc diuina prouidentia perfecta sit, nullique naturæ pro eius captu & conditione desit; aliter tamen maiora, aliter minora curat. Quod videmus in motibus cælorum (qui principem inter corpora omnia locum tenent) qui, ex quo die conditi sunt, numquam vel latum vnguem à cursu & ordine illis præscripto discesserunt; cùm tamen hæc inferiora corpora innumeris pæ-
III. nè modis quotidie varientur. Tertiò illud etiam obseruandum est, quòd cùm duplicia sint opera Dei, quædam naturæ, quædam gratiæ; posteriora hæc multo quàm illa præstantiora & nobiliora sunt. Quod quidem ex vtrorumque fine apertè colligitur. Finis enim operum naturæ, est earundem in esse naturæ conseruatio. At operum gratiæ finis (vt ipsum quoque nomen præ se fert) est esse gratiæ: hoc est, supernaturale atque diuinum esse: quo videlicet homo supra hominis naturam elatus, diuinę puritatis, & sanctitatis, atque etiam beatitudinis par-
IIII. ticeps efficitur. His addo quartum, nempe diuinam prouidentiam omnia per amorem gubernare atque omnibus prouidere; hoc est, per sui ipsorum amorem, quem rebus omnibus ingenerauit: quo videlicet omnia se diligunt, & conseruationem suam appetunt, & ea omnia, quæ ad ipsam pertinent, auidissimè consectantur. Ab hoc enim flagrantissimo sui amore cæteri affectus & propensiones oriuntur: quibus res omnes ea appetunt, quæ ad naturæ suæ statum retinendum necessaria sunt. Subijciamus exempla. Terra naturali grauitate sua infimum mundi locum appetit, in quo conseruatur: quo non impedita rapidissimo impetu fertur. De aqua idem est iudicium, quæ eadem grauitate prædita, semper ad inferiora delabitur. Aër verò, qui natura leuis est, ita superiorem locum naturæ suæ conuenientem appetit, vt, si quando cauernis terræ inclusus fuerit, grauissimam terræ molem impetu suo tremefaciat atque concutiat, quo in superas regiones euadat. Ignis verò tanta vi supra aëris regionem fertur, vt, si sulfureum puluerem turri suppositum accenderis, turrim ipsam & ingentia mœnia subruat, & in frusta redigat: ne violenter contra naturæ suæ vim in alieno loco detineatur. Bruta verò animantia quo studio, labore, atque periculis alimenta quærunt, quibus vitam tueantur? Quo verò impetu in ea feruntur, quæ ad speciei suæ propagationem pertinent? Qua cura atque amore filios suos alunt atque educant? De amore verò, quo se homines diligunt, & quæ sua sunt appetunt, nihil hîc dicam: quoniam res notior est, quàm vt verbis indicari debeat. Postremò hoc etiam statuendum est, quod quemad-

quemadmodum diuina prouidentia res naturales huiuſmodi affectibus & propenſionibus (quæ ex naturali ſui amore proficiſcuntur) in fines ſuos dirigit, dum auiditate maxima, quę ad illum conſequendum exiguntur, appetere facit: ita etiam pios omnes ſimili prouidentia in ſupernaturalem finem, hoc eſt, in ſummum & beatificum bonum dirigit; dum & hoc bonum, & virtutes omnes quæ nos ad illud perducunt, ardentiſſimo amore appetere, & modis omnibus inquirere facit. Vigente enim hoc amore ac deſiderio, omnia rectè & ſanctè fiunt: eo verò extincto, nihil Deo gratum fieri poteſt.

Iam ex his quæ dicta ſunt, quod propoſuimus, colligere incipiamus. Si ergo diuina prouidentia ſimili ratione, hoc eſt, ſimili amore, ſimilibuſque affectibus res naturales & ſupernaturales, id eſt, opera naturæ & gratiæ gubernat, atque (vt paulo antè diximus) aliter maiora, aliter quæ minora ſunt, curat; & infinitis propè partibus nobiliora ſunt opera gratiæ quàm naturæ: conſequens ergo eſt, vt tanto maiorem diuinarum rerum amorem, ardentioreſq. affectus piorum animis ingenerare debeat, quanto opera gratiæ operibus naturæ præſtant. Hanc igitur prouinciam Saluator noſter ſe ſuſcepiſſe in propoſitis verbis profitetur, cùm ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur? Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Cùm animaduerterem homines tanto rerum terrenarum amore flagrare, & cæleſtia bona (quæ vera & ſolida bona ſunt) prorſus negligere & faſtidire (vnde omnis eorum improbitas & miſeria manat) ego ad hoc in mundum veni, vt immodicum terrenarum rerum amorem extinguerem, & cæleſtium accenderem & inflammarem. Si igitur ad hoc, Dñe, in mundum veniſti, prouinciam certè immenſa bonitate & potentia tua dignam ſuſcepiſti. Quid enim magis bonitatem tuam decet, quàm vt in cordibus noſtris carnalium rerum amorem extinguas, & tui ipſius, hoc eſt, ſummi boni amorem incendas? Fruſtra enim homo conditus in mundo eſſe videbitur, niſi conditorem ſuum, eumdemque ſummum bonum, ſummo amore diligat: imo verò cùm totus hic mundus hominis gratia conditus ſit, fruſtra quoque ipſe mundus conditus fuerit, ſi homo, propter quem conditus eſt, conditorem ſuum hoc amore non diligat. Quocirca conuenientiſſimum planè erat, vt diuina prouidentia (cuius rationem ſuperiùs declarauimus) hunc amoris affectum mentibus noſtris inſereret.

Sed hæc tamen prouidentia, Domine, vt maximè tuam bonitatem decet (qua nos tui ſimiles efficias) ita omnipotentia tua indiget, qua & illum carnis amorem extinguas, & hunc ſpiritualem amorem accendas. Natura ſiquidem humana communis peccati morbo ſic inuerſa fuit, vt omnia, quæ ad corporis cultum

cultum pertinent, incredibili ardore concupiſcat, nullumq́ue propter ea adipiſcenda laborem, nullum periculum, non truculenta bella, non feros pelagi fluctus, non quidquam aliud reformidet: ad ea verò quæ ad animæ ſuæ & Dei cultum pertinent, ita algeat & nauſeet, vt ne loco quidem propter illa moueri velit. Itaque attentiùs animæ noſtræ ſtatum conſideranti

Simile.

apparet, eam ſimilem eſſe ijs quorum media corporis pars paralyſis morbo diſſoluta & inſenſibilis facta, altera verò integra & incolumis eſt. Ad hunc enim modum anima noſtra ad ſpiritualia atque diuina amplectenda, ſpirituali quadam paralyſi, & inſenſibilitate laborat: quæ tamen ad terrenarum rerum amorem viuaciſſima eſt. Itaque duplex tibi, Domine, prouincia ſuſcipienda eſt, ſi naturam ægram ſanare velis: altera, vt hunc terrenum amorem adeò flagrantem extinguas; altera, vt cæle-

Simile.

ſtem illum adeò algentem accendas. Quemadmodum enim ſcriptores quidam memorant, inſignem quendam muſicum duplicem mercedem à diſcipulis, quos inſtruebat, exigere ſolitum, ſi ab alijs inſtructi atque eruditi fuiſſent, propterea quòd duplicem ipſe laborem eſſet ſuſcepturus, vt videlicet vetera aboleret, & noua traderet: ita Saluator noſter duplicem in humanæ naturæ curatione laborem ſuſcepit; alterum, vt carnalem amorem debilitaret; alterum, vt ſpiritualem in mentibus noſtris incenderet. Cùm igitur tantum in hoc opere difficultatis ſit, nihilq́ue omnipotentiæ tuæ, Domine, ſit impoſſibile: quæro ſuppliciter abs te, quonam modo hanc tantam cordis humani metamorphoſim efficere debeas. Legi enim, te beatæ Catharinæ Senenſis pectus aperuiſſe, & cor eius ab eo extraxiſſe, triduoq́ue apud te retinuiſſe, & iterum ſuo loco reddidiſſe. Hac ratione apertè video omnipotenti virtute tua hoc fieri poſſe, ſi humani cordis naturam immutaueris, aut etiam ſi totum hominem deſtruxeris, eumq́ue denuo aliter effinxeris. Quod in tua poteſtate

Ierem. 18.

eſſe, Ieremiæ Prophetæ oſtendiſti, quem in figuli domum ire præcepiſti, vt cùm ibidem figulum videret vas quoddam in aliam formam atque vſum, quàm priùs fabricare cœperat, permutaſſe, hoc exemplo diſceret, te quoque idem de hominibus facere poſſe. Hoc igitur modo apertè quoque video, in poteſtate tua eſſe, humanas mentes hoc ipſo amore, quem diximus, accendere. Quod ſi his rationibus non fiat, non facilè video quonam modo hæc tanta cordis noſtri mutatio fieri poſſit. Certè Diuus

Cyprian. ad Dona.

Cyprianus ante conuerſionem ſuam nulla ratione hoc fieri poſſe credebat. Sic enim ait: Ego cùm in tenebris & nocte cæca iacerem, difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuo poſſit, atque in nouam vitam animatum,

tum, quod prius fuerat, deponeret, & corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quin impossibilis (aiebam) tanta conuersio est, vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustatis inoleuit. Alta hæc & profunda penitus radice sederunt. Hæc Cyprianus. Cuius verba non dubium quin summam huius rei difficultatem apertè declarent. Quid igitur ad hæc, Domine, respondes? Qua ratione hanc tantam cordis nostri mutationem efficere paras? Non certè hominem iterum ad incudem reuocando, aut naturam eius immutando; sed tot tamque stupendis beneficijs, gratijs, atque muneribus ad mei amorem prouocando, vt plusquam ferrei cordis sit, quisquis me ardentissimo amore non diligat. Hoc est autem, quod apertè olim Dominus Prophetica voce pollicitus est, cùm ait: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Rectè sanè à quodam insigni Philosopho dictum est: Qui beneficia inuenit, compedes inuenit. His ergo compedibus, his amoris & beneficentiæ vinculis nos, Domine, ad te traxisti, hoc est, tot maximis pietatis tuæ beneficijs; tot magnificentissimis æternæ vitæ promissis; tot in infirmitatis nostræ remedium institutis sacramentis; tot honoribus, quibus humilitatem nostram sublimasti; tot auxilijs, quibus infirmitatem nostram roborasti; tot cælestis vitæ documentis, quibus mentis nostræ tenebras illuminasti; tot adeò apertis immensæ bonitatis & charitatis tuæ argumentis, quibus corda nostra in tui amorem inflammasti; ac postremò tot plagis, tot vinculis, alapis, spinis, sputis, opprobrijs, ludibrijs, cruce, clauis, & ignominiosissima morte, quam propter scelera nostra expianda subijsti. Quibus adeò nostrum erga te amorem excitasti, vt, etiam si saxea corda haberemus, his tantis ignibus mollienda & liquefacienda essent. Sic certè liquefiebat cor Pauli, cùm diceret: Charitas Christi vrget nos: hoc est, non modò allicit & incitat, sed vrget etiam, & vim quodammodo mentibus nostris infert. Quisquis igitur in hunc finem diuina bonitate & prouidentia dignissimum prudenter oculos coniecerit, apertissimè videbit, nihil his tribus diuinæ pietatis operibus, quæ initiò proposuimus, nempe incarnatione, passione, & sacræ Eucharistiæ institutione, excogitari potuisse conuenientius, nihil prouidentius. Sed incarnationis opus in præsentiarum omitto, quo vnigenitus Dei Filius mortalitatis nostræ vestem induere dignatus est. Mitto etiam passionis eius beneficium, quod non modò cælestes mentes obstupefecit, sed cælum, terram, solem, lunam, cæteraque cæli sidera, & saxa ipsa commouit (quæ quidem beneficia alijs diebus tractanda reseruantur;) diuinum Eucharistiæ sacramentum in medium

Oseæ 11.

2. Cor. 5.

P 2 profe-

proferamus; quod, quacumque illum parte ſpectare velimus, ardentiſſimas ex ſe vndique dilectionis flammas ſpirat.

Pars poſterior.

II.

Principio igitur, cùm amor nihil aliud quàm animorum vnio ſit; nihil magis verè amantis proprium eſt, quàm vnum cum illo fieri, quem ardenter amat. Hunc autem primum & ſummum amoris gradum Saluator in huius ſacramenti inſtitutione apertiſſimè declarauit; in quo nobis vniri, & vnum quodammodo nobiſcum fieri dignatus eſt. Hoc eſt enim quod præcipuè in ſacra huius diei lectione ſignificauit, cùm ait: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Quid eſt, verè eſt cibus, & verè potus? Nimirum quod ipſe protinus exponit, cùm ſubdit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hoc eſt, vnus ſpiritus ambo efficimur, quemadmodum cibus, & corpus cui apponitur, vna quædam ſubſtantia fiunt. Quid igitur hac dignitate ambitio humana optare amplius poterat? Si enim ſumma rationalis creaturæ perfectio eſt, principio ſuo, à quo profluxit, iterum copulari; quid maius in hac vita homini contingere poterat, quàm ita Deo coniungi, vt ipſe in Deo, & Deus in eo maneant? quod fit huius ſacramenti beneficio. Quod vt apertiùs intelligatis, beneficium hoc cum ſummo omnium diuinorum beneficiorum conferamus. Negari certè non poteſt, omnium diuinorum beneficiorum maximum, & maximum item diuinæ bonitatis & charitatis argumentum, Chriſti mortem & paſſionem extitiſſe. Sed in hac tamen ſacra paſſione Saluator ſpiritualem nobis vnionem (quæ per fidem & charitatem eſt) promeruit: at in hoc diuino ſacramento, non ſpiritualiter modò, ſed corporaliter etiam nobis vnitur, quando non modò ſua, ſed ſe ipſum nobis tradit: vt iam illa Diuæ Agnetis verba, amoris pleniſſima, dicere fidelis anima poſſit: Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt. Et illa item Sponſæ in Cant. Comedi fauum cum melle meo. Fauus enim Chriſtus Dominus eſt; mel autem diuina ſuauitas, & gratiarum abundantia, quæ in hoc fauo continetur. Quo nomine D. Thom. maius quodammodo diuinæ largitatis & charitatis indicium in hoc ſacramento, quàm in paſſione Domini exhibitum fuiſſe confirmat. Cùm enim amor animorum vnio ſit; præcipuumque illius opus (vt modò diximus) eſſe conſtet, charitatis nexu animos coniungere, & vnum quodammodo efficere: in paſſione quidem ſpiritualiter Eccleſiæ ſuæ Saluator vnitus fuit; in ſacra autem communione (cùm non ſua modò, ſed ſe ipſum quoque fidelibus tradat) corporaliter etiam illis vnitur. Ne quis autem me amplificandi

gratia

gratia hæc dixisse credat, eiusdem S. Doctoris verba subijciam: D.Tho. is igitur summa salutis & redemptionis nostræ beneficia inter opusculo se conferens, sic ait: Magnum quidem fuit, Christum Domi- de sacramento num se ipsum in peregrinationis nostræ socium dedisse; maius Altaris, verò in pretium redemptionis: hoc tamen donum adhuc est in cap. 5. aliqua separatione ab eo cui datur: cùm autem datur in cibum, datur non ad aliquam separationem, sed ad omnimodam vnionem. Vniuntur enim in vnitate corporis, & cibus, & qui cibum sumit. Hactenus Diuus Thomas. Itaque si supra summum aliquid addi licet, cùm summum diuinæ largitatis & charitatis argumentum in Seruatoris nostri passione collocauerimus; in hoc tamen sacramento aliquid inuenimus, quod non quidem modis omnibus, sed peculiari quadam ratione supra summum illud sit.

Adde etiam, quòd summum illud Dominicæ passionis beneficium quamuis semper nobis ad salutem proficiat, semel tamen in ara crucis impensum est: hoc tamen quotidie nobis in altari per manus sacerdotum confertur; quo eiusdem passionis & mortis participes efficimur. Præterea semel tantùm Dominus in manus peccatorum passionis suæ tempore traditus est: hîc verò quàm frequenter per manus peccatorum, hoc est, improborum sacerdotum fidelibus sumendus traditur! Adde etiam, quòd in procuratione & ordine salutis nostræ hoc videtur vltimum fuisse, ad quod cætera omnia tendebant, vt videlicet non spiritualiter modò, sed corporaliter etiam Christi membra cum suo capite iungerentur. In his ergo omnibus, quæ hoc summum beneficium antegressa sunt, aliquid semper desiderabatur; quousque ad extremum hoc peruẽtum esset. Post natiuitatem quippe deerat inter homines versari, esurire, sitire, algere, æstuare, laboribus confici, itineribus fatigari, injurijs & contumelijs affici. Post hæc ipsa autem deerat capi, vinciri, flagellari, in crucem tolli, vitam profundere, & tumulo condi. Vbi verò post hæc omnia additum est, cibum hominis Deum fieri, manducari, & vnum cum illo effici (quod ipsa eadem manducatio designat) quid vlteriùs adijci in hac vita debuit? Hic igitur in præsenti vita omnium misericordiarum & beneficiorum Domini velut terminus extitit, hoc clarissimum & summũm diuinæ dilectionis argumentum. Quod vt apertiùs intelligatis, non grauabor insigne huius rei exemplum pariter & argumentum hoc in loco commemorare. Referunt scriptores Gentium, Artemisiam Cariæ reginam, insigni pudicitia feminam, supra Au. Gel. li. 10. c. 18 humanæ affectionis finem virum suum Mausolum adamasse. Val. Maxim. l. 4. Cui defuncto tam insigne sepulchrum fabricari fecit, vt inter septem mundi siue miracula, siue spectacula numeraretur. Deinde

inde etiam ampliſſima oratoribus prǣmia propoſuit, qui viri laudes copioſiùs & ornatiùs prǣdicaſſent. Neque his dilectionis argumentis contenta, extremum hoc (quod inſtituto noſtro maximè quadrat) adiecit, nempe quòd viri cineres, varijs odoribus admixtos, in cibum ſuum potumque conuerterit. Itaque non contenta memorabili illo ſepulchro, ipſa (vt Val. Max. verbis vtar) viuum ac ſpirans eius ſepulchrum fieri voluit. Quo quidem exemplo apertiſſimè intelligimus, quod initiò dicebamus, nempe quàm proprium verę ac perfectę dilectionis ſit, vnum cum eo velle fieri, quem ardenter diligas. Quid hîc referam, fratres? Quomodo diuina humanis comparare audeam? Sed certè negari non poteſt, hoc ſummum flagrantiſſimæ dilectionis argumentum nobis Dominum in hoc diuino corporis ſui ſacramento oſtendiſſe, dum ſe nobis per illud vnire, intra nos manere, in nobis habitare, & cibus noſter fieri dignatus eſt. O admirãdum diuinæ charitatis argumentum! ô ſummum diuinæ dilectionis teſtimonium! ô verè prædicandam Dei noſtri clementiam & bonitatem, à qua tantæ dilectionis vis emanauit?

Quę cùm ita ſint; quis, quęſo, veſtrûm, fratres, adeò inhumanus & ferreus erit, qui non hoc tanto diuinæ dilectionis igne liquefiat? Quis ſe ab hoc tanto Solis iuſtitiæ calore abſcondat?
Lucæ 11. O quàm verè abs te Domine dictum eſt, Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Verè enim, Dñe, ignem miſiſti, cùm naturam noſtrã tibi indiſſolubili vinculo copulaſti. Verè enim ignem miſiſti, quando in ſtabulo naſci, in præſepio reclinari, & inter homines agens, tot labores, calumnias, iniurias, contumelias ab ipſis hominibus pertuliſti. Verè ignem miſiſti cùm à terra exaltatus, & in cruce ſuſpenſus, huius tantæ charitatis & ſalutis exhibitione omnia ad te amoris vinculis pertraxiſti. Sed poſt hos ignes extremum addidiſti, cùm cibus noſter effici dignatus es. Hac enim tanta amoris ſignificatione vehementiſſimè piorum mentes ad tui amorem inflammaſti.
Gregor. Nyſſenus. Hinc D. Greg. Nyſſenus appoſitiſſimo nomine ſacramentum hoc ait eſſe magnum diuinæ ſapientiæ inuentum. Magnum certè inuentum fuit ad diuinum numen placandum, ad hominis naturam exaltandam, ad carnis noſtræ concupiſcentiam deprimendam, ad ſpem in Deum excitandam, ad infirmitatem noſtram ſpirituali & quotidiano cibo roborandam, & (quod caput eſt) ad charitatem in Deum tam magno beneficio, tantoque diuinę dilectionis argumento inflammandam.

Initio quidem mundi vniuerſum terrarum orbem Dominus ingenti alluuione deleuit, vt mortales omnes, iuſtitiæ & ſeueritatis eius timore concepto, in religione & officio continerentur. Quo quidem tempore rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ,

gnæ,& cataractæ cæli apertæ sunt,& facta est pluuia magna super terram. Cùm autem nec hoc tanti furoris indicio diuinis sese legibus homines subijcerent, diuersa illos Dominus ratione adorsus, non timore, sed amore; non plagis, sed beneficijs; non aquarum inundantium, sed amoris ignei diluuio superare conatus est. Vt igitur eo tempore rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: ita modò immensum diuinæ bonitatis pelagus, & charitatis eius viscera (quæ ante illud tempus quodammodo delituerant) tantorum beneficiorum exhibitione patefacta sunt. Sed quãtum nouissimum hoc diluuium ab illo distat! Illud enim aquæ, hoc ignis; illud ad mundum euertendum, hoc ad instaurandum; illud ad homines interimendos, hoc ad viuificandos; illud denique ad cõcupiscentiæ ignem extinguendum, hoc ad algentes hominum mentes Dei amore inflammandas immissum fuit. Si igitur prius illud diluuium mortales omnes absorbuit, quomodo posterius hoc non omnium mentes incendet? Quis ergo tantum in pectore adamanta gestet, vt tanti huius amoris incendio non liquefiat? Præsentiæ suæ virtute Dominus conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Cùm ergo in hoc sacramento non virtus modò, sed etiam præsentia Domini insit; quî fieri potest, vt lapidea etiam corda hac tanta amoris vi non molliantur? Referunt historiæ Gentium, Crœso Regi filium à natiuitate mutum fuisse. Cùm verò Regis Syri exercitus illius regnum inuasisset, & in prælio miles quidam in Crœsum fortè incurrens, illum adacto ferro interficere vellet, filius qui patri astabat, paterni amoris vi & impetu actus, diruptis linguæ impedimentis exclamauit, O homo, caue Crœsum interficias. Itaque præualuit aduersus omnia naturæ impedimenta ardens filij erga patrem amor. Si tanta ergo amoris huius vis extitit, quantum apud nos ardens in Christum charitas efficere debet, qui plusquam paterna nos charitate diligit, quique maioribus nos beneficijs, quàm patres omnes, tenet obstrictos! In hoc certè die, quo tanta eius erga nos charitas tam insigni & stupẽdo beneficio declarata est, nulla nos neque carnis, neque mundi, neque vllius omnino rei vincula impedire deberent, quo minùs pectora nostra, quamlibet dura, in eius amore liquefierẽt. Hodie muta ora in eius laudes laxanda erant; hodie algentia corda diuini amoris igne inflammanda; hodie denique caro & sanguis in spiritum conuertenda erant. Si enim ille qui nullius eget, tanto nostri amore flagrauit; quomodo viles homunculi non vicissim eius amore, qui nos ita amore suo præuenit, inardescimus? quomodo hic tantus ignis pectora nostra non vrit? Ferrum igne liquescit, lapides igne molliuntur: quomodo er-

Prou. 6. go corda nostra saxis & ferro duriora sunt, quæ tam ingẽs amoris flamma non emollit? Abscondet quis (ait Salomon) in sinu suo ignem, & vestimẽta eius non ardeant? ambulabit super prunas, & plantæ eius non comburentur? Quomodo ergo vel cùm hunc amoris ignem intra te condis, vel hoc tantum amoris incendium cõsideras, frigidius glacie pectus & animum gestas? Si Christus Dominus his admirandis beneficijs ignem venit mittere in terram, quomodo hic tantus ignis te non incendit?

Ex hoc autem tam mirabili ac stupendo mysterio, fratres (vt hoc obiter admoneam) non modò immensam diuinæ bonitatis largitatem, sed etiam summam hominis miseriam & infirmitatem colligere licet. Quanta enim illa bonitas fuit, quę tam noua & mirabili ratione se hominibus insinuauit? Quanta verò illa infirmitas & miseria, quæ tam stupendis medicamentis atque mysterijs ad sanitatem consequendam eguit!

Simile. Quòd si quis fortè quærat, vnde tanta hæc amoris vis erga genus hominum manarit, vnde tanta Dei nostri nobiscum commorandi, & intra mentem nostram habitandi cupido? huic ego respondeo, impermeabilem diuinæ bonitatis abyssum, præcipuam huius tantæ dilectionis causam extitisse. Cùm enim hic charitatis fluuius ab inexhausto diuinæ bonitatis pelago deriuetur; non adeò mirum est à tali fonte tantum flumen manare, nec tantum ignem in diuino pectore flagrare. Aliter enim ignis in fragili palearum materia, aliter in sulfureo puluere vim suam exerit. Illic enim neque magnam flammam excitat, neque diu duraturam: hîc verò tantam vim habet, vt rupes etiam obiectas & firmissimas arces volitare per aëra faciat. Ad hunc ergo modum amoris ignis aliter in humano pectore, aliter in diuino ardet. Illic ceu in fragili materia, hîc tamquam in summa ac diuina substantia vim suam profert: ideoque nihil mirum, si tam ingens amoris flamma ibidem excitata sit. Ex hoc autem amore & hoc summum Eucharistiæ beneficium, & cætera quoque redemptionis & sanctificationis nostræ beneficia prodierunt.

Simile.

Superest aliud, quod miro modo summi huius doni magnitudinem auget: nempe flagrantissimus ardor, & propensio voluntatis, qua Dominus nobis illud largitus est. Constat enim in beneficijs conferendis non minùs bonæ voluntatis studium, quàm beneficium ipsum spectari solere. Hunc autem voluntatis ardorem discipulis Dominus significauit, cùm eo ipso temporis articulo, quo diuinum hoc sacramentum instituere parabat, ad illos dixit: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Cur, Domine, hoc tanta desiderio æstuas? Hoc enim huius verbi repetitio insinuat, Desiderio de-

Lucæ 22.

siderauí.

ſideraui. Num deſideria tua noſtris ſimilia ſunt, qui non ratione, ſed cæco affectu & impetu (more feminarum quæ vterum geſtant) frequentiſſimè ducimur? Nullo modo. A ſapientiſſimo quippe rationis tuæ iudicio deſideria tua manabant. Quæ ergo te ratio, quæ cauſa hoc tantum in pectore tuo deſiderium excitabat? Illa certè, quę animum tuum vehementer afficere ſolebat. Cùm enim diſcipuli à prædicationis officio regreſſi, felicem Apoſtolatus ſui curſum denũciaſſent, exultaſti in Spiritu ſancto, cùm ſalutis humanæ primitias in illis initijs animaduerteres. Cùm verò Samaritanorum conuerſionem expectabas, ad eoſdem diſcipulos dixiſti: Ego cibum habeo manducare, quem vos Ioan. 4.
neſcitis. Cibus autem meus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opùs eius. Hic igitur tibi, Domine, cibus, hic potus, hæc gaudiorum & deſideriorum tuorum materia. Quia ergo in cœna illa ferculum nobis apparare decreueras, quod miris atque infinitis propè modis ad animarum ſalutem conducebat, quo etiam ineffabili ſapore atque dulcedine purgatarum mentium palatum oblectare & reficere debebas: idcirco tanta auiditate nouiſſimam illam cœnam deſideraſti, in qua legalibus hoſtijs finem, & noui Teſtamenti ſacramentis initium dare ſtatueras; vt in eadem cœna & legalis agnus manducaretur, & verus agnus ab illo præſignatus immolaretur. Quãta verò ſit huius noui agni nouiq́ue ferculi ſuauitas, nulla vis orationis (vt D. Thom. ait) exprimere poteſt. Quamuis enim pios Do- Eſaiæ 56.
minus (ſicut ipſe pollicitus eſt) in domo orationis ſuæ lætificet; longè tamen maior lætitia illa eſt, qua eos hoc ſacramẽto afficit. Hinc de B. Catharina Senenſi legimus, quòd ſacra Euchariſtia percepta, tanto gaudio, amore, & admiratione diuinæ bonitatis (quæ ſic ſe hominibus inſinuabat) mens eius complebatur, vt duarum & trium horarum ſpatio in ecſtaſim rapta, omnem ſentiendi vim ſic amitteret, vt grauiſſimo vulnere cuiuſdam impiæ æmulæ ſuæ in planta pedis accepto, nihil magis ſenſerit, quàm ſi ligneum aut marmoreum pedem habuiſſet. Quanta verò illa vis amoris & ſuauitatis erat, quæ cordis ſinum occupãs, ſic omnes animæ vires ad ſe aduocabat, vt omnia corporis membra, ſenſuſq́ue omnes & vitali calore & omni ſenſu priuarentur? Quo argumento liquet, pleniſſimè Dominum impleſſe quod pollicitus eſt, cùm dixit: Ignem veni mittere in terram: & non qualemcunque ignem, ſed qui tam longo pænè interuallo omnem terreni amoris ignem ſuperaret, quanto ſpiritualia bona terrenis omnibus bonis præſtant. Quando enim terrenus aut carnalis amor eò vſque peruenit, vt omnem ſentiendi vim amantibus eriperet?

Eſt & aliud quod huius beneficij magnitudinem magnopere

 declarat,

declarat, nempe non solùm personæ dignitas quæ beneficium contulit, sed indignitas quoque eius qui beneficium recepit. Si enim hæc tanta diuinæ dignationis gratia in Angelos collata esset, videri poterat præstantissimæ illi naturæ hoc fuisse concessum: si verò hoc ipsum propter dęmones ab infelicissimo illo statu liberandos editum fuisset, suspicari poteramus, Deum propter reparandam nobilissimam illam naturam hoc idem egisse. At cùm hæc omnia propter hominem (hoc est, propter creaturam in ordine earum substantiarum, quæ intellectu præditæ sunt, naturæ conditione infimam, moribus & vitæ conditione abiectissimam, affectu verò & voluntate ingratissimam) effecta sint; hoc vel maximè diuinæ bonitatis & charitatis im-
Simile. mensitatem apertissimè ostendit. Quo enim persona indignior, eo dignatio mirabilior atque sublimior. Sic pingendi artifices cùm candorem vultus à se expressi eminere volunt, rubeum aut nigrum colorem illi substernunt, qui candorem ipsum magis conspicuum reddat. Hac igitur ratione Dominus immensæ bonitatis & charitatis suæ gloriam apertiùs demonstrauit, cùm infimam hominis naturam sacri corporis sui vnione nobilitauit, & angelis similem fecit.

Quid igitur ex his, quæ hactenus dicta sunt, colligere licet, fratres? multa sanè. Sed illud in primis, vt flagrantissimo amoris igne diligamus eum qui ita dilexit nos, qui hunc amoris ignem venit mittere in terram, hoc est, qui tot amoris incitamenta incarnatione, passione, & huius diuini sacramenti institutione in pectore nostro congessit. Cùm enim tria sint quæ amorem iustissimè sibi vindicent, nempe bonitas, charitas, & beneficentia; hîc bonitas maxima, charitas flagrantissima, & beneficia summa inueniuntur. Quocirca ferrei cordis sit necesse est, qui hoc triplici amoris igne non incenditur. Neque video quam homo torporis atque languoris sui excusationem in diuino iudicio prætexere valeat, cùm aduersum illum Dominus has tres amandi causas commemorauerit. Constat enim
Bern. lib. de amore Dei. (vt Diuus Bernard. philosophatur) Dominum ante hæc præstita beneficia totum amorem nostrum à nobis olim in lege exegisse. Neque tamen iniustus erat Deus, cùm præcepit, vt ipsum toto corde, tota mente, totisque viribus diligeremus. Vt quid enim non amaret opus artificem, cùm haberet vnde id posset? Et cur non quãtum omnino posset, cùm nihil omnino nisi eius munere posset? Cęterùm quãtum putamus adiectũ beneficio, quod nobis salutem contulit? Si tantum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? Neque enim tam facilè refectus quàm factus, quando tot laboribus, tot plagis, tot doloribus me refecit. Quanto ergo iustiùs atque potentiùs hæç tam stupenda
Domini

Domini beneficij totam amoris nostri vim sibi vindicant!

Vt autem summam rationis huius, quam tota hac concione prosecuti sumus, non ex meo, sed eiusdem beatissimi Bernardi ore audiatis, accipite quid ille ea de re dicat: Quid aliud, inquit, in nobis faciat considerata tanta & tam indebita miseratio, tam gratuita & sic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam inuicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter considerata, nisi vt considerantis animum ab omni penitus prauo vindicatum amore, ad se mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantq. præ se contemnere quidquid nisi terrenarum rerum contemptu appeti non potest? Nimirum proinde in odorem vnguētorum horum Sponsa currit alacriter, amat ardenter, & parum sibi amare sic amata videtur, etiam cùm se totam in amore perstrinxerit. Nec immeritò. Quid magnum enim tanto repensatur amori, si puluis exiguus totum se ad redamandum collegerit, quem illa nimirum maiestas in amore præueniens, tota in opus salutis eius intenta conspicitur? Hactenus Bernardus. Cuius ego verbis nihil addere volo, nisi illud tantùm, quo tacitæ cuidam obiectioni respondetur. Dicere enim quisque vestrûm poterit: Cur ergo, si tanta beneficiorum Domini vis est, vt ferrea etiam corda liquefacere possit, vsque adeò in eius amore homines algent, quando ipse hunc tantum ignem in terram miserit? Huic quæstioni idem Bernar. in his, quę proposui, verbis breuissimè satisfacit, cùm ait: Quid hæc tanta beneficia diligenter considerata faciant, nisi vt considerantis animum ab omni prauo amore vindicatum, ad se mirabiliter rapiant? Hæc ille. Medicina igitur hæc efficacissima est: opus tamen est, eam vulneri admouere. Vulnus autem in corde est: quod & terrenarū rerum amore feruet, & cælestium amore alget. Huic igitur admouenda cælestis hæc medicina est. Tunc autem illam admouemus, cùm admiranda hæc beneficia quotidiana & pia consideratione diligenter (vt D. Bernard. ait) in corde nostro voluimus & consideramus. Quare rogo obtestorque vos, fratres (quod sæpe aliàs à vobis petere soleo, nec petere vnquam desinam) vt partem diei aut noctis sepositam habeatis, qua hæc tanta diuinæ dignationis beneficia in corde vestro piè & religiosè tractetis, hoc est, vt ignem hunc è cælo missum in terram in pectore vestro condatis: haud dubium enim, quin omnem alium profani amoris ignem à vobis excutiat, & diuinæ dilectionis igne incendat: quo Deo similes per amorem effecti, & in hac vita eius sanctitatem & puritatem, & in futura sempiternam eius felicitatem consequi mereamini.

Bern. vbi supra.

IN EODEM FESTO SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI, CONCIO SEXTA:

quæ primo loco quinque præcipua miracula, quæ in venerabili Eucharistię sacramento continentur, explicat. Deinde maxima Domini beneficia, quæ is nobis in hoc sacramento exhibet, & charitatem qua illa exhibet, exponit. Postremò ad frequentiorem eius vsum breuiter adhortatur.

THEMA. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Psalm. 110.



VONIAM, vt Diuus Thomas ait, diuinum Eucharistiæ sacramentum miraculorum omnium, quæ Dominus in hoc mundo edidit, maximum esse constat; digna mihi visa hæc res est, de qua in præsenti concione agerem. Cuius rei gratia hunc Dauidis versiculum, quem audistis, explanandum suscepi: qui & horum quidem mirabilium mentionem facit, & nos etiam ad hanc cælestem escam cum timore atque reuerentia sumendam inuitat. Quantæ autem virtutis & excellentiæ hæc diuina esca sit, cælestis magister in sacra huius diei lectione exponit his verbis:

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et cætera quæ sequuntur omnia.

AVE MARIA.

Cogitanti mihi, fratres dilectissimi, huius diuini sacramenti maiestatem atque virtutem (cuius hodie festum Ecclesia magna fidelium lætitia celebrat) tam multa & magna sese mihi miracula & magnalia obtulerunt, vt, quid potissimùm ex tot eius virtutibus & miraculis dicturus essem, prorsus ignorarem. In alijs quidem diebus festis præcipuum concionatorum studium est, quid dicturi sint, inquirere: in hoc autem, quid omittere, vnde incipere, & vbi potissimùm orationem finire debeant, totus penè labor est. Sunt igitur in hoc sacramentorum omnium maximo multa miracula & beneficia, quæ sancti Patres litteris commendarunt: sed multo plura, quæ omnem humanæ mentis intelligentiam superant. Ex his autem, quæ sancti

viri prodiderunt, pauca nos assecuti sumus; & ea ipsa rudis sermo, & angusta ingenij vena exprimere vix potest: ita fit, vt ex infinitis pænè huius mysterij partibus vix vnam aliquam explicare pro dignitate valeamus. Neque hoc mirum alicui videri debet. Nam cùm diuina bonitas immensa atque ineffabilis sit, quid magnopere mirandum erit, si bonitatis huius opera (qualia omnia Dominicæ incarnationis sacramenta & mysteria sunt) causæ atque originis suæ naturam referant; vt videlicet ineffabilia & incomprehensibilia sint, quæ ex incomprehensa & ineffabili bonitate oriuntur? Hoc autem ita esse, mirabili quadam visione Dominus Ezechieli Prophetæ sub cuiusdam mystici templi atque fluminis imagine declarauit. A quo quidem templo aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. Angelus verò, qui mysteria hæc Prophetæ nunciabat, habebat funiculum in manu sua, & mensus est, inquit, mille cubitos, & traduxit me per aquam vsque ad talos. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua: & mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad renes: & mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ torrentis, qui non potest transuadari. Quid autem aquarum & fluminum nomine in litteris sanctis, nisi recondita diuinæ sapientiæ mysteria, intelligimus? Inter quæ tamen magna sanè varietas atque differentia est, quæ per varia huius fluminis vada insinuatur. Subijciamus huius rei exempla: Cùm Decalogi legem Dominus populo suo tulit, facilè homines eius æquitatem & sinceritatem assequi potuerunt, vtpote quam in visceribus suis naturæ beneficio descriptam gestabant. Hìc enim fluminis aqua ad talos solùm pertingit, facileque flumen hoc diuinæ legis à quouis transmitti potest. Cùm verò animorum immortalitatem, & diuinæ prouidentiæ, inferiora omnia moderantis, curam prædicat; aqua quidem altiùs fluit, sed ad genua tantùm pertingere videtur; quoniam clarissimi Philosophi hæc ipsa rationis lumine assecuti sunt. Certè (vt alios interim omittam) Plutarchus vtramque rem eodem argumento, eademque ratione tenendam esse docet his verbis: Vna est ratio, quæ diuinam prouidentiam humanæque animæ immortalitatem ostendit ac confirmat, nec alterum repudiare, alterum amplecti licet. Cæterùm cùm lex Domini de futura vita differit, hoc est, cùm bonis præmia, & improbis supplicia in futuro seculo constituta esse docet, altiùs adhuc fluminis vnda decurrit, & ad renes vsque pertingit. Quamuis enim hoc ipsum multi Philosophorum ignorauerint, nonnulli tamen hoc suspicati sunt. Cuius rei testis est Cicero, qui inter clarissimorum Philosophorum opiniones hanc etiam referen-
dam

Ezech. 47.

Plut. de sera numinis vindicta.

dam esse ait: Impijs apud inferos parata esse supplicia. At verò cùm diuina Sapientia ab his quæ rationis sunt, ad ea quæ rationem superant, se attollit, præcipueque cùm ineffabilia nouæ legis mysteria & sacramenta fidelibus credenda proponit, ipsumque rerum omnium conditorem ait salutis humanæ constituendæ gratia ad terras descendisse, humanam carnem induisse, inter homines sub humana forma versatum fuisse (quodque omnem superat admirationem) propter illos vinctum, colaphis & alapis cæsum, sputis illitum, flagris concisum, spinis coronatum fuisse, ac postremò in cruce appensum, pretiosum sanguinem suum in expiationem peccatorum nostrorum fudisse, atque ex eodem corpore & sanguine salutarem animarum nostrarum cibum potumque nobis (quo in æternum viueremus) confecisse: cùm hæc, inquam omnia quæ fides docet, pius homo alta mente recolit, atque considerat, & altissimam illam præstantissimamque naturã vilissimi atque ingratissimi hominis gratia sic deiectam atque prostratam contemplatur, hîc planè rapidi fluminis huius vndæ sic attolluntur & intumescunt, vt transmeari nullo modo possint: quoniam hic mens deficit, intellectus obruitur, lingua hæret, voluntas stupet, atque ita stupore, silentio, & admiratione laudat, quæ neque intelligentia consequi, neque verbis explicare Gregor. potest. Magnifica enim opera Dei (vt Diuus Gregor. ait) tunc facundiùs loquimur, cùm obstupescendo reticemus: laudatque homo idoneè tacendo, quod idoneè comprehendere non valet.

I.

Cæterùm inter hæc ipsa nouæ legis mysteria, miro modo Eucharistiæ sacramentum excellit (quod corporis & sanguinis Domini in cruce pro generis humani salute effusi veritatem & mysterium continet) cuius quinque mirabilia, quæ in eo continentur, exponere, & eorum rationem explicare in præsenti concione decreui: partim, vt fides vestra nouo rationis humanę lumine confirmetur; partim etiam, vt charitas atque deuotio erga illud magis accendatur. Ad vtrumque enim noster hic sermo deseruiet. Inter hæc verò mirabilia, illud primo loco mira- Primum miracul. mur; nempe immensas diuinæ gratiæ opes, quibus animæ sanctificantur, ab hoc sacramẽto manare: in quo si externam eius faciem spectes, nihil aliud quàm panem & vinum cernes. Quod quidem non minùs in cæteris sacramentis demiramur, quorum materiam res corporeas esse videmus. Aqua enim, quæ in sacramento baptismi adhibetur, aqua est; & oleum, quo vngimur, & confirmamur, verum oleum est. Hæc tamen elementa, sacramenti forma accedente, spirituales effectus in mentibus hominum

num producunt: atque eos pios, iustos, virtutis & honestatis amantes efficiunt. Si quis igitur hanc tantam sacramentorum virtutem admiratur, huic ego admirationi mirãda naturę opera, quæ passim in rebus conditis cernimus, opponam. Naturæ quippe auctor rebus à se conditis occultas atque mirabiles virtutes indidit, quæ sacramentorum vim atque facultatem admirabilem quidem, sed tamen credibilem faciunt. Quis enim tot virgultis, tot herbis, & quid herbis dico? tot etiam lapillis tam variam atque multiplicem vim contulit, vt alius profluentem sanguinem sistat, alius venena depellat, alius impudicitiæ impatiens sit, alius etiam & ferrum in sublimi suspensum teneat, & in solum mundi polum aciem intendat, neque in aliam partem flectatur? Qui ergo hisce rebus potenti virtute sua adeò mirabiles virtutes contulit, is eiusdem potentiæ magnitudine corporeis rebus hanc sanctificationis gratiam tribuit: quod planè in omnibus sacramentis facit, quæ non modò gratiam significant, sed eam quoque dignè suscipientibus conferunt. In hoc tamen sacramentorum omnium maximo longè dissimilis ratio est. In alijs namque, aqua quæ mentem purgat (vt diximus) aqua est, & oleum, quod vngit, oleum est: hic autem panis, qui videtur, panis non est, sed caro Christi. Caro autem Christi vnita Verbo (quod vita viuẽtium est, & quæ ad esse diuinum eleuata est) eadem quæ Verbum ipsum, cui vnita est, operatur. Quemadmodum enim (vt Cyrillus ait) si alicui liquori mel infuderis, Cyrillus.
liquor ipse saporem & virtutem retinet mellis: ita planè cùm Christi Domini caro Dei Verbo vnita sit, eiusdem Verbi virtutem tanquam eius instrumentum refert. Vnde sicut ad Verbum Dei pertinet animas viuificare, illuminare, perficere atque sanctificare: ita etiam Christi Domini caro hæc eadem in mentibus nostris operatur. Quid ergo miraris, si hic cibus, in quo Verbum Dei est, hæc diuina opera moliatur?

Sed ad alia mirabilia huius nobilissimi sacramenti veniamus: II.
inter quæ illud maximè mirabile esse constat, quòd verba consecrationis, verum panem & vinum in corporis & sanguinis Domini substantiam vertant. Huic admirationi Euseb. Emiss. Eus. Emi.
respondet, Dei potẽtiam rerum omnium creatricem in medium proferens. Maius enim esse constat, res ex nihilo creare, quàm in alias transmutare. Qui ergo ex nihilo omnia creauit, poterit vtique creata omnia in quascumq. voluerit substantias transformare. Quam rem commodissimo exemplo hominis iustificati confirmat. Si enim passim videre licet, perditos & carnales homines sic aliquando in spirituales diuinæ gratiæ virtute permutari, vt vix aliquid pristinæ vetustatis in eorum moribus mentibusque resideat; quid mirum, si, qui ita mẽtes hominum mutat, substan-

substantiam vnam in alteram vertat? Sed ipsius Euseb. verba referamus: Sicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in spiritualibus sacramentis Verbi precipit virtus, & seruit effectus. Quanta itaque & quàm celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, attende: & vt tibi nouum & impossibile nō debeat videri, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, te ipsum, qui iam in Christo es generatus, interroga. Dudum enim qui alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via in interiori homine mortuus exulabas, subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus Ecclesiæ, non viuendo, sed credendo transisti; & de filio perditionis, adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruisti. In exteriori nihil additum est, & totus in interiori homine mutatus es: ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente creatus est. Hactenus Emiss. Idem autem argumentum, quod ab immensa Dei potentia & creandi virtute sumitur, Ioan. Damasc. satis fusè tractat. Cuius etiam verba hoc in loco attexere libet, sic enim ait; Si verbum Dei viuum est & efficax, & omnia, quæcumque existunt, Dominus fecit in cælo & in terra; si dixit, fiat lux, & facta est; fiat firmamentum, & factum est; si verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum; si cælum, & terra, aqua, ignis, & aër, & omnis ornatus eorum verbo Domini perfecta sunt; si ipse Deus Verbum, factus est homo, & ex sanctæ Virginis purissimis sanguinibus in seipso sine semine carnem sustentauit; non potest panem sui ipsius carnem facere? Deinde viam obstruens quærentibus quomodo hoc posset fieri, sic ait: Quomodo fiet istud (dicit Virgo Maria) quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, Quomodo panis fit corpus Christi? Respondeo & ego tibi, Spiritus & hæc operatur super omnem sermonem & intelligentiam. Modus enim inscrutabilis est. Neque enim & hoc dictu facile, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis & bibentis transmutantur, & non fit aliud corpus præter id quod priùs erat. Si hoc ergo potest natura, nónne & hoc etiam poterit Spiritus sancti gratia? Hactenus Damasc. Cuius hoc postremum exemplum, id quod à nobis erat propositum, apertè exponit atque confirmat. Si enim citra nouum miraculum tantam vim naturæ auctor, siue natiuo corporum calori, siue animę vegetāti atque nutrienti cōtulit, vt panem, quem homo edit, intra breue spatium

Ioan. Damasc.

Psal. 32.

Luc. 1.

ſpatium in carnem permutet; quid miramur, ſtupendam hanc mutationem Dei virtute fieri in momento, quando natura illam facit in tempore?

I.

Eſt & aliud in hoc Sacramento mirabile, quòd videlicet totus Chriſtus Dominus ſit in pane conſecrato, & totus in qualibet eius parte: quam quicunque ſumit, nihil minus ſumit, quàm ſi totum percepiſſet. Vt enim Catholica fides confitetur, diuiſo Sacramento, integer Chriſtus Dominus ſub qualibet diuiſionis particula perſeuerat. Sed quid hoc mirum aut incredibile ſit, cùm ipſa quoque naturalis Philoſophia profiteatur, totam Dei maieſtatem & eſſentiam, & in vniuerſo mundo, & in qualibet eius parte non minorem quàm in toto exiſtere? Quid ergo mirum, ſi ſacra illa humanitas omnipotenti Verbo Dei vnita, hoc ſingulare ab immenſa illius virtute trahat, vt tota ſit in hoſtia conſecrata, & in qualibet eius parte tota? Quamuis autem indignitatis quidpiam habere videatur, ad tantarum rerum maieſtatem explicandam ex huiuſmodi rebus, quas quotidie cernimus, exempla afferre: quia tamen nos ipſi rudes, & corporeis rebus aſſueti ſumus, nihil mirum, ſi his quæ nobis nota & familiaria ſunt, ad ſublimiora intelligenda gradum faciamus. Videmus autem ſpeculum ea, quę illi obiiciuntur, repræſentare: quod tamen ſi in plures partes fregeris, idem tibi quod antea, cùm integrum eſſet, referet. Sed commodius fortaſſe exemplum animarum noſtrarum erit. Fatentur enim etiam Philoſophi, animam noſtram eſſe in toto corpore, & totam item in qualibet eius parte. Quid ergo mirum, ſi, quod naturæ conditor animæ noſtræ conceſſit, ſacratiſſimæ Chriſti carni contulit, vt tota eſſet in hoſtia conſecrata, & tota etiam in quauis eius vel minima particula? III. Simile.

His aliud miraculum adiungamus. Valde enim mirabile eſt, quòd cùm in tot locis quotidie diuina hæc hoſtia ſacerdotum verbis conſecretur, nullibi diuinæ virtutis præſentia deſit. Quis enumerare valeat, quoties in toto orbe Chriſtiano ſingulis diebus eodem tempore hæc conſecratio celebretur? Et tamen diuina potentia omnibus in locis adeſt, eademque in vltimo conſecrationis verbo hanc mirabilem mutationem ſine vlla tēporis dilatione efficit. An non igitur mirabile eſt, diuinam virtutem (quæ in ſumma pace & tranquillitate feliciſſimam vitam agit) ſine vlla cura & ſollicitudine tot tranſmutationibus vbique locorum faciendis præeſſe? Huic ego ſiue quæſtioni, ſiue admirationi, commodiſſimo (vt mihi quidem videtur) exemplo, à rerum natura petito, reſpondebo. Conſtat enim ex Ariſtotelis reliquorumque rectè philoſophantium ſententia, intelligētem IIII.

animam aliunde venire, nec educi ex potentia materiæ. Quomodo enim ex carne & sanguine, hoc est, ex corporea materia, spiritualis substantia totius cōcretionis expers, quæ Angelorum puritatem & naturam refert, consurgere & propagari poterat? Vnde ergo hæc tam nobilis substantia manat? Omnipotens vtique humani generis sator indefessus & conditor, vbi infantis corpusculum intra matris viscera formatum, & organis suis ad animæ functiones accommodatis fuerit distinctum (quod quadragesimo à conceptione die in masculis fieri dicunt) ibi primùm absque vlla cunctatione rationalem animam per se sine vllius creaturæ ministerio & creat, & in corpusculi domicilium velut nouum hospitem infundit. Nunc ergo, fratres, oculos per vniuersum terrarum orbem, peráue omnes Oceani maris insulas, per omnes barbarorum & infidelium nationes; & per omnes orientis & occidentis Solis oras expendite, quot infantuli in visceribus matrum, corpusculi opificio finito, animandi sint. Et cùm intelligatis diuinam prouidentiam numquam hactenus ab origine mundi huic officio defuisse, sed die noctéque creandis & infundendis animabus præesse, eodemque momento temporis, quo est corpus formatum, sine vlla mora aut cunctatione huic operi adesse: cùm hoc, inquam, perspexeritis, desinite mirari eandem prouidentiam cunctis altaribus & sacerdotibus assistere: vt, quomodo illic formato corpore animam creat, ita hîc prolatis consecrationis verbis, panis substantiam mutet. Nulla igitur vtrobique anxia sollicitudo in diuina illa & omnipotenti natura est, quæ solo volũtatis nutu omnia condidit, & condita moderatur atq. conseruat. Hinc D. Chrysostomus verba illa Domini explanans, Hoc est corpus meum, sic ait: Sicut illa vox quæ dixit, Crescite & multiplicamini, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operãte natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernum diem præstat sacrificio firmitatem. Hæc ille. Damascenus item illa Domini verba explanans, Producat terra herbam virentem, sic ait: Hæc vox vsque nunc producit germina, grauidata & vigorata præcepto. Si ergo dicit Deus, Hoc est corpus meum; cur minus hîc operetur, quàm quod antea operatus est? His igitur rationibus, fratres, huius diuini Sacramenti fidem vel iuuari vel illustrari posse puto.

Chrysost. in Mat. 26
Gen. 1.
Ioan. Damasc.
Gen. 1.

Superest aliud, quod non minorem mentibus nostris admirationem incutiat. Si quis enim ex altera parte altissimam illam præstantissimamque naturã (qua nihil neque melius neq. maius cogitari potest, quæ in summo cælorum cardine sedens, cælum, terras, maria, hoc est, supera atque infera omnia moderatur) inspiciat;

ſpiciat; ex altera verò hominis vilitatem, imbecillitatem, & innumeras miſerias, & miſeriarum omnium maximam, nempe procliuitatem ad malum, contempletur; an non iure mirabitur, tantam illam celſitudinem & puritatem in tam vili & ſordido loco ſedem ſibi atque domicilium huius Sacramenti miniſterio eligere, ibidemque manere velle? Si Rex Salomon poſt opulentiſſimam illam domum, quam ſeptennio ædificauerat, iure demiratus ait, Ergo ne credendum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui! Quanto iuſtiùs nos mirari debemus, cùm immenſam Dei maieſtatem in viliſſimo mentis noſtræ tuguriolo habitantem cernimus! Eſſe quidem hanc rem, fratres, admiratione digniſſimam, non inficior; ſed eam tamen ad ſalutem & felicitatem noſtram maximè neceſſariam eſſe confiteor. Cuius rei cauſam, precor, vt paulo attentiùs auſcultare velitis. 3.Reg. 8.

Principio igitur, quoniam in iis, quæ ad finem aliquem ordinantur, ratio ex ipſo fine petenda eſt; quis ſit vltimus humanæ vitæ finis, inſpiciamus. Satis autem ex fide conſtat, finem hunc, hoc eſt, beatam hominis vitam in ipſius diuinæ felicitatis communione conſiſtere. Neque enim aliud diuinæ felicitatis, aliud humanæ, ſed idem vtrobique beatitudinis obiectum eſt. Quia verò finis, & ea quę ad finem ordinantur, quadam inter ſe ſimilitudine & ordine conueniunt; efficitur planè, vt, qui ad diuinæ felicitatis participationem in mortali corpore degens deſtinatur, diuinæ quoque bonitatis & ſanctitatis particeps ſit: vt videlicet eius modò vita quodammodo ſit diuina, cuius felicitas diuina futura eſt. Quam rem apertè Ioannes Euangeliſta teſtatur, qui vbi hominem ad diuinę felicitatis participationem prouehendum eſſe dixiſſet, adiunxit protinus: Omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt. Hoc eſt, vt, cuius felicitas diuina eſſe debet, vita quoque diuina ſit. Vitam verò diuinã ſine Deo nemo viuere poteſt. Quam rem Ethnici quoque Philoſophi intellexerunt. Vnde meritò illa Ciceronis ſententia laudatur: Nemo vnquam magnus ſine afflatu diuini numinis fuit. Neque minùs præclarè Seneca dixit: Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quidquid timemus optamusq. ridentem, cæleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo numinis ſtare: itaque maiore ſui parte illic eſt, vnde deſcendit. Quemadmodũ radij Solis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vnde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, in hoc demiſſus, vt propiùs quidem diuina noſceremus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Idemque rurſus ad Lucilium: Miraris homines

Cic. 2. de nat. deor.

Seneca epiſt. 41.

Epiſt. 48.

mines ad deos ire? Deus ad homines venit. Nulla sine Deo mēs bona. Hactenus ille. Si ergo nemo bonus sine Dei haustu atque præsentia est, quid ergo magis nobis expediebat, quàm vt inter cætera Sacramenta esset aliquod præstantissimum, quod Deum ipsum in mentem nostram adueheret? Hoc autem per sacram Eucharistiam fieri constat, qua ipsum Dominum intra mentis nostræ domicilium excipimus.

Sed dicetis forsitan: Quid necesse erat, singulare Sacramentum ad hoc institui, cùm Deus occulto lapsu menti nostræ sese insinuare, & in ea manere posset? Posset vtique id facere, quod etiam cum veteris Testamenti Patribus fecit. Sed multo tamen meliùs infirmitati atque naturæ nostræ hac ratione consultum fuit. Aliter enim Deus humanis, aliter angelicis mentibus sese communicat. Cùm enim Angeli corporis expertes solo spiritu constent, spiritualiter Deus eorum mētes ingreditur. At cùm homo corpore simul atque anima constet, Sacramenta quoque ad eius salutem instituta, naturæ ipsius accommodata esse debent: vt videlicet corporeum aliquod, ad aliquid spirituale retineant. Materia quippe ipsorū corporea; virtus verò diuina, quæ in eis operatur, spiritualis est. Vnde quemadmodum D. Augustinus ad generis humani salutem conueniens fuisse ait, vt Dei Filius carnis nostræ substantia indutus ad nos veniret, quatenus nobis, qui paruuli eramus, diuina sapiētia hoc modo lactesceret, seseque ita infantiæ atque paruitati nostræ accommodaret: sic planè decuit summam illam bonitatem, vt, maiestatis splendore ad tempus dissimulato, sese corporeis oculis, hoc corporeo velamento tectam, adorandam atque sumendam offerret.

Dissimil.

August.

Quàm magna verò vtilitas ex hac ipsa corporea specie consequitur! Si enim spiritualiter tantùm Deus mentem nostram ingrederetur, tunc verba illa B. Iob vsurpare quidem homo posset: Si venerit ad me, non videbo eum: & si abierit, non intelligam. At cùm Dominus in rerum corporearum specie mentem meam ingredi parat, tunc & antequam illum excipiam, hospitium eius pœnitentiæ Sacramento, deuotisque precibus & lacrymis præparare atque expiare studeo. Vbi verò illum excepi, quanta possum reuerentia & religione adoro, veneror, & exosculor, immensamq; illius bonitatem recolo, qui me maiestatis suæ præsentia honorare, visitare, illuminare, & sanctificare dignatur. Hinc etiam flumina suauissimarum lacrymarum manant, quæ, qui deuotè celebrant vel communicant (hanc ipsam Domini dignationem atque præsentiam considerantes) effundere solent, quæ illos mirè reficiunt, & consolantur, & ad Seruatoris sui amorem vehementer accendunt. Postea verò quàm illum recepi, me ipsum intra me colligo, illique pro tanto

Iob 9.

munere

munere gratias ago, & in tantæ bonitatis & charitatis contemplatione reficior. Hos autem pios deuotionis & reuerentiæ affectus Sacramentalis Domini præsentia efficit, quæ me ad hæc pietatis officia vocat. His autem omnibus illud adiungitur, quod longè maius atque præstantius est; nempe ipsius Sacramenti gratia, quæ ex opere operato (vt Theologi loquuntur) dignè suscipientibus confertur: quæ mirabiles fructus & effectus (de quibus mox dicemus) in anima parit. Quibus omnibus rebus vita hominis miro modo perficitur & sanctificatur. Hæc autem omnia locum non haberent, si spiritualiter tantùm, non etiam sacramentaliter Christus Dominus mentibus nostris illaberetur. Cernitis ergo, fratres, quàm mira ratione Dominus saluti nostræ huius Sacramenti virtute prospexerit?

II.

Adiiciam his mirabilem aliam, quæ ex hoc venerabili Sacramento percipitur, vtilitatem. Ad cuius intelligentiam illud primò statuendum, inter ea, quæ piorum mentes ad charitatem & diuini numinis cultum & reuerentiam excitare solent, illud ante omnia conducere, vt homo se & sua à Deo curari, & paterna sollicitudine dirigi atque foueri intelligat. Cõstat enim, malorum omnium fontem extitisse, quod multi olim mortales diuinam prouidentiam tollerent, Deumque circa cardines cæli ambulantem inferiora hæc nec attẽdere, neque curare, sibi persuaderent. Qua persuasione concepta, desperantes semetipsos (vt Apostolus ait) tradiderunt in operationem immũditiæ omnis, in auaritiam. Hoc autem totius impietatis & prauitatis humanæ seminarium Dominus sustulit, cùm aliis rationibus, tum præcipuè incarnationis & passionis suæ sacramento: quo apertissimè declarauit, quantæ sibi curæ eorum salus esset, propter quos è cælis in terram descenderit, & acerbissimam mortem oppetere non dubitauerit. Ne verò putaremus simul cum vita hanc curam & prouidentiam finem accepisse, rursum ex hoc mundo discedens, se nobiscum ad finem vsque mundi futurum esse ait. Hæc autem duo diuinæ charitatis & prouidentiæ argumenta & veluti obsides fidelissimi, piorum mentes mirificè cõsolantur, & eorum charitatem atq. fiduciam magnoperè alunt. Verumtamen rudis aliquis & infirmus in fide habet adhuc quod ampliùs desiderare queat. Dicet enim, incarnationis & passionis Dominicæ beneficium toti mundo impensum fuisse, illam verò prouidentiam & curam, quam ab hominibus discedens pollicitus est, toti etiam mundo, ac præcipuè Ecclesiæ suæ promissam fuisse. Ego autem (dicet aliquis) vni mihi prouidentiam hanc, & passionis Dominicæ beneficium impendi, &

Iob 29.

Ephes. 4.

Matth. 28.

 sum-

summam hanc in vniuersum genus hominum charitatem vni mihi ostendi & exhiberi volo. Amabile quippe bonum, vnicuique autem proprium, hoc est, vnusquisque suum maximè curat & expetit priuatum bonum.

Ne igitur hæc consideratio infirma atque nutantia multorũ corda deiiceret, mira Domini misericordia & bonitate hoc Sacramentum institutum fuit: quod priuatim fidelium quisque intra se recipiens, & hoc charitatis Dominicæ pignus haberet, & meritorum atque passionis eius per illud particeps fieret, & ipsum in mente sua Dominum exciperet, qui eius vitam singulari cura & prouidentia dirigeret & gubernaret. Ille enim qui omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnibus officiis fungitur, quibus humanæ mentis infirmitas ad æternam salutem cõsequendam indiget. Ipse namque, vt prudẽs atq. prouidus Pater, sollicitam nostri curam & prouidentiã gerit. Ipse, vt cælestis Magister, tenebras nostræ mentis illuminat, nosque interiùs admonens, disciplinæ cælestis documentis informat. Ipse, vt dilectissimus animarum Sponsus, illas dilectionis suæ brachiis amplectitur, & secum bonorum omnium communione consociat. Ipse etiam, vt prudẽs medicus, omnia mentis no-
Ambros. stræ vulnera sanat. Quo nomine D. Ambrosius nos ad frequẽtiorem huius Sacramenti vsum adhortatur his verbis: Qui vulnus habet, medicinam quærit: vulnus est quòd sub peccato sumus; medicina est hoc venerabile & cæleste Sacramentum. Denique ipse, vt verus ac legitimus rationalium ouium pastor, ea in illis officia exercet, quæ is per Ezechielẽ pollicetur his verbis:
Ezech. 34 Ecce ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam. Quod perierat, requiram; & quod abiectum fuerat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam. Idem igitur & pabulum & pastor est, quemadmodum ipse & sacerdos & sacrificium est. Quòd autem tam multa beneficia ex hac Dominici corporis præsentia consequantur, mirari desinet quisquis immensam eius virtutem & dignitatem fuerit contemplatus. Quod vel hoc vno argumento perspici poterit. In Catechismo Tridentino, post admirandam sacri Baptismatis virtutem expositam, quæ mentes hominum sanctificat, & à cunctis peccatorum sordibus purgat, hæc verba subiiciuntur: Quòd si quis scire cupiat, quánam ratione tanta virtus aquis tributa sit, id quidem humanam intelligentiam superat. Hoc verò satis percipi à nobis potest, Baptismo à Domino suscepto, sanctissimi eius corporis tactu, aquam ad Baptismi salutarem vsum consecratam fuisse. Ex his verbis colligere licet, quanta sit Sacramẽti Eucharistiæ virtus. Si enim omnes mundi aquæ vnico Domi-
nici

nici corporis tactu tantam suscepere virtutem; quantam, quæso, percipiet is, qui ipsum Domini corpus, quod in sacra Eucharistia continetur, dignè reuerenterque susceperit! Hoc planè vtcunque coniici & æstimari potest, verbis explicari non potest. Præterea si (vt in libro Regum legimus) benedixit Dominus domui Obed-edom (hoc est, opes eius auxit, & bonis omnibus locupletauit) quòd arca fœderis in eius domo collocata esset, quæ solam huius diuini Sacramenti imaginem præferebat: quid ipsa veritas, quid ipsum Domini corpus in ea mente efficiet, quæ reuerenter illud atque deuotè susceperit? Rectè ergo D. Augustinus: Si Raab meretrix cum omni domo sua salutem consecuta est, quia Dominici exercitus exploratores semel excepit; quid ille consequetur, qui Deum ipsum intra mentis suæ domum frequenter susceperit?

2.Reg.6.

August. Iosue 2.

III.

Iam nunc ex his quæ modò dicta sunt, fratres, philosophari incipiamus. Quid autem hæc tanta beneficia, tantaque nobis ad salutem exhibita adiumenta, nisi immensam Dei nostri bonitatem & charitatem ostendunt, quæ summum nostrum erga illum amorem & gratitudinem exigunt? Cùm enim veræ dilectionis proprium sit, bene velle, & beneficiis afficere: qua, quæso, dilectione Christus Dominus illos prosequitur, quos tantis afficit & ornat beneficiis? Quod vt euidentiùs appareat, vetera beneficia, quæ olim populo Iudæorum Dominus exhibuit, cum noui testamenti beneficiis conferamus. De illis igitur apud Oseam idem Dominus ait: Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. Et mox: Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt vesceretur. Tria amoris genera erga populum suum his verbis Dominus indicauit. Primus est nutricis amor, quæ puerum materno affectu nutrit, & in sinu suo gestat. Secundus est pauperis agricolæ erga par boum, quorum operâ atque labore vitam inopem sustentat: quos, diurno opere finito, blandè ac molliter tractat, iugumque, quo premuntur, exaltat, vt eorum laborem atque onus alleuet. Tertius est patris erga ægrotantem filium, ciboſque fastidientem: cui pius pater manu sua cibum benignè porrigit, quo vescatur. Hos ergo tres amores Dominus erga populum suum se habuisse testatur, qui ipse illos primùm velut nutritius prouidentiæ atque tutelæ suę brachiis gestabat atque tuebatur. Idemq. iugum, quo ab Aegyptiis & finitimis nationibus premebantur, sustulit, & in libertatem asseruit: ac postremò ipse illis alimenta & omnia quæ ad vitam sustentandam necessaria erant, larga manu suppeditabat: vtpote qui eos (vt ait Propheta) frumenti adipe satiaret,

Osee 12.

tiaret. Hos igitur tres amores Dominus longè maioribus beneficijs erga populum suum in noua lege declarauit. Non contentus enim gestare nos in brachijs, gestat etiam in visceribus suis, cùm se in hoc Sacramento ingerit nostris. Idemque nos eius virtute à grauissimo peccatorum & cupiditatum iugo liberat: ac postremò idem non modò cibum nobis porrigit, sed ipse etiam cibus noster effici dignatus est, qui non temporariam corporis vitam, sed immortalem & sempiternam dignè sumentibus tribuit. Qua in re dissimilitudinem amoris Christi ad alios communium amicorum amores cernere licet. Hi enim vt maximè diligant, nihil magis cupiunt, quàm amicis suis conuiuere, cum illis versari, mutuoque illorum conspectu frui. At Christus Dominus hac vnione minimè contentus, præcordijs se nostris in hoc Sacramento voluit insinuare, intra nos habitare, & vnum nobiscum effici. Idemque velut pius Pater manu sua nobis hunc cibum porrigit, cùm in extrema illa cœna discipulis, & in illis omnibus nobis ait: Accipite, & diuidite inter vos. Hoc est, accipite, & manducate ex hoc omnes. Quæ quidem verba non leuiter à nobis prætereunda sunt. Legimus Assuerum, Persarum atque Medorum Regem, splendidissimum conuiuium principibus suis apparasse, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem & iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. At verò Rex regum & Dominus dominantium Christus ad Patrem ex hoc mundo discessurus, splendidissimum apparauit conuiuium, vt immensas bonitatis, charitatis, benignitatis, & misericordiæ suæ diuitias mundo ostenderet: idque non centum octoginta diebus, sed ad finem vsque mundi duraturum: nec principibus Persarum & Medorum tantùm, sed vniuerso hominum generi propositum: ad quod planè conuiuium amantissimis nos verbis inuitat dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes. Nihil humile aut vulgari consuetudine tritum à te, Domine, in hoc tam splendido conuiuio expectamus; non pretiosa electuaria, non fercula saccaro aut melle condita, non vina ex longinquis regionibus aducta. Quid igitur nobis, Domine, manducandum aut bibendum porrigis? Num agnum paschalem? num panes azymos cum lactucis agrestibus, ad quæ nos olim lex Domini inuitabat? Num manna de cælo, quod omne continet delectamentum, & omnem saporis suauitatem? num denique librum aliquem, qualem Ioanni Angelus in Apoc. vorandum tradidit, qui in ore quidem dulcis, in ventre autem amarus erat? Nihil horum planè. Quid igitur? Hoc est, inquit, corpus meum, & hic sanguis meus. Quid, quæso, fratres, his pauculis verbis significari putatis? Nimirum hoc perinde

Dissimil. Matth. 26. Esther 1. Lucæ 22. Exod. 12. Sap. 16. Apoc. 10.

perinde est ac si diceret: Tanto vos amore complector, tantopere vestram salutem sitio; vt, quoniam veram & æternam vitam sine carnis meæ cibo & sanguinis potu assequi non potestis, carnem meam in cruce immolem, & sanguinem fundam: vt hoc cibo & potu refecti, veram & æternam vitam consequamini. Ab hoc autem conuiuio neminem excipio, omnes homines, cuiuscumq. sortis & fortunę sint, inuito. Accipite, inquam, & manducate ex hoc omnes, siue serui, siue liberi; siue pauperes, siue diuites; siue nobiles, siue ignobiles: omnes, inquam, manducate ex hoc cibo, in quo & sempiternam vitam, & ipsum auctorem vitæ intra vos excipietis. Dicant igitur omnes homines, dicant Angeli, quàm magnum diuinæ bonitatis & charitatis indicium hoc extiterit. Nunc ad nos veniamus, fratres. Si Christus Dominus tantopere diligit nos, si tot nos beneficijs cumulat, si tantam nobis bonitatem atque misericordiam hoc opere declarat; quî fieri poterit, vt à nobis non impensè ac vnicè diligatur? Quibus enim stimulis amorem erga se nostrum acriùs debuit excitare? Si amor amorem exigit, si beneficia amorem flagitant, si eximia bonitas humanam ad se rapit voluntatem, quis amor ardentior? quæ bonitas sublimior? quæ maiora his beneficia reperientur? Quid ergo superest, nisi vt hanc tantam Dei nostri in nos bonitatem, charitatem, & benignitatem, quæ vel lapidea corda mouere posset, tota mente, toto corde, totisque viribus diligamus, & illi nos totos in sacrificium offerre, qui se nobis in cibum contulit, studeamus? Hoc est enim quod sanctorum omnium mentes miro modo accendit & liquefecit, & ex carnalibus spirituales atque diuinos reddidit. Quod quidem D. Gregorius illa ex lib. Iob verba enarrans; Lapis solutus calore in æs vertitur; ita esse confirmat his verbis: Si enim lapidis durities igni cedit; cui admota, non duritiam suam modò, sed naturam quoque & nomen amittit, quando in puluerem vertitur: quid mirum, si lapidea hominum corda, pristina duritia cælestis huius ignis virtute deposita, in aliam quodammodo naturam transeant, ex durisque lapidibus Abrahæ filij, imò Dei filij efficiantur? Hunc igitur amorem ante omnia à nobis hoc amoris Sacramentum exigit, fratres, vt amorem rependamus ei qui tantum amoris ignem nobis in hoc Sacramento ostendit.

Peroratio.

Gregor. Iob 28.

Deinde illud etiam postulat, vt, quoniam tam multa nobis beneficia hoc cælesti cibo conferuntur, ad ea frequentiùs capessenda quanta poterimus deuotione & puritate præparemur. Si enim tanta nos Dominus largitate ad hoc conuiuium vocat, si omnibus in commune Angelorum panem immortalem vitam largientem offert, quis adeò sibi ipsi infensus & inimicus

erit, qui non ad tale epulum accurrat? O deplorandam huma-
Geneſ. 3. ni generis cæcitatem! Callidus olim ſerpens feminam ad veti-
tæ arboris cibum inuitans, falsò illi diuinitatis ſimilitudinem promiſit: cuius verbis decepta mulier, & comedit, & periit. At modò Veritas ipſa nos ad hunc cibum conuiuas vocat, pollicens fore, vt, ſi ex eo edamus, non fallacem, ſed veram Dei ſimilitudinem conſequamur. At nos miſeri & amentes, ſerpenti, mortis cibum offerenti, obediuimus, & Domini vocem (prô nefas!) non audimus, cùm ad ſempiternæ vitæ cibum nos inuitat. Quo quid indignius, quid monſtroſius eſſe poteſt? Quid ergo ſupereſt, fratres, niſi vt huius tantæ rei indignitate commoti, fallacibus ſerpentis mundique vocibus aures obſtruentes, eaſque diuinæ veritatis monitis, quibus nos ad vitalem animarum cibum amanter inuitat, aperientes, & conſcientiam noſtram ab omni lethali crimine pœnitentiæ Sacramento expiantes, & deuotis precibus ſanctiſque cogitationibus mentem noſtram præparantes, ad hanc cæleſtem menſam, ad Angelorum panem, ad frumentum electorum, ad Regis æterni conuiuium, ad ſingulare infirmitatis humanæ remedium, & bonorum omnium fontem, non ſegnes, ſed auidiſſimo ſtudio properemus? vt per hunc ſalutarem cibum & in preſenti ſeculo gratiam, & in futuro ſempiternam vitam, Domino largiente, percipere mereamur.

FINIS.

EXPOSTVLATIO IESV CVM HOMINE ſuapte culpa pereunte.

CVM mihi ſint vni bona, quæ vel frondea tellus,
Vel olympus ingens continet:
Dicite, mortales, quæ vos dementia cepit,
Hæc aucupari vt vndeuis
Malitis, quàm de proprio depoſcere fonte,
Adeò benigno & obuio?
Mendaceſq́; iuuet trepido miſeroq́; tumultu
Vmbras bonorum perſequi?
Pauci me, qui ſum veræ largitor & auctor
Felicitatis, expetant?
Forma rapit multos; me nil formoſius vſquam eſt:
Formam ardet hanc nemo tamen.
Suſpiciunt ceras antiquaq́; ſtemmata multi:
At me quid eſt illuſtrius?
Vt qui ſim genitore Deo Deus ipſe profectus,
Genitrice natus virgine.
Vnde fit, vt mecum vix geſtiat vnus & alter
Affinitatem iungere?
Maximus ille ego ſum, cælique ſolique Monarcha:
Seruire nobis cur pudet?
Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti,
Rogari amo: nemo rogat.
Sumq́; vocorq́; Patris ſummi Sapientia: nemo
Me conſulit mortalium.
Ipſe ego ſum ætherei ſplendórque decuſq́; parentis:
Me nemo ſtupet, aut ſuſpicit.
Sum firmus iuxtà ac iucundus amicus amico,
Me pariter ac meas opes

Candidus

Candidus atque lubens charis impertio: nemo hanc
   Ambit neceßitudinem.
Sum via, qua ſola cæli itur ad aſtra: tamen me
   Terit viator infrequens.
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere vulgus,
   Aeterna cùm ſim veritas?
Pollicitis cur ſtulte meis diffidere perſtas,
   Cùm ſit nihil fidelius?
Auctor ad hæc vitæ cùm ſim vnicus, ipſaq; vita,
   Cur ſordeo mortalibus?
Lux ego ſum: cur huc vertunt ſua lumina pauci?
   Dux: cur grauantur inſequi?
Viuendi rectè certißima regula ſolus:
   Aliunde formas cur petunt?
Ipſe ego ſum ſolus vera & ſine felle voluptas:
   Quid eſt quòd ita faſtidior?
Vnica pax animi: quin huc depoſitis ægri
   Curas edaces pectoris?
Si benefacta truces etiam meminêre leones,
   Referuntq; belluæ vicem,
Reſpondere feri meritò didicere dracones;
   Si meminit officij canis,
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem:
   Cur efferatior feris
Me me non redamas homo? cui ſemel omnia feci,
   Quem condidi, quem ſanguine
Aſſerui proprio, propriaq; à morte recepi
   Diſpendio vitæ volens.
Si bos agnoſcit dominum, ſi brutus aſellus
   Agnoſcit altorem ſuum:
Cur me ſolus homo malè gratus noſſe recuſas,
   Et conditorem, & vindicem?
Vnus ego hîc tibi ſum cunctorum ſumma bonorum:

Quid

Quid est quod extra me petas?
Quorsum distraheris per tot dispendia grassans
Laboriosa inertia?
Sum placabilis, & pronus misereſcere: quin hoc
Miser ad asylum confugis?
Idem iustus & implacabilis vltor iniqui:
Cur non times offendere?
Corpus ego atque animum nutu sub tartara mitto:
Nostri metus vix vllum habet.
Proinde mei desertor homo, socordia si te
Adducet in mortem tua;
Præteritum nihil est, in me ne reiice culpam,
Malorum es ipse auctor tibi.
Nam quid adhuc superest? si te neque prouocat ardens
Suiq; prodiga charitas:
O bis marmoreum pectus! neque mitigat vnquam
Adeò profusa benignitas:
Si neque tantarum vel spes certissima rerum
Expergefacit, & allicit:
Si neque tartareæ cohibet formido gehennæ,
Nec vllus admonet pudor:
Immo si durant magis hæc, adduntq; stuporem,
Tam multa, tamq; insignia,
Vt facilè immanesq; feras, chalybemq;, petrámque
Rigore victo molliant.
Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat vltrò
Deuota morti pectora?
Inuitum seruare, nec est mentis, puto, sanæ,
Et patria prohibet æquitas.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA, EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, Diplomate suo sanxerunt; nequis, *Conciones R. P. F. Ludouici Granatensis, sacræ Theologiæ Professoris, Ordinis S. Dominici*, præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthasaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p.m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressas, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Ianuarij, M. DC. XII.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buschere.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD VIDVAM ET FILIOS

IOANNIS MORETI.

M. DC. XII.



effectꝫ eucharist. D. 23. f. 549. m
calamitates sustinere amor D. 1. [illegible] f. [illegible]
Fides . 513. Cl amoris pardon 559.
Tribulationes utiles . 560. q. a que
lis m. serman 584. f. 059.

[illegible] de [illegible] & sepulcri [illegible] [illegible] [illegible] 144 curiositas describi à plutarco fol. 49 calamitates aliena [illegible] 54



